

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

HISTORIAE BIBLIOTHECÆ FABRICIANAE

PARS III.

Qua

Singuli eius libri, eorumque contenta, & si quae dantur variae editiones, augmenta, epitomae, apologiae sive defensiones, auctorum errores & vitae,

Doctorumque virorum de auctoribus illis, & eorum libris iudicia, atque alia ad rem librariam facientia recensentur, scriptoresque anonymi & pseudonymi, nec non scripta spuria indicantur,



AUCTORE

IOANNE FABRICIO.

WOLFENBUTTELII

Sumtibus GODOFREDI FREYTAGII, Bibliop.

ANNO MDCCXIX.

HELMSTADII LITTERIS SCHNORRIANIS.

SERENISSIMIS

PRINCIPIBVS

FERDINANDO ALBERTO

ET

ERNESTO FERDINANDO

DVCIBVS BRVNSVICENSIBVS ET LVNEBVRGENSIBVS

PRINCIPIBVS FRATRIBVS

PIIS FORTIBVS INCLYTIS

VITAM

AC

VOTORVM ADIMPLETIONEM.

)(2 *SERE-*



SERENISSIMI DVCES,

DOMINI CLEMENTISSIMI



Vum duae priores Hiſtoriae huius bibliothecariae Partes tam beatae fuerint, ut ſereniſſimis laudatiſſimisque Ducibus, Conſobrinis veſtris, ſe ſe conſecrare poſſent, ab iisque clementiſſime acciperentur; mirum non eſt, Tertiam hanc eandem ambire fortunam, nec prioribus hac in ſorte cedere, ac deterioris eſſe conditionis velle.

Et

Et o felicem illam, quæ voti ac desiderii sui lætissimam completionem tam cito experitur, dum in Vobis eiusmodi invenit Principes, qui ex eadem, qua illi, familia, quæque in S. Imperio romano-germanico, præ aliis, inde iam a multis saeculis, litterarum aeque ac armorum gloria floruit claruitque, prodierunt, qui bibliothecas ingeniorum, animorum, & sapientiae thesauros esse, atque ex illis, velut e quibusdam horreis, in publicum commodum praeclarissima depromi posse, non tantum norunt, sed & ipsi, ad imitationem serenissimorum Agnatorum suorum, peculiares sibi selectissimasque adornarunt, aut potius adornatas possident, quique inter Heroas nullos maiori, quam litteratos, laude mactandos esse, cum sapientissimis viris sentiunt, suisque id exemplis luculentissime, & plus quam verbis exprimi potest, comprobant.

Quamvis enim, Principes florentissimi, animos habeatis fortissimos, omnique scientia bellica instructissimos, & pro patria ac libertate, si opus sit, strenue dimicare valeatis; sicut tu, serenissime FERDINANDE ALBERTE, post celsissimum Sabaudiae Ducem EVGENIVM, illud belli fulmen, illud hostibus optimi maximique Imperatoris formidabile nomen, victoriarum a Turcis, & copia, & valore, & apparatu praestantibus, in nupero, saevo illo & cruento, tandemque Passarovizae feliciter composito bello, reportatarum magna pars fuisti; pacis tamen tempore ita vivitis, atque ita libris Vos abditis, ac si litteris colendis nati essetis, digni propterea, quorum pulcherrimae virtutes, atque egregia facinora aere perennioribus chartis inscribantur, atque ad seram posteritatis memoriam transmittantur.

Non

Non eſt igitur, quod metuam, propius ad Serenitates veſtras accedere, iisque librum hunc, in ſe quidem exiguum, ex bibliothecae tamen theſauro depromtum, ac theſaurum cum aliorum praeſtantium auctorum, tum litteratorum Imperatorum, Regum, Principum, Ducumque militarium complectentem, quanta poſſum animi & corporis ſubmiſſione, offerre & conſecrare, earumque tutelae & patrocinio tam humiliter, quam diligenter commendare.

Ceterum ſicuti hoc magnorum natalium veſtrorum decus eſt, ſummumque votum veſtrum, pietatem colere, eamque primam virtutem ducere, & ſuum cuique tribuere, adeoque Deo, Caeſari ac communi Patriae operam praeſtare, illi conſcientiam, iſti obſequium, huic opem, omnibus autem fidem probare, ita Deus nunquam Vobis non favebit, cunctisque Vos bonis mactabit atque ornabit,

quae ipſum diligentibus ex abundantia gratiae ſuae promiſit, & in quibus conferendis nulla unquam poenitentia ducitur, aut duci poteſt.

Ita ergo vivite & florete, Principes optimi, vivite, & florete Maiorum gloria, propriis virtutibus, amore iuſtitiae ac probitatis, acumine ingenii, quarumvis ſcientiarum peritia, gratia & humanitate, modeſtia in faſtigio principali, & incredibili hominum gratulatione. Scriptum Helmſtadii in academia Iulia Kalendis Auguſti, anno a Chriſti nativitate MDCCXIX.

SERENITATIBVS VESTRIS

ſubiectiſſimus

IOANNES FABRICIVS.


BENE-



BENEVOLE ET CANDIDE LECTOR.

MEmini, quid promiserim in Praefatione Secundae Partis Historiae meae bibliothecariae, videlicet me in Tertia residuos scriptores historicos tecum communicaturum, nec non eos, qui antiquitates ecclesiasticas & profanas, & rem librariam proponunt, item philosophicos, humaniora tractantes, & Lexicorum diversarum linguarum structores, hisque me subiuncturum, si Deus voluerit, recensionem librorum in 4. ut cum vulgo loquimur, maiori. Iam igitur, divina gratia adspirante, fidem libero, tibique omnia illa,

quæ promiſi, hoc volumine in uſum tuum exhibeo; & , ſi hæc cum prioribus non ingrata eſſe cognovero, ac ſupremum Numen vitam & ſanitatem concedet, faxo, ut anno poſt hunc ſequente habeas Quartam & ultimam Partem, reliquarum formarum (quibus ſingulæ plagulæ in quaterna, aut octona, vel duodena folia complicantur) libros ſelectiores complectentem: in iisque enarrandis non tantum priorem viam ac ordinem obſervaturus ſum, ſed in primis id operam daturus, ut pari ſtudio ac diligentia me uſque ad metam decurriſſe intelligas. Vale.



I.



Elch. GOLDASTI Rerum alamannicarum ſcriptores aliquot vetuſti. Tomi III. Francofurti 1606. Ibidem recuſi A. 1661. Cum Gloſſis rerum & verborum difficiliorum, quibus non nunquam hiſtoriæ illuſtrantur, familiarum indagantur origines, ritus priſci eruuntur, denique verba feudalia explicantur. A ſcriptoribus autem illis Alamannorum, qui nunc partim Suevis, partim Helvetiis ceſſere, hiſtoriæ tam ſæculares, quam eccleſiaſticæ, ea diligentia atque fide perſcriptæ ſunt, ut omnibus antiquitatum ſtudioſis, theologis cum primis & ICtis, cognitu utiles & idoneæ ſint. In Dedicatione I. Tomi ait Goldaſtus, *Alamanniæ* nomen ſub Francorum regum imperio videri primum natum: veterem Germaniam *Teutoniam* a poſterioris ætatis ſcriptoribus eſſe appellatam, atque in tres partes diſtributam, Rætiam videlicet, Germaniam & Alamanniam; ac præſentes libros, ut hiſtoricos, tales eſſe, e quibus melior poſſis evadere. In II. Tomi Dedicatione ad Iacobum, epiſcopum conſtantienſem, laudat gentem Fuggerorum, e qua ille natus erat, utpote ad virtutem & bonas artes non fictam, ſed natam, & ipſum etiam illuſtriſſimum epiſcopum a liberalitate & munificentia non tantum in eccleſiaſticum ordinem, ſed etiam in alios, benignitate in Reip. ſe-

minaria, benevolentia erga bonos doctosque cunctos, severitate in coërcendis animadvertendisque clericorum moribus, iustitia in administranda rep. & pacis tranquillitatisque studio summo. In III. Tomi Dedicatione disserit de *Vadiano*, eiusque Antiquitatibus & scopo, item de origine errorum, quæ sit opinionum humanarum verisimilitudo. Scriptores autem in I. Tomo, eorumque libri, sunt sequentes: 1) *Hepidanni* Annales, quibus res in Alamannia ab anno 709. usque ad 1062. gestæ traduntur. 2) *Ratperti* Historia, de origine & diversis casibus monasterii S. Galli. 3) *Eckehardi* iunioris Historia de eodem. 4) *Burckhardi* de eodem. 5) *Cunradi* Fabariensis Historia, de eodem: eiusdemque catalogus abbatum. 6) Anonymus de Officialibus Principis S. Galli. 7) *Bertholdi* monachi Annotatio de Abbatibus S. Galli. 8) Ioach. *Vadiani* Chronologia Abbatum monasterii S. Galli, ab A. 614. usque ad 1530. 9) N. *de Tufburg* Ephemerides. 10) Io. Georg. *Tibiani* Panegyricon super laudibus Acronii lacus in Alemannia, & eiusdem civitatum. 11) *Walafridus Strabus* de vita S. Galli, & S. Othmari. 12) *Iso* de miraculis S. Othmari. 13) S. *Theodorus* de vita S. Magni. 14) *Ermenrici* elevangensis Supplementum. 15) S. Findani confessoris Historia auctore anonymo. 16) *Hepidanni* iunioris Vita B. Notkeri. 17) Historia S. Fridolini, scriptore anonymo. Quanquam *Vossius* de Histor. lat. l. 3. c. 5. p. 240. eam Notkero tribuat. 18) Genealogia Comitum kyburgensium & dillingensium, ex cod. MS. vetere bibliothecæ S. Vdalrici, Augustæ Vindelicorum. In Tomo II. 1) Lex Alamannorum, complectens res sæculares sive politicas, quas monachi appellant *exteriores*. Hanc legem partim ex consuetudinibus, partim scriptis Alamannorum legibus componendam curavit THEODORICVS I. Rex Francorum; idemque postea fecit cum legibus Francorum, id est, Salica, & Baioariorum. Vide *Goldastum* hic T. II. 1. 2) Chartarum & Instrumentorum veterum alamannicorum centuria una. 3) Ioach. *Vadiani* Epistola de obscuris verborum significationibus. 4) *Ruodeperti* magistri S. Galli Epistolæ. 5) *Rabani Mauri* libelli, videlicet Glossæ latino-barbaricæ de partibus humani corporis, & de inventione linguarum, ab ebræa usque ad theodiscam. 6) *Keronis*, monachi S. Galli, Interpretatio verborum alamannicorum, in Regulam S. Benedicti abbatis, in ordinem alphabeticum redacta a Goldasto, 7) Catalogus nominum propriorum apud Alaman-

mannos, auctore anonymo, ex vetustissimo codice monasterii S. Galli descriptus. 8) *Remedii*, curiensis episcopi, Canones, ex pontificum Epistolis excerpti, iussu KAROLI magni, Regis Francorum & Alamannorum. 9) *Notingi*, constant. episcopi Canones, quos Remedio adiecit. Sed hi æque desiderantur, ac ceteri Canones Remedii. 10) Symbolum apostolicum. 11) Confessio, prout Alamanni illam reddidere. Et observandum de illo, non continere articulum de descensu Christi ad inferos; de hac autem, esse emendatiorem & dilucidiorem illa, quam Achilles *Gassarus* edidit. 12) Litania alamannicæ veteris ecclesiæ, longe vetustior illa, quæ Francofurti ad Mœnum in æde D. Bartholomæi ostenditur. 13) *Benedictiones*. Duplex autem erat apud Alamannos benedictio, canonica una, altera vulgaris; canonica dicebatur, quæ legitime & ex canonum fieret permissione, ut cerei, cineris martialis, ignis paschalis. Posterioribus temporibus secutæ etiam sunt benedictiones ignis paschatis, ignis iohannici, & vini iohannici, quorum ille memoriam Ioannis baptistæ, hoc Ioannis euangelistæ referat; sed ferri, ignis & aquæ, ad probandam innocentiam, benedictiones gentilium consuetudo introduxit, anilis superstitio confirmavit, & pestilens simonia aliquandiu retinuit. 14) *Fraternitates*. Et hæ quidem inibantur a monasteriis minoribus cum celebriori aliquo collegio, ea conditione, ut mutuo pro defunctis fierent orationes, vigiliæ, missæ, disciplinæ, & eleemosynæ; laici etiam pro argento in illas recipiebantur: 15) *Anniversarii* p.199. Sed multi eorum desiderantur. In Tomo III. 1) Ioach. *Vadiani* Farrago antiquitatum alamannicarum de collegiis & monasteriis Germaniæ veteribus, ut in regno Francorum & insecutorum Principum aliquot sæculis habuerunt, cum Barthol. *Schobingeri* Additionibus. 2) Io. *Comandri* Epistolæ de antiquitatibus Curiæ in Rætia prima. 3) *Vadiani* liber de Christianismi ætatibus, sed imperfectus, sive de primitivæ ecclesiæ statu, qui aurea atque argentea christianismi ætate floruit. 4) *Eiusdem* ad Io. Zwickium Epistola de coniugio servorum apud Alamannos. De quo sic statuit: non posse dominum servos aut servas suas in totum arcere a coniugii iure; cavere autem posse, ne extra serviles familias dominii sui contrahant, nec servitutem ignoratam simpliciter solvere matrimonium, sed exceptam tantum, id est, si quis dixerit, ego te ducam in uxorem, si non es serva aut

liberta: & vice versa, ego tibi nubam, si non es servus aut libertus, aut, si poteris te, non invito domino, liberare a servitutis iugo. 5) Io. *Zuvickii* Epistolæ, quibus sententiam de coniugio servorum dicendam deprecatur. 6) Leonis *Iudæ* Epistolæ de diuortio. In quibus docet, uxorem a scelerato & impio marito separari, & alteri iungi posse: Christum enim Matth. 19, 9. non unicam divortii caussam fornicationem sive πορνείαν ponere, sed illam adducere exempli gratia, adeoque hoc velle innuere, non esse divortium faciendum nisi ob graviorem caussam, qualis sit πορνεία. Sic & divortium fieri posse ob alterius lepram, pluresque alias caussas, quibus coniugium reddatur intolerabile. 7) Io. *Keßleri* Bibliotheca sangallensis, Vadianum consulem per prosopopœiam alloquens, seque & rem litterariam Senatui quam optime commendans.

Hepidannus, cœnobita S. Galli, vir doctus, & stilo quasi sallustiano usus, consilium cepit Annales scribendi usque ad annum 1087. sed, fortassis morte præventus, substitit in anno 1062. Distinguendus est ab altero Hepidanno, qui Vdalrici abbatis iussu vitam Wiboradæ condidit, eodem fortasse tempore vivens, sed ratione generis dicendi toto ab eo cœlo distans. Vide *Goldastum* p. 1.

Ratpertus, thuregiensis sive tigurinus, illustri & generosa familia in pago tigurino natus, monachus S. Galli, a Ratperto iuniore, cuius Carmina sunt, distinguendus, scripsit Litaniarum libellum, & Chronicon suum perduxit usque ad annum 883. quo videtur discessisse. *Goldastus* p. 2. Ger. Io. *Vossius* de Histor. lat. l. 3. c. 4. p. 239. *Burckhardus* huius Tomi p. 110. eum vocum doctissimum.

Eckehardus, iunior, monachus S. Galli, a IV. aliis Eckehardis, qui eodem in monasterio nobilitate & eruditione clari fuerunt, distinguendus, & Palatinus dictus, senioris sorore genitus, vir eruditus & acutus, non tantum latinæ, sed etiam græcæ linguæ, quod illo tempore per erat rarum, peritus, præfuit primum scholæ claustrali & canonicæ, sive, uti tum vocabant, interiori & exteriori, postea autem portarii claustralis officio admotus est, & denique vocatus ab Imperatore OTTONE I. ad pædagogiam Ottonis pueri, & capellani atque secretarii sive sanctioris consiliarii munus. Scripsit præter varia Epigrammata, Sequentiam de S. Desideri-

derio, Summis conatibus, & Sequentiam diei, naturæque debitum ſolvit anno 996. *Goldaſtus* p. 2.

Burckhardus, monachus S. Galli, maximæ fidei ſummæque diligentiæ vir, qui nihil temere vel dicere vel ſcribere ſolebat, Hiſtoriam ſuam Abbatum perduxit uſque ad Henricum Klingium, qui vitam clauſit A. 1204. In fine igitur ſæculi XII. ſi non etiam in XIII. initio, ſcriptor noſter claruit. *Idem* p. 2.

Conradus de Fabaria, (*Von Pfauers*) eccleſiæ S. Othmari, quæ eſt in monaſterio S. Galli, presbyter canonicus, vixit circa annum Domini 1240. nec conſtat, an præter dictos duos tractatus quid amplius ſcripſerit. *Idem* p. 2.

Bertholdus, monachus S. Galli, natus ſub Vdalrico Tegerfeldio, deſcripſit ætatis ſuæ abbates, ac denatus eſt ſub Ruomone Ramſtainio, anno quaſi 1281. *Idem* p. 2.

Ioach. *Vadianus* (*Von Watt*) ſangallenſis, ex nobili ac pervetuſta Turgoviæ ſuperioris familia, in academia viennenſi initio adoleſcenturiens quidem, atque ad certamina & diſſolutam vitam, quam ad litteras pronior, ſed amici monitis corrigi ſe paſſus, atque ad frugem rediens, totum in literas ſe abdidit, ac ſæpe, pro cervicali, prægrandi Virgilii volumine, quod in bibliotheca ſangallenſi inter libros Vadiani adhuc aſſervatur, uſus eſt. Poſtea, ne perpetuo ſumtu parentibus oneri eſſet, & ut docendo plura diſceret, Villaci Carinthiæ oppido ludi moderatorem egit. Inde Viennam reverſus, variaque eruditionis ſuæ ſpecimina edens, profeſſioni bonarum litterarum admotus, laureaque poëtica a ſacratiſſima FRIDERICI III. Imp. manu ornatus eſt. Neque vero hiſce in ſtudiis ei ſubſiſtere viſum eſt, ſed iis adiunxit medicinæ cultum, in eoque tantum profecit, ut magna cum laude doctor renunciaretur; ſicut in patriam reverſus, primum ſenator, deinde conſul Reipublicæ, in ſacra theologia, iuxta medicam artem, tractanda & defendenda ſedulam operam poſuit, donec A. 1551. æt. 66. legata patriæ Reip. integra bibliotheca ſua, in Domino obdormiret. Quid multis? fuit poëta, orator, medicus, geographiæ vindex, atque in ſacrarum litterarum, omnique doctrinarum ſtudio vir clariſſimus, ut vere dicitur in epigraphe Bibliothecæ publ. ſangallenſis: dignus, teſte Thoma *Cranmero*, cantuarienſi antiſtite, quem propter eximiam eruditionem, qua ſe quoque adiutum diſ-

simulare nolit, & propter morum probitatem, multorum gravissimorum virorum testimoniis comprobatam, omni amore, favore, ac veneratione prosequeretur. Et *Thuanus* lib. IIX. p. 169. hoc ei elogium posuit: Vadianus *mathematicis artibus* ac *geographia* præcipue, quam scriptis illustravit, cognitione clarus; tum ad extremum etiam *theologus* non exigui inter suos nominis, & propter prudentiam, cum summa integritate coniunctam, ex umbra & pulvere literario in lucem civilem evocatus, delato a civibus summo patriæ suæ magistratu; in cuius administratione non solum conceptam de se spem æquavit, sed etiam longe superavit, ut eius exemplo confirmari possit, *philosophis & litteratis hominibus reip. administrationem minime interdicendam esse*. Scripta eius, ut de affectis nil dicam, sunt hæc: Comment. in Pomponium Melam, Epitome Asiæ, Africæ & Americæ, Scholia in librum II. Plinii, Consilium contra pestem, Aphorismi de eucharistia, Epistolæ & Antilogia contra Schwenckfeldium, & Poëmata. *Goldastus* in T. I. p. 4. T. II. 11. & Tomi III. Prolegom. *Adamus* in Vit. medicor. 55. *König* 825. *Magirus* 785. *Crenius* Animadv. P. IX. 20. I. A. *Fabricius* Biblioth. lat. 346. *Bullinger* in ep. dedicat. Commentarii in Acta apostol. & *Lexic. univ. hist.* T. IV. 595.

Tiufburgius, siue *de Tiufburg*, monachus S. Galli, scripsit Ephemerides suas A. 772.

Io. Georg. *Tibianus*, nuperus est scriptor ac recens, ait *Goldastus* Tom. I. p. 5.

Iso magister, coenobita S. Galli, nobili genere apud Rheguscos in Alamannia natus, vir pius ac doctus, condidit Lexicon latinum sub nomine discipuli sui Salomonis episcopi, mortalitatemque exuit in Grandivallensium coenobio anno Domini 871. *Goldastus* p. 230.

S. *Theodorus* eremita, SS. Columbani & Galli discipulus, & Magnoaldi hiberni, qui postea Magnus a miraculorum magnitudine dictus, assiduus comes atque socius, cum magistris suis Luxovio in Alamanniam pervenit, Magni auctoritate cellam campidonensem ad fluv. Hilarum exstruere coepit, vitamque illic solitariam traduxit, donec bellicis turbis & aliis persecutionibus compelleretur redire ad monasterium S. Galli, cuius abbas, B. Othmarus, permisit ei usque ad obitum ibi suum morari. Mortuus autem

tem est, sub PIPINO, Caroli M. patre, rege Francorum, sæculo IIX. *Goldastus* 231. & *Ermenricus* 314.

Ermenricus, elewangensis monachus, floruit tempore LVDOVICI iunioris, orientalium Francorum regis, sæculo IX. & Vitam Magni, præcipiente episcopo augustano, descripsit, emendavit, suppleuit. *Goldastus* 231,

Anonymus scriptor Vitæ Findani, iudicio *Goldasti* l. c. est pervetus, & ipsius Findani *συγχρονος, dignus profecto, qui ab omnibus antiquitatum studiosis pellegatur. Et pessima fuere manus, quæ tam probum nobis scriptorem detruncarunt.*

Hepidannus iunior, monachus S. Galli, vixit anno Domini 1072. sub abbate Vdalrico, Nortperti successore, cuius iussu in Vitam S. Wiboradæ, duobus libris pertexendam, coepit incumbere. An quid præterea composuerit, non constat. *Goldastus* 23'.

Ruodepertus fuit magister & monachus S. Galli, nec videbatur dignus *Goldasto*, qui numerum faceret in his Antiquitatibus, nisi vicisset Freheri auctoritas, qui vel sola alamannicorum verborum expositione delectatus, minime respuendum auctorem censuit. Sunt autem formulæ conscribendi epistolas, quas discipulis suis in schola dictavit. *Goldastus* T. II. 13.

Rabanus (siue, ut ipsius tempore scribebatur, *Hrabanus*) Maurus Magentius, id est, moguntinus, (Moguntia enim, in qua sacram sedem invenit, illo tempore vocabatur Magentia) natione francus, Albini siue Alcuini discipulus, primum rector scholæ, deinde abbas monasterii fuldensis, in quo tunc 220. erant monachi, post abdicationem autem huius muneris, quam iniuriæ monachorum, qui nimium scripturis intentum temporalia negligere cavillabantur, suggerebant, privatus, ut sacrarum litterarum studio eo melius vacare posset, tandemque archiepiscopus maguntiacus, ubi tribus Conciliis provincialibus præfuit, scripsit Commentarios in S. scripturæ libros, e Patrum scriptis collectos, Poëmata, & alia, fatisque concessit A. C. 859. vir pius, pacificus, beneficus erga pauperes, & inter sæculi sui viros doctrina claros facile princeps, quique primus græcas litteras in Germaniam feliciter invexit, Opera eius VI. voluminibus edita sunt Coloniæ A. 1627. cura Georg. *Calvenerii*, cancellarii uniuersitatis duacensis: post quæ CL. *Baluzius* in Tomo IV. Miscellan. produxit

duxit quædam usque ad illud tempus inedita. Vitam magni huius viri descripsere *Rudolphus* ipsius discipulus, & *Trithemius*. *König* 674. *Sixtus* sen. I. 4. B. S. 370. *Olearius* T. II, 110. *Cave* P. I. 379, *Lexic. univ. histor.* T. IV. 253. Dav. *Hoffmann* disp. de Otfrido, monacho weissenburgensi, p. 6. *Magirus* 577. *Pope-Blount* 346. *Gerbard.* Patrol. 513. *Daumius* Epp. ad Hekelium 49.

Kero, monachus S. Galli, floruit sub PIPINO, Caroli M. patre, ac præterea scripsit Confessionem fidei alamannico sermone, brevemque Expositionem orationis dominicæ, S. autem Benedicti Regulam, in gratiam barbarorum, nec linguæ latinæ satis peritorum monachorum, videtur interpretandam suscepisse. *Goldastus* 13.

Remedius, qui & *Remigius* dicitur, episcopus curiensis, vixit sæculo IX. & fortassis a Wolfhario, episcopo remensi, atque a CAROLO M. ad constituendum iudicium & appellationes Provincialium audiendas misso, iniunctum ei fuit, ut canones istos pro ecclesiis alamannicis colligeret. *Idem* 154.

B. *Notingus*, a clero & populo in episcopum constantiensem electus, vitæ sanctitate morumque probitate claruit, mortuus A. 934. Tam carus fuit Vdalrico, episcopo augustano, ut hic ad exequias eius celebrandas, itineris molestiis susque deque habitis, veniret, easque præsentia cohonestaret sua: idemque, iustis funeri solutis, congregato populo triduanum imperavit ieiunium, ut pro bono, quem perdidissent, episcopo Deo opt. max. supplicarent. *Idem* 154.

Barthol. *Schobinger*, patricius & IC. sangallensis, ex antiqua gente, quæ nomen habet a castello Schowingen, e vita decessit anno 1604. hydrope oppressus dicam? an summis vigiliis, quas edendis his libris, tum Vadiani operibus integris, & denique exscribendis ac illustrandis Principum, Comitum, Baronum, Nobilium quorundam vetustis carminibus impendere debebat, enervatus atque enectus. *Goldastus* †† 2. *Conringius* in Censura diplom. LVDOVICI I. c. 6. dignatur cum elogio viri antiquitatum sacrarum & civilium perquam periti.

Ioannes *Comander*, primus reformationis religionis in Rætia curiensi auctor, & cathedralis ecclesiæ curiensis parochus, devixit multis annis ante Vadianum.

Io.

Io. *Zuvickius*, patricius & IC. constantiensis, Vdalr. Zasii ab incunabulis studiorum condiscipulus & sodalis, catholicæ veritatis cum socio Ambros. *Blarero* apud Constantienses restaurator, scripsit libellum germanicum de coniugio, Epistolam ad Reutlingenses, & Hymnos ecclesiasticos, vir sine dolo ac fuco vere pius, sincerus & orthodoxus, postque occupatam a CAROLO V. Constantiam secessit Episcopicellam, ibidem mortuus ac sepultus.

Leo *Iuda*, e concubina, cui pater Ioannes, plebanus siue sacerdos gemerensis in Alsatia, fidem coniugalem dederat, eamque, si fuisset licitum, lubens duxisset, natus, primum diaconus basileensis in templo S. Theodori, deinde sacerdos in coenobio Eremi, denique, cum ex lectione scriptorum Erasmi, Lutheri & Capnionis rectius de religionis capitibus sentire didicisset, ac reformatæ se ecclesiæ adiunxisset, pastor ad D. Petri apud Tigurinos, (quod enim in Præfationis margine *episcopus tigurinus* nuncupatur, secundum latiorem vocis significationem intelligendum est) bonam partem V. T. ex ebræo vertit in latinum, ipse autem edidit Catechismum maiorem & minorem, Historiam passionis Domini nostri ex IV. euangelistis collectam, item libellum de sepultura, resurrectione & ascensione Christi, & sub nomine Lud. *Leopoldi* sententiam *Erasmi* & *Lutheri* de S. coena, quædam etiam aliorum convertit in latinum, aliaque in germanicum, &, post editam coram tigurinæ urbis pastoribus ac professoribus fidei confessionem, & enixam coniugis, mox viduæ, cum orphanis commendationem, animum Deo reddidit anno 1542. æt. 60. *Frisius* in Epit. Biblioth. gesner. 540. Melch. *Adam.* in Vitis theolog. 94. *Episcopius* Opp. T. I. a. 277. *König* 467.

Io. *Kesler*, sangallensis, ante reformationem religionis fuit sacerdos in æde S. Laurentii patriæ urbis, deinde ad sellariorum opificium animum adiecit, idque etiam plurimos annos exercuit; tandem vero a Senatu ob eruditionem ad functionem scholasticam vocatus, fidem ac diligentiam in ea præstitit admirabilem. *Goldastus* ††3.

II.

Henrici MEIBOMII Rerum germanicarum Tomi III. Helmæstadii 1688. I. Tomus continet Historicos germanicos ab Henr. *Meibomio* seniore primum editos & illustratos, nunc au-

ctiores; II. Historicos germanicos ab Henr. *Meibomio* iuniore e MStis nunc primum editos & illustratos; III. Dissertationes historicas varii argumenti utriusque Meibomii. Atque *has doctissimorum* (sunt verba insignium *Collectorum Actor. eruditor.* A. 1688. 291.) *& de rebus Saxonicis praeclare meritorum virorum Commentationes, historiae antiquitatum germanicarum thesaurum constituere, haud immerito existimandum est; qui tanto maiori in pretio habendus, quanto patriae historiae cognitio, medii aevi confusa caligini & altissimis tenebris immersa, externarum gentium & longissime a memoria nostra remotorum temporum notitia praestantior censetur.* Praemittuntur huic operi 1. Henrici *Meibomii* iunioris Epistola dedicatoria, qua sereniss. Duces Brunsvic. ac Luneburg. laudat ab armorum & studiorum gloria. 2. Praefatio, qua Germaniae felicitas praedicatur ob litterarum artiumque renatarum amorem ac studium, Iuliumque, Ducem aeternae memoriae, & successores eius historiam patriae diligentissime tradi voluisse memoratur. 3. Io. *Caselii* Epistola ad Io. Henr. Meibomium, tunc iuvenem, parentem eius, Henricum, magnis evehentis encomiis, neminemque putantis esse, qui illud scribendi genus, quo in obscuro latentia in apertum proferuntur, improbet. 4. Herm. *Conringii* ad Henr. Meibomium iuniorem Epistola, idem fere argumentum, quod Caselius tractaverat, persequentis. Iam autem speciatim videamus, quaenam singulis in Tomis scripta exhibeantur.

In I. quidem Tomo 1) *Theodorici* de Niem Historia & Vita IOANNIS XXIII. Pontif. romani. p. 1. Qui liber primum hic locum occupat, cum ob praestantiam & raritatem, tum quia multis in locis res germanicas attigit auctor eius, homo germanus, westphalus. Subiunguntur Notulae Henr. *Meibomii* iunioris, quibus vocabula auctoris barbara explicantur. 2) Gobelini *Persona* Cosmodromium, h. e. Chronicon universale, complectens res ecclesiae & reip. ab O. C. usque ad A. C. 1418. cum Vita Personae, p. 53. 3) Levoldi *a Northof* Origines marcanae, siue Chronicon Comitum de Marca & Altena, a quibus descendunt Duces Iuliacenses, Clivenses, & Bergenses, a temporibus OTTONIS III. usque ad A. 1358. Cum Supplemento alterius, ut videtur, auctoris, ab A. 1359. usque ad A. 1391. & Vita Northofii 371. 4) *Gerhardi*, Praepositi stederburgensis, Historica narratio de Henrici Leonis, Baioariae

riæ & Saxon. Ducis, poſtremis rebus geſtis, beatoque ex hac vita exceſſu. 425. Et tribus hiſce ſcriptis additæ ſunt notæ Henr. *Meibomii*, ſenioris. 5) *Anonymi* Chronicon ſtederburgenſe. 450. Ab anno 1001. uſque ad A. 1180. 6) Henr. *Meibomii* Oratio panegyrica, carminica, de Henrico Leone, Duce Saxon. & Baioariæ, habita in acad. Iulia A. 1597. p. 456. 7) ANDRONICI II. Imp. CPtani, Aurea bulla, data Henrico, Duci Brunſvic. regiones Orientis perluſtranti, A. 1430. d. 6. Ian. p. 467. Cum notis ad Bullam, & Narratione de Principis illius poſteris. 8) Herm. de *Lerbeke* Chronicon Comitum ſchaumburgenſium. 489. Ab anno Chriſti 1030. uſque ad 1404. Cum notis H. *Meibomii*. Sed, teſtibus *Conringio* & *Lambecio* in præfat. Henr. *Meibomii* iunioris p. 492. paſſim mutilum eſt & corruptum, innumeriſque mendis & erroribus, in primis in ſupputatione temporum, ſcatet. 9) Chronicon mindenſe *incerti auctoris*, ab A. C. 1280. uſque ad 1474. 10) M. *Iuſtini* Lippiflorium, ſiue Poëma de primordiis Comitatus lippienſis, & rebus geſtis aliquot Comitum lippienſium. 575. Pro eo, quo ſcriptum eſt, ævo ſatis elegans, ac poſtea traductum in linguam ſaxonicam. Deſcribit autem hiſtoriam Comitum Lippienſium a Bernhardo II. ad Bernhardum III. pariterque Simonem, epiſcopum paderbornenſem. 11) *Henrici aquilonopolenſis* Adolpheis de rebus geſtis Comitum theorosburgenſium ſiue ſchomburgenſium, deque primordiis urbis Lubicanæ. 597. Eſt poëma barbarum & inficetum. 12) *Witichindi*, monachi corbeienſis, Annalium libri III. 621. Iuxta editionem Frechtianam. Qui agunt de rebus geſtis Saxonum, ac præcipue HENRICI Aucupis, & OTTONIS magni. Cum notis H. *Meibomii*, quas *Boeclerus* in Ottone II. pereruditas vocat. 13) *Hroſvvita* Panegyris carminica in laudem OTTONIS M. Imp. cum notis H. *Meibomii* 705. 14) Erectio eccleſiæ magdeburgenſis in archiepiſcopalem. 731. Facta in Concilio ravennatenſi per IOANNEM Papam XI. & ſequuntur Excerpta quædam e variis auctoribus de fundatione illius archiepiſcopatus. 15) Diplomata OTTONIS M. 739. Partim ſunt integra diplomata, partim ingroſſaturæ, uti ſolent Privilegia & Donationes ac Fundationes ab archivariis ingroſſari; eaque vel ex libris fide dignis excerpſit Henr. *Meibomius* ſenior, vel a bonis, harumque rerum peritis viris ſecum communicata habuit.

buit. 16) *Anonymi* Chronicon corbeienſe. 755. Ab A. C. 822. uſque ad Wickboldum abbatem. Henr. *Meibomius* ſenior adiecit Notas, & Litaniam ex vetuſto codice Collegii corbeienſis, in qua commemorantur Sancti, non autem invocantur. 17) De translatione S. Viti & inſtitutione novæ Corbeiæ. 763. 18) Henr. *Rosla* Herlingsberga, ſiue Poëmation de bello inter Henricum Mirabilem ſeu Moroſum, Germanis dictum *der Wunderliche*, Ducem Brunſv. & Luneburg. ac confœderatos Saxoniæ Principes ob arcem Herlingsbergam A. 1287. geſto. 771. In media barbarie non ineleganter ſcriptum, cum notis Io. Henr. *Meibomii*. 19) Tiderici *Langii* Saxonia. 806. Verſibus rhythmicis deſcripta. Deſiderantur autem, ſicut celeberrimus *Thomaſius* Colloq. menſtr. T. II. 274. annotat, hoc in opere aliquot Henr. Meibomii ſenioris Chronica germanica, videlicet 1. Chronicon monaſterii cuiusdam in archiepiſcopatu magdeburgenſi, quod vocatur Mons ſerenus, fortaſſe Hellberg; 2. Chronicon walbecenſe: 3. Chronicon S. Laurentii apud Schoningam: 4. Chronicon Regio-Lotharienſe: 5) Ammenslebienſe: 6) Monaſterii Bergenſis apud Helmſtadium: 7. Chronicon monaſterii Marienbergenſis: & 8. Relatio de Commendatura ſupplinburgenſi. Sed hæc Relatio poſtea tamen, & quidem A. 1715. cum Io. *Letzneri* Deſcriptione monaſterii Regiæ Luteræ a me in publicum fuit emiſſa.

In II. Tomo 1) Levoldi *a Northof* Archiepiſcoporum colonienſium catalogus. p. 4. A Materno ad Wilhelmum de Genepe, h. e. ab anno Chriſti 94. uſque ad A. 1350. 1358. Cum *Grombachii* Catalogo Eccleſiaſticorum ſiue Archiepiſcoporum colonienſium; quamquam traditionibus ſuſpectis nitatur, ſicut & Petrus *Merſſaus* in non paucis, notante Henr. *Meibomio* iuniore in Allocutione ad Lectorem, a Levoldo noſtro diſcrepat. 2) Henr. *Wolteri* Chronicon archiepiſcopatus bremenſis. 19. Ab A. 788. ad A. 1463. 3) Anonymi Chronicon monaſterii Raſtedenſis. 89. Ab A. 1109. ad A. 1463. Non caret fabulis, atque in fine eſt mutilum: de quo legenda Henr. *Meibomii* iunioris ad Lectorem Allocutio p. 119. 4) Io. *Schiphovveri* Chronicon Archicomitum oldenburgenſium. 123. A temporibus IVLII Cæſaris uſque ad A. 1505. ex variis libris extractum, neque prorſus a fabulis liberum: qualis eſt illa de lapidum in S. Claræ veſica fellea repertorum pondere.

dere. Nec mira cuipiam videatur appellatio *Archicomitum*, Germanis dictorum Arsegreven: ita enim iam vocati sunt A. 1499. 5) Erdwini *Erdmanni* Chronicon Episcoporum osnabrugensium. 195. Datur & alia editio, quæ cum notis, continuatione ac præmisso de antiquis Westphaliæ colonis prodiit Osnabrugæ A. 1677. f. Ab A. 772. usque ad 1453. In quo tamen non nullæ lacunæ. 6) *Anonymi* Chronicon magdeburgense. 269. Cum notis Henr. *Meibomii* iunioris, & Diplomatibus Augustorum, OTTONIS II. HENRICI II. & CAROLI IV. in favorem ecclesiæ magdeburgensis. Tractat autem hoc Chronicon res ab OTTONE I. usque ad A. 1513. ex eoque, ut *Meibomius* prædictus indicat, non pauca ad historiam Saxoniæ & archiepiscopatus magdeburgensis haberi possunt, quæ alibi non exstant. 7) *Anonymi* Narratio de rebus gestis Alberti, Ducis brunsvic. & Episcopi halberstadiensis. 381. Ab A. 1324. usque ad 1399. Auctor eius fuerit monachus, aut clericus halberstadiensis, eadem vivens ætate, quique res, quas scire potuit, ac scivit, bona posteris fide tradere voluit. Notabis autem, eum in descriptione sollemnis in urbem reditus dicere, Episcopum ad se vocasse duos fratres suos, Magnum & Ernestum, duosque *patruos* suos, Ioannem & Wilhelmum; vocabulum autem *patruos* videri usurpare pro patruelibus. 8) Alberti *Crummedyckii* Chronicon lubecense, cum *Anonymi* Continuatione. 391. Chronicon illud describit Episcopos aldenburgenses & lubecenses, a tempore OTTONIS I. usque A. 1476. Anonymus autem, scriptor non contemnendus, continuavit ad annum usque 1505. 9) M. Andreæ *Hoppenrodii* Annales gernrodenses, cum notis Henr. *Meibomii* iunioris. 415. A tempore OTTONIS I. usque ad A. 1570. Finis horum annalium abruptus videtur. Historiam monasterii gernrodensis struxit etiam Iac. *Schopperus*, theol. D. germanico sermone, quæ MS. incidit in manus Meibomii nostri. 10) Henr. *Bodonis* Syntagma de constructione, perfectione & defectione coenobii gandesiani, siue gandersheimensis. 479. Complectitur historiam ab Duce utriusque Saxoniæ Ludolpho usque ad A. 1222. estque in fine mutilum; cum tamen auctor id continuaverit usque ad annum 1550. Plenius igitur datur a *Leibnitio* T. II scriptor. rer. brunsvic. Extat etiam Mich. *Rupii* Chronicon gandersheimense, germanice scriptum, ad finem usque sæculi XVI. Præterea non omnia, quæ

de Saxoniæ Principibus a Bodone narrantur, probanda sunt; neque id, quod de Mathilde II. scribit, eam cum Henrico episcopo hildesiensi res coenobii quasdam permutasse, cum historia temporum convenit. 11) Io. *de Polda* Chronicon ecclesiæ hamelensis. 513. A sæculo IX. usque ad A. 1261. Sed ex corruptissimo exemplari, teste *Leibnitio* Introd. in Script. rer. brunsv. T. II. 46. 12) *Anonymi* Chronicon monasterii S. Michaëlis in Hildesheim. 517. Ab A. 993. usque ad A. 1521. 13) Chronicon monasterii in Lothen, postea in oppidum Lemgoviam translati. 526. Ab A. 1265. usque ad A. 1447. 14) *Anonymi* (qui, iudice clariss. *Reimmanno* in Comment. de libris genealog. 106. est Henr. *Bassæus*) Chronicon monasterii Huiesburgensis, in dioecesi halberstadiensi. 533. Ab A. 1080. usque ad A. 1121.

In Tomo III. 1) Irminsula saxonica. p. 3. Cum notis. Erat in fano, siue castro, siue oppido Eresburg vel Eresberg, ad ripam Dimele fluvii, in eaque posita statua siue imago aut Arminii, aut Martis, aut viri armati, cuius in dextra signum militare, quod vexillum vocamus, præferens rosam, ad indicandum facilem prœliorum ortum atque interitum; in sinistra libra, dubiam pugnantium sortem insinuans: ursus in pectore & fortitudinem & calliditatem denotabat bellicam; leo in galea invictum ad fortia facta impetum monstrabat; floribusque consitus campus, in quo ille stabat, indicio erat, nihil esse generosis & fortibus pectoribus suavius, quam in acie virtutem ostendere, bellique finem debere pacem esse, & suavissimam & optimam rerum, quas homini novisse datum est. Columna ipsa nunc in ecclesia hildesheimensi conspicitur, atque hic a *Meibomio* describitur. p. 31. 2) Vindiciæ Billinganæ. 33. Quibus demonstratur, Hermannum *Billingium*, primum ab OTTONE M. Imp. Saxoniæ borealis institutum Ducem, non equestris ordinis hominem, nedum pauperis agricolæ filium, sed ex illustri generosaque familia saxonica fuisse oriundum. 3) Demonstratio, Saxoniam etiam ante Herm. Billingium suos habuisse Duces, adeoque a temporibus CAROLI M. sub Imperatoribus francicis. 45. 4) Bardevicum. 51. Est historia antiquissimæ inter germanicas urbis, & quando condita, quas experta mutationes, & qua demum occasione funditus sit deleta. 5) De Bardevico destructo Carmen heroicum. 81. 6) Commentario-

tariolus de utriusque Saxoniæ, & vicinarum regionum quarundam pagis. 93. 7) Apologia pro Imp. OTTONE IV. p. 111. Contra falsas criminationes & convicia, quibus optimum Principem onerare & insectari *Conradus* abbas urspergensis, Io. *Cuspinianus*, Seb. *Munsterus* aliique non sunt veriti. 8) Dissertatio de iure investituræ episcopalis, Imperatoribus romanis a Pontificibus per vim ademto. 169. 9) Dissertatio super quodam antiquo & antiquato Cæsarum germanicorum iure in decedentium maiorum Prælatorum relictis possessionibus. 183. 10) *Thassilonis*, Boiorum Ducis ultimi, Diploma, quo monasterium Crembsmunster abs se conditum munifice dotat, cum notis H. *Meibomii*. 11) Historia erectionis Ducatus brunsvicensis. 201. Accesserunt Diplomata erectionis Principatus Hennenbergensis, Ducatus Lucani in Italia, Luzenburgici, & Holsatiæ. 12) Oratio de academiæ Iuliæ primordiis & incrementis. 215. 13) Oratio de origine Helmestadii. 224. 14) Oratio de origine, dignitate & officio Cancellariorum academicorum. 238. 15) Chronicon Marienthalense. 244. Cum Appendice Christoph. *Schraderi*. 16) Chronicon monasterii Bergensis ad Albim. 287. Cum supplemento Henr. *Meibomii*, iunioris. Chronicon isthoc usque ad A. 1708. pertexuit vir clariss. Sim. Frid. *Hahnius*, nunc prof. in acad. Iulia, ediditque Francofurti ad Moenum A. 1708. f. De quo vide Tomum VI. *Supplem.* Actor. erud. p. 89. 17) Chronicon Riddagshusense. 335. Cum supplemento prædicti *Meibomii* iunioris. Hæc omnia huc usque e Tomo III. recensita scripta erant Henr. *Meibomii* senioris. 18) Henr. *Meibomii* iunioris Dissertatio de Friderici, Ducis Brunsv. & Luneb. in Imperatorem electione & misera cæde. 419. 19) *Eiusdem* de Hugonis de S. Victore patria Saxonia. 427. Qui eum ex Comitum blanckenburgicorum familia ortum habuisse probat.

Henr. *Meibom*, Lemgovia-westphalus, Histor. & Poës. in acad. Iulia professor, vir magno diffusoque, ut *Conringius* scribit in epist. ad eius nepotem, operi Rer. germ. præfixa, ingenio, iudicioque acri & limato, cum pangendi carminis, heroici præsertim, ubere quadam & promta facilitate, tum peritia antiquitatis germanicæ, & cumprimis saxonicarum rerum, plane incomparabili præditus; præterea in vita communi commodus, iucundus, nemini non acceptus, domusque suæ curator diligens, struxit

No-

Notas in Sleidanum de IV. monarchiis, Chronicon walbecense, & hierosolymitanum, emendationem operis Buntingiani, optimæque notæ carmina, in Tomo IV. Deliciar. german. exſtantia, & alia, atque ad Chriſtum migravit A. 1625. æt. 70. Caſp. *Calvör* in Append. ad Saxon. infer. 543. *Magirus* 579. *Conring* Annot. ad lib. de Finib. Imp. germ. 65. *Schurzfleiſch* Epp. ſelect. p. 54. auctor *Bibliotheca Schrader*. P. I. A a 2. & *Lexic. univ. hiſt.* T. III. 499.

Io. Henr. *Meibomius*, Henrici filius, helmſtadienſis, atque in acad. patria Medicinæ D. & profeſſor, deinde reverendiſſ. ac ſereniſſ. Ducis Holſatiæ, Archiepiſcopi bremenſis & Epiſcopi lubecenſis archiater, medicusque primarius lubecenſis, &, *Conringii* iudicio, ſi quis alius, χαριέστατος, reliquit in orbe erudito Epiſtolam de flagrorum uſu in re venerea, aliamque de κυνοφορία, ſeu portatione canis ignominioſa, *Mecenatis* hiſtoriam, librum de vino & cereviſia, Commentarium in ius iurandum *Hippocratis*, tractatum de theriaca Andromachi, & obiit A. 1655. æt. 65. Paul. *Neucrantz* in Orat. parentali, *Witte* Diar. biograph. Ggg 4. *Calvör* 544. Io. *Moller* de homon. 700. *Magirus* 580. *Conring* epiſt. Adverſariis chronol. de Aſ. & Aegypt. Dynaſtiis præmiſſa, & *Acta erudit.* A. 1688. 287.

Henr. *Meibomius*, Ioannis Henrici filius, Henrici nepos, lubecenſis, Medicinæ Doctor, eiusque & Hiſtor. ac Poëſ. profeſſor in acad. Iulia, & archiater guelphicus, vir in prædictis, aliisque elegantioribus ſtudiis vere excellens, atque a *Beſſelio* rei medicæ, omniſque adeo antiquitatis ſcientiſſimus appellatus, edidit præter ſcripta quædam medica, Narrationem de Ducum Brunſvic. & Luneb. contra infideles & Turcas expeditionibus bellicis, Orationem de D. Iulii poſteritate, Panegyricum in nuptias Rom. Regis IOSEPHI, atque ad meliores ſedes abiit A. 1700. æt. 61. Vide *Programma* in eius funere poſitum, *Conringium* Epiſt. Tomo I. Rer. germ. præfixa, *Magirum* 580. *Spizelium* præf. in Conſiderat. corp. glorioſi, *Imhofium* Notit. Imp. rom. lib. 4. c 4. p. 150. *Cave* præf. in Partem II. Notit. litter. p. 8. *Daum.* Epp. p. 130. *Schurzfleiſch.* Epp. arcan. T. I. 367. nec non Diſſertat. academ. p. 48. *Acta erud.* A. 1688. 287. & A. 1700. 290.

Gobelinus Perſona, weſtphalus e dioeceſi paderbornenſi, diſtinguendus a Io. Gobelino, PII II. Pontif. ſecretario, luſtrata tota Ita-

Italia, & poſtquam in Curia romana diu hæſerat, ſacerdos, inde Capellæ S. Trinitatis in urbe paderbornenſi rector, porro templi ibidem forenſis eccleſiaſtes, Conſulum ſibi odium, quod eos ob ſtatutum, Pontificum decretis atque Imperatorum ſanctionibus, ut videbatur, contrarium, pro concione taxaſſet, concitavit. Charybdim igitur hanc evitaturus, munus eccleſiaſtæ cum altero, quod Officialis eſt, commutavit. Sed cum ſedulam in hoc operam Epiſcopo ſuo navaret, & monachos familiæ Benedictinæ reformare aggrederetur, in Scyllam incidit, atque eorum inſidiis, vitæque periculo (nam veneno eum tollere conabantur) expoſitus fuit. Fuga igitur ſibi conſulens, Bilveldiam diſceſſit, ubi quum Decanatu potitus eſſet, tandem negotiorum pertæſus, cum religio eum arctior inceſſiſſet, in monaſterio Bodekem, nuper reformato, cucullum induit, precibus & literarum ſtudiis vacavit, atque ita vitam finivit. Quo autem anno extinctus ſit, dicere non poſſumus; hoc tamen conſtat, eum ad ſenectutem perveniſſe: cum enim Coſmodromio A. 1418. finem imponeret, ſexagenarius fuit. Laudem habet ſcriptoris diligentis, ſummæque fidei, ita ut nihil in eo deſiderare poſſis, niſi quod, more ſui ſimilibus uſitato, Papæ contra Imperatores plurimum tribuat, alioqui univerſalem eccleſiæ romanæ reformationem deſiderans, & SIGISMVNDO Imp. admodum carus. Henr. *Meibomius* ſenior in Vita eius p. 55. *Voſſius* de Hiſt. lat. l. 3. c. 9. p. 251. *Olear.* T. I. 288. *Neu* Acceſſ. ad Whear. 201 G. *Caſſander* Opp. 1095. G. *Arnold.* Hiſt. eccl. & hær. P. I. 412. & auctor *Hiſtor. flagellant.* 294.

Levoldus, (quem Germani ſuperiores Lippoldum dicerent) a *Northof*, in agro Weſtphaliæ marcano familia equeſtri natus, ſacerdos primum bopardianus, & Præpoſituræ adminiſtrator, deinde canonicus leodienſis, & abbas ſæcularis eccleſiæ viſetenſis ſive taxandrinæ, vir ſummæ auctoritatis, & magnæ in præceptis bonæ & ſalutari gubernationi neceſſariis inculcandis παῤῥησίας, ad grandem pervenit ſenectutem: nam, cum librum hunc confeciſſet, (erat autem tunc annus a reparata ſalute 1358) annum ætatis exceſſerat octogeſimum: & paulo poſt videtur diem ſuum obiiſſe, quia ultimi inter Archiepiſcopos colonienſes, quorum Catalogum concinnavit, videlicet Wilhelmi *de Genepe* mortem, quæ A. 1362. ſecuta eſt, non annotavit. Henr. *Meibom.* in eius vita p. 375.

Neu in Accession. ad Mantiss. 116. 285. *Calvör* in Addition. ad Saxon. infer. 609. Casp. *Barth.* in Briton. 314. 722.

ANDRONICVS II. Imp. CPtanus, mitis, sed infelix; sub eo enim Turcæ invaluere, neposque cognominis, cui nimis erat blandus atque indulgens, rebellauit, & Genuensium auxilio Thraciam & CPlim sibi subiecit, avumque in summas redegit angustias, adeo, ut spretis pacis sæpius initæ conditionibus, a gubernaculo amotum, oculisque captum monasterio manciparet, in quo ille A. C. 1332. æt. 74. decessit. Neque vero domi duntaxat, sed & foris adversa passus, atque a Papa CLEMENTE V. quod paci atque concordiæ inter Ecclesiam græcam & latinam initæ omnibus viribus restitisset, A. 1307. excommunicatus est. *Gregoras* lib. X. & XI. Io. *Cluverus* Epit. histor. p. 569.

Herm. *de Lerbeke*, dominicanus S. Pauli apud Mindenses, vixit tempore Ottonis, Comitis Schauwenburgici, videlicet in fine sæculi XIV. & initio XVti, scripsitque stilo simplici, bona tamen, ut Henr. *Meibomio* in Præfat. p. 492. videtur, fide, ea, quæ vel ipse vidit & audivit in aula, vel ex documentis certis habuit. Et quamvis clarissimi viri, *Conringius*, Io. *Mollerus*, & I. C. *de la Crose* auctoritatem eius in dubium vocent, non tamen eum penitus improbant atque reiiciunt, sed cum *Neu* in Accessionib. ad Mantissam p. 323. haud inviti fatentur, hauriri ex eo posse quædam historiæ capita, quibus, absque illo essemus, carendum foret. Vide etiam *Vossium* de Histor. lat. p. 169. & *Leibnitium* Introd. in script. rer. brunsv. T. II. 19.

M. *Iustinus*, Lippia urbe Westfaliæ oriundus, & unus e clericis, distinguendus a *Iustino*, monacho dominicano, qui eodem floruit tempore, & cui vitam S. Dominici describendi provincia fuit demandata, carmen suum condidit A. 1260. Henr. *Meibom* iunior in Præfat. p. 576. & *Neu* l. c. 357.

Henricus Aquilonopolensis, natione teutonicus, patria, disciplina & studio wittenbergensis, scripsit & carmine & prosa aliquot opuscula, inter quæ sunt Sophologiæ lib. I. de vita & laudibus S. Augustini lib. I. metrice, Naumachia, Epigrammatum liber I. vixitque adhuc anno 1514. In *Anonymi* Catalogo scriptorum insignium, quem edidit Maderus, magno ornatur elogio, & vocatur vir magni ingenii & tullianæ eloquentiæ vehemens æmulator, philosophorum præce-

ptis

ptis nobiliter instructus, divinarumque scripturarum non ignarus, grammaticus, philosophus, rhetor & poëta nulli nostro sæculo secundus, ingenio subtilis, sensu clarus, & disertus eloquio, iurium non imperitus. Sed Henr. *Meibom* iunior, non iniquus rerum poëticarum censor, poëtastrum illum esse ait in Præfat. p. 598. id quod repetit *Neu* in Access. ad Mantiss. 180.

Witichindus sive *Witekindus*, (quæ vox apud Germanos significat sapientem puerum) monachus corbeiensis ad Visurgim, qui & scholæ eius, in qua informatus fuerat, cum laude præfuit, multosque discipulos, ad episcopatus & abbatias postea promotos, doctissimos reddidit, vir, *Trithemio* de illustribus Germaniæ scriptoribus teste, in divinis scripturis doctus, & in sæcularibus literis eruditissimus, ingenio promtus, & clarus eloquio, scripsit quidem & alia, sed quæ perierunt, claruitque anno 940. usque ad A. 973. Cave autem, ne cum Henr. *Pantaleone* duos facias rerum saxonicarum scriptores, *Windichinum*, & *Widichindum*, eadem ætate viventes, ambosque monachos corbeienses, quorumque hic illius fuerit fratruelis: hæc enim a veritate absunt longius. Henr. *Meibom* senior in Præfat. 624. *Neu* in Mantissa 96. *König* 872. *Magirus* 805. & vide virorum eruditorum de eo iudicia, collecta & proposita a *Meibomio* p. 626.

Hrosvith, *Hrosuida*, *Rosvit*, *Rosvida Rosvitha*, (tot enim modis nomen eius variatur) virgo nobilis teutonica, sanctimonialis gandersheimensis, *Richardæ* & *Gerburgis* discipula, ipsa autem, postquam in litteris & linguis, græca etiam, item in philosophicis & theologicis insignes profectus fecerat, iuventutis informatrix, floruit sæculo X. tempore OTTONIS II. Imp. & varia scripsit carminice & in prosa, quæ Conr. *Celtes* Noribergæ A. 1501. iunctim edidit, ac denuo C. S. *Schurzfleisch* A. 1700. cum præfatione, in qua de auctrice, eiusque scriptis differit. Ad illa referendum est etiam carmen heroicum de constructione cœnobii gandersheimensis, apud *Leuckfeldium* in Append. Antiqq. gandersheim. p. 409. & *Leibnitium* T. II. script. br. 319. Henr. *Meibom* sen. in eius Vita 706. *Vossius* de Histor. lat. l. 2. c. 41. p. 111. *Leuckfeld* Antiqq. gandersheim. 271. *Leibnitius* Introd. Tomo II. præmissa; p. 29 *Neu* in Mantissa 99.

Henr. *Rosla*, natus Nienburgi ad Visurgim, dubium an e nobili familia eorum, qui *in Rosla* & *de Rosla* vocantur, vixit sæ-

culo XIII. talisque fuit, ut incusare sæculum suum potuerit: nam si in nostra tempora incidisset, non certe e vulgo esset eruditorum, cum nec ingenium ei defuerit, nec lectio atque imitatio poëtarum. Scripserit & alia Carmina, quæ vel perierint, vel in bibliothecis adhuc lateant. Io. Henr. *Meibom* in dedicat. ad illustrem Io. *Schvvarzkopfium*, & Henricus iunior in Præfat. p. 772. 773. *Neu* Accession. ad Mantissam 222.

Tideric. *Langius*, interdum *Longus* dictus, natus Eimbecæ, ibidemque & Goslariæ canonicus, Henrico Rosla tam ætate, quam eruditione & poëtica arte inferior fuit; sed ex eo tamen, non secus atque olim ex stercore Ennii, unam & alteram gemmulam depromas. Cecinit post annum 1291. quo Herlingsberga fuit capta & destructa. Henr. *Meibom.* iunior in Præfat. 772. eiusque *pater* in Notis p. 785. 806. *Neu* Accession. ad Mantiss. 223.

Henr. *Wolter*, non ignobili, ut videtur, familia ortus, secundum Herm. *Hamelmannum* oldenburgicus, canonicus S. Anscharii, sine dubio bremensis, floruit sæculo XV. & Chronicon suum, ut ipse ait, ex dispendiosis dictis & Chronicis antiquis in scripturarum compendium redegit; nulla tamen distincte memorat. Henr. *Meibom* iunior ad Lectorem, T. II. 83. *Neu* l. c. 368.

Io. *Schiphovver*, natus Meppis in Episcopatu monasteriensi A. 1463, ordinis Fratrum eremitarum S. Aurelii Augustini, vir, ut ante trecentos & plures annos tempora ista tulerunt, satis clarus & doctus, & Christophori, Comitis Oldenburgi & Delmenhorsti primus informator, scripsit alios quoque libros, videlicet de Conceptione immaculata B. Mariæ virginis, ac de Ordinibus, viditque initium sæculi XVI. sed quo anno obierit, non liquet. Henr. *Meibom* iunior ad Lectorem p. 191. *Neu* l. c. 360.

Erdwinus *Erdmannus*, natus Osnabrugæ, non genere, sed virtute ac eruditione nobilis, consul patriæ ciuitatis, ita crevit, ut nunquam consul fuerit maioris in tota Westphalia auctoritatis. Fuit etiam propter eruditionem, facundiam, prudentiam, rerumque usum carus Magnatibus, hanseaticarum civitatum Proceribus formidabilis, vitamque produxit, si calculus bene subductus est, usque ad annum Christi 1506. *Meibom* iun. ad Lectorem p. 191. *Neu* l. c. 172.

Albert. *Crummedyck* sive *Krummedyk*, ex genere ministerialium

lium Holfatiæ, canonicus, ac poftea Epifcopus lubecenfis, fed in hoc dignitatis culmine nimium fumtuofus & fplendidus, adeoque ecclefiam, cui annos 23. præfuit, ære alieno onerans, alioqui pii cordis pontifex, cunctis benevolus, nulli negans audientiam, ad omnia verbo promtus, ut nemo eum duritiei accufare fuftineret, floruit medio fæculo XV. fuique memoriam, fi non apud alios, certe apud creditores, qui folutionem defiderarent, reliquit. Henr. *Meibom* iun. T. II. p. 411. *Neu* Acceff. ad Mantiff. 179.

Andr. *Hoppenrod*, aliis minus recte *Poppenrod*, paftor heckftedtenfis in comitatu mansfeldenfi, deinde gernrodenfis in Principatu grubenhagenfi, germanico fermone publicavit Genealogiam Principum Comitumque in terris faxonicis, librum non contemnendum, & in quem notas, utinam aliquando edendas, fcripfit vir ἱστορικώτατος *Budæus*, vixit, & fortaffe etiam vivere defiit anno 1570. Henr. *Meibom* iun. ad Lectorem 466. *Neu* l. c. 341.

Henr. *Bodo*, in coenobio clufano prope Gandershemum monachus benedictinus, attigit tempora reformationis euangelicæ. H. *Meibom* 509. *Leibnitius* Introd. in fcript. rer. brunsvic. T. II. 30. *Neu* l. c. 301.

Io. *de Polda*, ecclefiæ collegiatæ hamelenfis fenior canonicus, collegit Chronicon fuum circa A. 1374. fi non ferius, & negotia ecclefiæ fuæ apud Duces brunsvicenfes aliquoties tractavit. *Leibnitius* de Scriptor. rer. brunfv. T. II. p. 46.

III.

Godofr. Guil. LEIBNITII fcriptores rerum brunsvicenfium. Tomi III. ac totidem volumina. Hanoveræ 1707. 1710. 1711. Opus, in quo non nulla Chronica Brunsvicenfis huius, vicinarumque regionum & urbium, epifcopatuumque & monafteriorum, præfertim Oftfaliæ, res etiam Ateftinorum Longobardiæ, & Guelforum fuperioris Germaniæ, vitæ item hominum illuftrium aut Principum continentur. Singulis Tomis illuftris collector Introductionem præmifit, in qua de fcriptis hisce eorumque auctoribus, & aliis rebus notabilibus erudite differit. Et in I. quidem Tomo continentur 1) Excerpta veterum fcriptorum de populis ad Albim & Vifurgim, 2) Lex Saxonum. 3) Lex Angliorum (videlicet cifmarinorum) & Werinorum. 4) *Alfridi* Vita S. Ludgeri. Ludgerus autem primus fuit Epifcopus monafterienfis,

duoque monasteria in allodio suo fundavit, werthinense & helmstadiense. 5) Excerptum ex Litaniis rhythmicis, vitam S. Ludgeri continentibus. 6) Chartularium werthinense. 7) Poëtæ saxonis Annales CAROLI M. qui quidem & a *Reineccio* sunt editi; sed hic recensiti ex authentico codice membranaceo bibliothecæ academiæ Iuliæ. 8) (*Uffingi*, monachi werthinensis) Vita S. Idæ, coniugis Ecberti Saxonum Ducis sub LVDOVICO Pio, cuius in bona & honores Ludolfus ex parte successit. 9) Translatio S. Pusinnæ. Nimirum eius corpus ex Gallia ad Hervordiam Westfaliæ translatum est cura abbatissæ Hadwidis, natæ, ut videtur, ex filia Ecberti & Idæ. 10) Legenda de martyribus in Ebbekestorp (Ebsdorf est monasterium in ditione luneburgensi) reconditis. A Normannis illi occisi fuerant. 11) Fragmentum ex martyrum in Ebbekestorp quiescentium passione. 12) Supplementum hiatus Annalium fuldensium. 13) Vita B. Mathildis, reginæ Germaniæ, coniugis HENRICI Aucupis. 14) Summa capitum, ex quibus constant III. libri Widukindi corbeiensis, qualis legitur in codice antiquo bibliothecæ casinensis. 15) Variæ lectiones ex Widukindi codice archivi electoralis dresdensis. 16) Historiæ Witichindi, editæ Basileæ apud Io. Hervagium anno 1532, Collatio cum MS. bibliothecæ casinensis. 17) Litaniæ binæ in Corbeia Saxoniæ usurpatæ, & altera quidem sub Ludovico Pio Imp. & Gregorio IV. Papa. Alia etiam adfertur in Introductione primi huius Tomi p. 9. 18) Incerti autoris Carmen in laudem Berengarii augusti. 19) Translatio reliquiarum corporis S Epiphanii ex Italia in Hildesheim. 20) De fundatione quarundam Saxoniæ ecclesiarum a temporibus Caroli M. ad Ottonem. 21) *Odilonis*, abbatis cluniacensis, Vita S. Adelheidis Imperatricis, uxoris Ottonis M. 22) *Rotgeri* Vita D. Brunonis, colon. archiepiscopi, fratris Ottonis M. 23) Testamentum D. *Brunonis*, cum eiusdem Epitaphio. 24) Testimonium de domino Brunone ex Vita *Gerardi*, abbatis broniensis. 25) Narratio de translatione S. Evergisli, coloniensis olim episcopi, ex Tungrensi urbe ad metropolin, procurata a Brunone. 26) *Sigeberti* gemblacensis Vita Theodorici I. metensis episcopi ex stirpe Witikinden. 27) Monachi brunwillerensis (Brunwiller autem est tractus inter Erpam Rhenumque fluvios) Narratio de Palatinis Rheni, Ehrenfrido seu Ezone & Mathilde, eorumque filia B. Richeza, Regina Poloniæ,

niæ. 28) *Ditmarus* reſtitutus, ſeu libri IIX. de geſtis Saxonum. Emendati, ſuppletique ex codice bibliothecæ Ieſuitarum antverpienſium. 29) Vita Ditmari. 30) *Adelboldi* Vita Henrici S. Imp. Imperfecta quidem, ſed quæ ex Ditmaro ſuppleri poteſt. 31) *Tangmari* Vita S. Bernwardi, XIII. hildesheim. epiſcopi. 32) Narratio de canoniſatione & translatione S. Bernwardi. 33) Compendium vitæ S. Bernwardi. 34) Vita S. Godehardi, epiſcopi hildeshemenſis. 35) Hiſtoria canoniſationis S. Godehardi & translationis eius corporis. 36) Vita Meinwerci, epiſcopi paderbornenſis, ex ſtirpe Witikinden. 37) *Egberti* Vita B. Heimeradi, presbyteri & confeſſoris. 38) Pontifices romani, gente Saxones. Atque hinc probari poteſt, CLEMENTEM II. Papam ex Dynaſtis de Horneburg, qui olim in Saxonia, ipſisque Brunsvicenſium finibus floruere, genus duxiſſe. 39) *Guilielmi* Apuli ſive Apulienſis Hiſtoricum poëma de rebus Normannorum, in Sicilia, Apulia & Calabria geſtis, uſque ad mortem Guiſcardi Ducis. In quo non nulla inſignia narrantur de Azone Marchione, Brunsvicenſium atque Eſtenſium progenitore, eiusque filio Hugone. 40) *Donnizonus* Vita Mathildis, carminice. Mathildis hæc paſſim videtur doctis ex eadem cum Eſtenſibus origine proceſſiſſe; eademque nupſit Guelfo, Azonis prædicti (ex filio) nepoti: & hinc bona eius ad Guelfos mox pervenere. 41) Vita eiusdem Mathildis, oratione ſoluta. 42) De S. Autore, & translatione reliquiarum eius in regionem brunsvicenſem. 43) *Reinhardi*, reinehuſenſis abbatis, opuſculum de familia Winzenburgenſi, & Reinhardi epiſcopi halberſtadienſis. Ex eadem familia creditur ortus Hugo de S. Victore. 44) Imperatorum ab Henrico Aucupe ad Henricum V. res præclare geſtæ. 45) Annales hildenshemenſes ab A. C. 714. ad annum usque 1138. 46) Chronicon Epiſcoporum hildenshemenſium. Hoc, & ſequentia VI. ſcripta ſunt *Eggehardi*, ſive *Eckardi*, abbatis uragienſis. Vrag autem in diœceſi eſt wurzburgenſi. 47) Excerpta ex Necrologio hildeshemenſis eccleſiæ veteri. 48) Indiculi confraternitatum & epiſcoporum hildeshemenſis eccleſiæ. 49) Nomina archiepiſcoporum & epiſcoporum, qui primum in hildeshemenſi eccleſia cathedrali canonici fuerunt. 50) Excerpta ex libro donationum, eccleſiæ hildeshemenſi factarum. 51) Fragmentum de reliquiis quibusdam eccleſiæ cathedralis hildeshemenſis. 52) Catalogus epiſcoporum hildeshemen-

mensium. 53) Versus antiqui de Vicelino, episcopo aldenburgensi, seu lubecensi. 54) Compendium vitæ & translationis Vicelini. 55) Chronicon *vveingartensis monachi* de Guelfis Principibus. 56) Eiusdem Chronicon a C. N. usque ad annum 1195. 57) Arbor genealogica, præfixa antiquo Codici membranaceo MSto Historiæ de Guelfis Principibus. 58) Ladislai *Sundheimii*, ex opido Ravensburg, canonici viennensis, Familia Welforum. 59) Othonis *Morena* & *Acerbi*, Othonis filii, rerum Laudensium tempore Friderici Ænobarbi Historia. In qua Henrici Leonis & aliorum insignium virorum icones verbis exhibentur ab eo, qui ipsos vidit. 60) Chronicon Stederburgense, auctius ex authentico codice; eique inserta *Gerhardi* præpositi de Henrici Leonis postremis rebus gestis Historica narratio. 61) Excerpta ex narratione de Godeschalci visionibus. Fuit is in Henrici Leonis exercitu. 62) Excerpta ex Rogerio *Hovedeno*. Hic auctor multa, & eximia habet in rem præsentem. 63) *Gervasii* Tilberiensis Otia imperialia, ad Ottonem IV. Imp. Antehac non nisi Excerpta prodierunt, nunc autem totum exhibetur opus. Adde Tomi II. numerum XLVII. p. 751. 64) Variæ lectiones & emendationes *Ditmari*, serius annotatæ.

In Tomo II. 1) Vita S. Conradi ex Guelfis. Fuit episcopus constantiensis. 2) Chronicon vetus Ducum Brunsvic. & Luneburgensium: a scriptore sæculi XIII. inclinantis. 3) Fragmentum genealogiæ Ducum Brunsvic. & Luneb. 4) Genealogia Ducum Brunsvic. illorum, qui Eimbeck, Osterrot, (Hamelen,) & Duderstad cum attinentiis possederunt. Adscribitur *Engelhusio*. 5) Narratio altahensis. In qua agitur de quorundam Bavariæ Ducum genealogia & incrementis, item de palatinatu Rheni in Witelsbachios translato per filiam Henrici Palatini, Henrico Leone nati. Altaha autem monasterium est in Bavaria. 6) *Maurisii* Historia dissidiorum Marchionis Estensis cum Ecelino. 7) Sententia arbitralis IOANNIS Regis Franciæ super controversia honoris inter Ottonem, Ducem Brunsvicensem, & Henricum Ducem Lancastriæ. Otto ille vulgo dicebatur Neapolitanus, vel Tarentinus; Lancastriæ autem Dux erat e stirpe regia, vir regni primarius. 8) Excerpta ex Theoderico *de Niem* & Gobelino *Persona* de gestis Ottonis Tarentini. 9) Excerpta chronologica de Ducibus Brunsvicensibus, & de reliquiis ecclesiæ collegiatæ S. Blasii. 10) Compilatio chro-

chronologica a temporibus Caroli M. ad annum 1410. 11) Chronicon Riddageshusanum, ad annum usque 1508. continuatum. 12) Duæ continuationes Chronici *Engelhusiani.* 13) *Telemonii* Ornatomontani (fortasse Tilmanni *Zierbergensis*, ludimagistri brunsvicensis) Descriptio belli A. 1493. inter Duces brunsvicenses Civitatemque brunsvicensem. 14) Excerpta ex monasterii S. Michaëlis hildeshemensis Necrologio. 15) Chronicon antiquum ecclesiæ halberstadiensis, scriptum sæc. XIII. 16) Historia Alberti II. episcopi halberstadiensis, scripta a contemporaneo. 17) Catalogus episcoporum hildeshemensium. 18) Præcepta super circumscriptione finium ecclesiæ hildeshemensis. 19) Hermanni *de Lerbecke* Chronicon episcoporum mindensium; idque nunc primum prodit. 20) Chronicon episcoporum verdensium, ad annum 1480. 21) Vita S. Swiberti, supposita *Markelmo* vel *Marcellino*, eius socio: scripta enim est a posteriore quodam. *Suvibertus* autem non fuit Verdensium primus, sed regionarius episcopus, & ecclesiam fundavit in loco ad Rhenum, qui hodie Insula Cæsaris, KaysersWerth, appellatur. 22) Relatio de canonisatione S. Swiberti, false attributa S. Ludgero. 23) Excerpta ex Io. *Rhode* Registro bonorum & iurium ecclesiæ bremensis. Fuit ille archiep. bremensis, & obiit A. 1500. 24) Chronicon Saxonum quedlinburgense. Est universale, sed Quedlinburgi fortasse compositum. Initium omissum est usque ad Valentem & Valentinianum, desinitque A. D. 1025. post mortem Henrici sancti. 25) Annales antiqui Corbeiæ saxonicæ; sed a recentioribus continuati & interpolati, finiuntque A. 1471. 26) *Rosvvitha* Carmen de primordiis cœnobii Gandershemensis. Primum editum a I. G. *Leuckfeldio* in Antiqq. gandersheim. 409. 27) Henrici *Bodonis* Chronici gandershemensis Supplementum: quod hactenus non extabat. Ipsum autem Chronicon exhibetur correctius Tomo III. p. 701. 28) Selecta ex Chronico clusino Henr. *Bodonis*. Clusinum autem monasterium prope Gandersheimium situm est. 29) Diplomata gandershemensia, aut ex iis Excerpta. 30) Narratio de monasterio S. Michaëlis in Luneburg. 31) Ott. *Kulezingii* Narratio de fundatione & translatione monasterii Sanctæ vallis in civitatem luneburgensem, 32) Chronicon cœnobii S. Michaëlis in Hildesheim. 33) Io. *Legatii* Chronicon cœnobii S. Godehardi in Hildesheim. 34) De origine monasterii

Montis S. Mariæ prope Helmstede. Fundatum est a Wulframo, abbate werdinensi & helmestadensi A. 1176. 35) de origine monasterii Mariæ fontis (MarienBorn) in diœcesi magdeburgensi. 36) Henrici *de Bernten* Chronicon Marienrodense. Quod situm est prope Hildesiam; sed iuris hanoverani. 37) Narratio de fundatione cœnobii S. crucis apud Brunsvicum. 38) Excerpta ex Ordinario ecclesiæ S. Matthæi in Brunsvic. 39) Io. *Busch* de Reformatione monasteriorum quorundam Saxoniæ. Nota, num. XLIX. p. 806. tradi Supplementa & emendationes huius scripti. 40) Narratio de basilica goslariensi, eiusque præpositis. 41) Io. *de Polda* Chronicon ecclesiæ hamelensis suppletum. 42) Excerpta historiarum memorabilium Cæsarii *Heisterbacensis*. De rebus videlicet Ottonis IV. Imp. & contemporaneis. 43) Disputatio carmine conscripta inter Romam & Papam de Ottonis IV. depositione. 44) Chronicon ecclesiæ goslariensis SS. Simonis & Iudæ, cum recensione reliquiarum. 45) Chronica Slavorum *Helmoldi* & *Arnoldi*, cuius operis magna pars de rebus Henrici Leonis agit. Prodiere etiam cum Notis Henr. *Bangerti*, & præfatione Io. *Molleri* A. 1702. 46) Loca in Herm. *Corneri* Chronico inedito ex Helmoldo & Arnoldo citata, quæ tamen apud eosdem, quales extant, vel plane non, vel aliter leguntur. 47) Emendationes & supplementa Otiorum imperialium *Gervasii Tilberiensis*: quæ studio atque industriæ R. P. Iacobi *Le Long* debentur. 48) Chronicon episcoporum hildeshemensium, nec non abbatum S. Michaëlis 49) Supplementa & emendationes in Io. *Buschii* libris de reformatione monasteriorum. 50) Designatio monasteriorum congregationis bursfeldensis. Bursfelda in hanoverana ditione sita est, sed monachis hodie destituta; nomen tamen retinet Congregatio, multa per Germaniam & Belgium. Vide *Leibnitium* nostrum Introd. T. II. 40. 51) Chronicon Theoderici *Engelhusii*; prope tertia parte auctius illo, quod edidit Maderus, a C. M. ad annum usque Christi 1423. In Tomo II. *Conclavis nov. libror.* p. 224. memoratur, Christianum quoque *Ezechielem*, rectorem scholæ Bernstadiensis edendum habere hoc Chronicon, Maderiano longe locupletius; cumque continuatione *Døringii* ad annum usque 1490.

In Tomo III. 1) Chronicon Principum brunsvicensium rhythmicum: sermone vernaculo, tum saxonica, tum alia dialecto scriptum

ſcriptum tempore Henrici Mirabilis, & Alberti II. fratris eius. 2) Apographum tabulæ vernaculæ, in baſilica S. Blaſii brunsvicenſi ſuſpenſa, de rebus Ducum Brunsvicenſium. 3) *Eberhardi* presbyteri de fundatione & incrementis gandershemenſis eccleſiæ Verſus ſaxonici antiqui. Deſcriptio hæc producitur uſque ad tempora Henrici ſancti Imp. & auctor ſua depromſit ex chronico illius eccleſiæ latino antiquo. 4) Chronicon luneburgicum vernacula Saxonum (inferiorum) dialecto, ab initio Ducatus luneburgici ad annum 1421. 5) Excerpta Chronici Herm. *Corneri*, ab anno 1371, ad urbem Luneburgicam pertinentia, cum continuatione ad annum 1466. 6) Alia continuatio Herm. *Corneri*, ab anno 1435. ad annum 1438. dialecto ſaxonica. 7) Fragmentum Chronici bardevicenſis, dialecto ſaxonica. 8) Narratio vetus de Ducis Magni iunioris, vulgo Torquati, fatis, dialecto ſaxonica. 9) Notitia quædam rei nummariæ luneburgicæ, hamburgenſis, & lubecenſis, ab A. 1325. ad annum 1525. 10) Henr. *Lange* de origine controverſiæ Prælatorum luneburgicæ; circa medium ſæculi XV. dialecto ſaxonica. 11) Ode ſaxonica brevis, & Carmen ſaxonicum longius, de bello hildeshemenſi anni 1519. quod vocabant de Stiftiſche fehde. 12) Fragmentum Chronici hildeshemenſis, vernaculo Saxonum ſermone ſcripti. 13) Io. *Stadvvegii* poppendicenſis Chronicon vernaculum: a Pipino Rege (anteriora enim ſtudio omiſſa ſunt) uſque ad A. D. 1441. 14) Conr. *Bothonis*, civis brunsvicenſis, Chronicon brunsvicenſe picturatum, (ſic dictum ob figuras xyloglypticas, magnam tamen partem vanas & inutiles) dialecto locali conſcriptum, & finem ponens in anno Domini 1489. 15) Chronicon breve Principum romanorum, qui Goslariæ aut in vicinia egerunt, & eccleſias privilegiis ornarunt, finem faciens in anno tertio Adolphi, Regis Romanorum. 16) Catalogus vernaculus reliquiarum Eccleſiæ collegiatæ goslarienſis, des Münſters. 17) Antiquiſſimæ legis municipales civitatis Brunsvicenſis. Videntur confectæ tempore Ottonis I. Ducis Brunsvic. 18) Ordinarius Senanatus brunsvicenſis, iuſſu ipſius conſcriptus A. 1408. 19) Antiquæ leges municipales Cellenſes, A. 1301. 20) Leges municipales civitatis imperialis Goslarienſis. 21) Leges metallicæ Montis Rammelii prope Goslariam; quales in uſu erant circa medium ſæculi XV, 22) Chronica S. Ægidii in Brunsvic, uſque ad A. 1474. qui

D 2 liber

liber vocatur Compilatio chronologica. 23) Hen. *Hagen* Syllabus abbatum werthinensium & helmstadiensium. 24) *Vffingi*, monachi werthinensis, Carmen in laudem Werthinæ. 25) Werneri *Rolevinckii* de antiquorum Saxonum situ & moribus libri III. 26) Additiones & emendationes ad Vitam B. Mathildis, Reginæ Germaniæ. 27) Emendationes & supplementum Chronici *vveingartensis monachi* de Guelfis Principibus. Vide T. I. 781. 28) Excerpta de Guelfis, & Viti *Arnbeck* Chronica Bavarorum inedita. 29) Narratio belli, quod Magnus iunior, Dux, eiusque filii cum Luneburgensibus gesserunt, a cive, ut apparet, brunsvicensi, saxonico idiomate conscripta. 30) Excerpta ex Collectaneis poëticis Theoderici *Blockii*, brunsvico-hildeshemensis medici, circa finem sæculi XV. florentis. 31.) Chronologia Abbatum ilsineburgensium. Monasterium hoc fuit ad hercynios montes diœcesis halberstadensis. 32) De origine & abbatibus monasterii Luccensis, in territorio hanoverano. 33) De abbatibus S. Michaëlis luneburgensis. 34) Henr. *Bodonis* Syntagma de ecclesia gandersheimensi. Quod hic correctius editur ex MSto. 35) *Arnulfi* Gesta Mediolanensium, a tempore Hugonis Regis, usque ad tempora scriptoris, h. e. medium sec. XI. 36) Excerpta ex Necrologio monasterii werthinensis. 37) Excerptum ex Chronico Andr. *Danduli*, de rebus venetis. 38) Lacuna Chronici magdeburgensis edita, ex MSto suppleta a Io. Georg *Eccardo*. 39) Legum wisbyensium ab Henrico Leone confirmatarum Præfatio. Wisby est portus insulæ Gothlandiæ. Privilegium autem Wysbiensibus datum reperies in Præf. Tomi III. p. 29. 40) Excerpta ex Chronico MS. ecclesiæ goslariensis, dialecto saxonica. 41) Leges antiquæ civitatis Luneburgensis de hereditatibus. 42) Excerpta Necrologii fuldensis. Ita ergo iam tres insignes scriptorum germanicorum conlectiones Deo opitulante recensuimus. Et sicuti Sim. *Schardius*, Io. *Pistorius*, Christian. *Vrstisius*, Iust. *Reuberus*, Marq. *Freherus*, Erpold. *Lindenbrogius*, Henr. *Canisius*, & Rein. *Reineccius* simile in colligendis & publicandis rerum germanicarum scriptoribus studium adhibuerunt, multosque præstantes libros ab interitu vindicarunt ita nostro tempore hanc operam illustris ICtus, Io. Pet. *Ludevvig* suam fecit, quando novum volumen scriptorum rerum germanicarum (de quo vide *Acta erud.* p. 289.) anno 1718. Francofurti & Lipsiæ in apricam lucem

pro-

produxit, daturus fortasse plura, si Deus vitam & otium, quae historiae patriae aestimatores ex animo adprecantur, indulserit.

Altfridus, tertius Monasteriensium in Westfalia episcopus, obiit A. C. 849. *Voss.* de Histor. lat. l. 2. c. 35. p. 101.

Vffingus, qui & *Vffo frisius*, monachus werthinensis, a Io. *Ciminnio* vir multae eruditionis & elegantiae dictus, claruit sub Ottone II. saec. X. *Voss.* 113. *Leibnitius* Praef. in Tom. III 20.

Odilo, cluniacensis abbas, Vitam S. Maioli, antecessoris sui, victuris mandavit chartis, a *Fulberto* monachorum archangelus vocatus, primusque monachis suis praecepit, ut IV. Non. Novembris memoriam celebrarent omnium defunctorum: (qui ritus postea auctoritate Papae comprobatus est) obiitque A. 1048. aet. 77. *Voss.* 117. *Leibnitius* Praef. in T. I. 11.

Rotgerus, aliis *Rogerus* dictus, in dioecesi coloniensi magnae dignationis, & scholarum fortasse magister, floruit temporibus Ottonis I. & II. *Vossius* 116. *Leibnitius* 12.

Sigebertus, fortasse gallus, monachus gemblacensis, Henrici IV. & V. Imp. & coniugii clericorum defensor, ideoque a Pontificiis contemtui & odio habitus, dedit Chronicon, Prosperi plumis ornatum, librum de Scriptoribus ecclesiasticis, Epistolam pro ecclesiis leodicensi & cameracensi adversus Epistolam Paschalis II. Vitas SIGEBERTI Francorum Regis, S. Guiberti confessoris, & S. Maclovii, lucisque huius usuram deposuit A. 1113. *Cave* 444. *Olearius* T. II. 162. *Cren.* Differt. II. de furib. libr. §. 76. *Pope - Blount* 371.

Ditmarus, ex inclytis Comitibus, quibus castrum waldbeccense seu Riui silvatici hereditarium erat, primum monachus coenobii S. Ioannis in urbe magdeburgensi, hinc praepositus wallibicensis, ac tandem mersburgensis in Misnia episcopus, sincerissimus *Possevino* scriptor appellatus, praematura morte abreptus est A. 1018. aet. 42. *Vossius* p. 240. *Olearius* T. I. 203. *Leibnitius* Praef. in I. Tom. p. 18.

Adelboldus, quem *Baronius* ad A. C. 1024. n. XI. Adalbertum vocat, episcopus traiectensis undevigesimus, auctoritate & gratia apud HENRICVM II. Imp. cuius vitam scripsisse creditur, valens, e vita huius mundi migravit anno 1027. *Voss* l. 2. c. 42. p. 113. *Leibnit.* p. 21.

Tangmarus, presbyter, bibliothecarius ac notarius ecclesiae

hildeshemensis, studiorum Bernwardi antehac moderator, eiusque italica in peregrinatione comes, floruit Henrici II. & Conradi II. ætate, sæculo XI. *Vossius* l. 2. c. 43. p. 114. *Leibnitius* 21.

Egbertus, trevirensis, atque ex monacho schonaugiensi abbas S. Florini in diœcesi trevirensi, claruit temporibus Conradi III. & Friderici Barbarossæ, & librum composuit de obitu sororis suæ, S. Elisabethæ, virginis schouaugiensis. *Vossius* l. 2. c. 53. p. 135.

Guilielmus Apulus, sive Apuliensis, consilio, si non imperio Vrbani II. Papæ, & Rogerii Bossi, Siciliæ Comitis, adeoque in fine sæculi XI. & fortasse etiam initio XII. Carmen suum historicum condidit. *Voss.* l. 3. c. 6. p. 241. *Leibnitius* 25. *König* 371.

Otto *Morena*, laudensis, Ottoni frisingensi æqualis, vixit floruitque medio sæculo XII, *Baronioque*, quod faveret FRIDERICI Barbarossæ Imp. partibus, altero pede claudicare dicitur. *Voss.* l. 3. c. 7. p. 245.

Rogerus *de Hoveden*, britannus, illustri genere editus, HENRICI II. Angl. Regis domesticus, posteaque in academia oxoniensi primus theol. professor, scripsit libros II. Annalium anglicanorum, Historiam Regum Northumbriæ, & Thomæ Beckeri Vitam, ab Henrico *Savilio* laudatus, ut auctor cum primis bonus & diligens, verissimusque superiorum temporum index, & claruit anno 1198. *Voss.* l. 2. c. 56. p. 141. *Cave* 481. *Labbe* de script. eccl. T. II. 301.

Gervasius Tilberiensis, sic dictus ab oppido Tilburio vel Tilberia, in tamesina ripa sito, Marte & arte clarus, Regni arelatensis mareschallus, tandemque canonicus, illustravit Historiam seu fabulas britannicas *Galfridi* monemutensis, condidit Tripartitam historiam, librum de Vita B. virginis & discipulorum Iesu, aliumque facetiarum, in gratiam HENRICI iunioris Regis Angliæ, a *Baleo* non mediocriter eruditus vocatus, ac floruit sub OTTONE IV. Imp. cui in primis gratus erat, initio sæculi XIII. *Voss* l. 2. c. 56. p. 142. *Cave* 490. *Leibnitius* 32. *König* 343. *Magirus* 387.

M. Theodericus *Engelhusius*, sive *ab Ingelhusen*, presbyter einbeccensis, Io. *Buschio* dictus Saxoniæ lumen, obiit A. 1434. *Leibnitius* præf. in Tomum II. 54. *Wharton* Append. 68. *Mader* in Præfat.

Henr. *Bodo*, clusini monasterii ordinis S. Benedicti monachus, reformationis euangelicæ, in quam acerbe invehitur, tempora attigit. *Leibnitius* Præf. in Tom. II. p. 30.

Otto

Otto *Kultzingius*, patria ullessensis, præpositus in Hilgenthal ordinis præmonstratensis, vixit floruitque A. 1383. quo, annitente in primis Alberto Duce Saxoniæ, qui Luneburgum tunc tenebat, monasterium hilgenthalense, cumque eo ipsemet Luneburgum transferebatur. *Leibnitius* Præf. in T. II. 33.

Io. *Legatius* sive *Legati*, S. Godhardi in Hildesheim, ordinis S. Benedicti monachus, stili elegantiam non admodum feliciter affectans, artisque impressoriæ recens tunc inventæ minime amicus, eamque fluxam artem vocans, floruit versus exitum sæculi XV. *Leibnitius* 36.

Ioannes *Busch*, zwollanus, primum fuit præceptor classis quintæ in schola patria, deinde presbyter ac monachus in monasterio bodingensi coloniensis diœcesis in Ducatu montensi, porro subprior monasterii S. Mariæ wittenborchensis in territorio brunsvicensi, tandemque anno 1440. præpositus monasterii S. Bartholomæi in Sulta prope Hildesiam. *Leibnitius* 40.

Cæsarius *Heisterbacensis*, Coloniæ aut in vicinia natus, distinguendus a binis aliis plane cognominibus, ex monacho monasterii Vallis ad S. Petri seu Heisterbacensis, diœcesis coloniensis, eiusdem prior, ordinis cisterciensis, vir conspicuæ suo tempore doctrinæ, sed multarum etiam fabularum narrator, reliquit libros XII. de Miraculis, Vitam S. Engelberti archiepiscopi coloniensis, Vitam S. Elisabethæ Landgraviæ, Moralitatis fasciculos, id est, homilias seu conciones morales super omnes dominicas & festa totius anni, Sermones in psalmos, & Homilias quadragesimales, atque hinc migravit anno 1237. *König* 150. *Leibnitius* 47. I. G. *Eccardus* præfat. in Leibnitii Collectanea etymolog. p. 57.

Helmoldus, presbyter & rector parochiæ bosoviensis, diœcesis lubecensis in Wagria ad Plonensem lacum, S. Wicelini, & Geroldi episcopi lubecensis primi, discipulus, Historiam huius suasu scripsit a conversione Saxonum ad Christum, & CAROLI M. rebus usque ad annum 1168. nec diu fuit superstes. *Voss.* l. 2. c. 53. p. 137. *Leibnitius* 49. *Magirus* 426. *Schurzfleisch* in Biblioth. Schrader. T. I. O 2. & disput. de rebus Pruss. in not. ad §. 6. qui Helmoldum ait optimum esse rerum slavicarum scriptorem, quamvis perperam confundat Slavos & Venedos.

Arnoldus, monasterii ordinis S. Benedicti ad D. Ioannis apud

pud Lubecenses abbas, Helmoldi continuator usque ad annum Domini 1209. in rebus slavonicis fide dignior, quam in iis, quæ ad Italiam, Siciliam, & Græcorum gesta spectant, floruit sæc. XIII. Helmoldus & Arnoldus stilo sunt consimiles; sed ille gravior & veritatis studiosior, hic, barbarie non tam in verbis, quam in rebus, ac superstitione ipsa magis magisque ingruente, in fabulas pronior. *Voss.* l. 2. c. 55. p. 140. *Leibnitius* Præf. in T. II. 49. *Olearius* P. I. 81.

M. Herm. *Cornerus*, lubecensis, alius quam Hermannus Aedituus, familiæ dominicanæ monachus, & doctor theologiæ, scripsit Chronicam novellam: cuius priora ex fide dignis, ut ait, auctoribus depromsit, novissima autem ex certa rerum fide ipse supplevit, vixitque clarus sæc. XV. *Leibnitius* præfat. in Tomum III. 52.

Henricus, an Henningus? *Hagen* ante religionis reformationem scripsit, in illam ipsam autem acrius invectus est: quod tempori isti condonandum. *Leibnitius* 20.

Wernerus *Rolevinck* sive *Rolfinck*, de Laër, westfalus, monachus coloniensis ordinis carthusiani, produxit Qq. XII. pro S. theol. studiosis, Paradisum conscientiæ, & Fasciculum temporum a C. M. usque ad annum 1480. (quem Io. *Linturius* continuavit usque ad annum 1514) obiitque A. 1502. *Voss.* l. 3. c. 6. p. 177. *Leibnitius* 20. *Olear.* P. II. 141.

Vitus *Arnbeck*, landeshudanus, presbyter frisingensis, Historiam bavaricam latine & germanice non indiligenter tractavit, & claruit sub Duce Georgio Divite, ingolstadiensis academiæ fundatore, qui decessit anno 1501. *Leibnitius* 23.

Arnulfus, pronepos fratris Arnulfi archiepiscopi, qui tempore Ottonis Magni in cathedra mediolanensi sedit, ob antiquitatem & res, quas scripsit, auctor minime spernendus, nominis celebritatem nactus est sub HENRICO IV. Imp. *Voss.* l. 2. c. 47. *Leibnitius* 26.

Andr. *Dandulus*, patricius venetus, & anno 1332. æt. 36. ad dignitatem ducalem evectus, cuius *Petrarcha*, *Blondus*, Bern. *Iustinianus*, *Sabellicus*, *Leander*, *Cuspinianus* & alii, cum honore, ceu fas est, mentionem faciunt, Chronicon suum, quamvis & italice exstet, latino scripserit idiomate. *Voss.* 250. *Lexic. univ. hist.* T. II. 801. Pet. *Iustinianus* lib. IV. dell' Histor. venet. p. 112.

IV.

IV.

Olai MAGNI Hiſtoria de gentibus ſeptentrionalibus. Romæ 1555. Recuſa Antverpiæ anno 1558. Baſileæ anno 1567. & Francofurti A. 1618. ſicut antea prodierat Venetiis anno 1539. Atque hic meus codex a Michaële *Von Kaden* I.V. Doctore pervenit ad ſereniſſimum Principem *Iulium*, Ducem Brunſv. ac Luneb. qui ſymbolum & nomen ei ſuum appinxit hoc modo:

Aliis inſerviendo conſumor.
Iulius D B. & L.
17. *Iuli Anno* 1567.

Auctor in hiſtoria iſta, cuius ſunt XXII. libri, verba facit de populorum ſeptentrionalium diverſis ſtatibus, conditionibus, moribus, ritibus, ſuperſtitionibus, diſciplinis, excerciciis, regimine, victu, bellis, ſtructuris, inſtrumentis, ac mineris metallicis, nec non univerſis pene animalibus in Septentrione degentibus, eorumque natura, & ſingulis fere narrationibus præmittuntur icones ſive figuræ. Sub finem libri exhibetur 1) Concordantia vocabulorum italicorum ac gothicorum. 2) Vocabula latina cum vulgaribus gothicis concordantia. 3) Sermones italici ac gothici in idem tendentes. Ex his multorum vocabulorum italicorum origines multo planius ac felicius diſces, quam ſi vel Latinorum vel Græcorum quercum excutere labores. Et ſicut curioſus eſt liber, ita e latina in alias linguas translatus fuit, videlicet in germanicam, belgicam & anglicam. Nec eius Epitome ſive Breviario deſtituimur: dedit enim illud Corn. *Graphens*, ſuo nomine *Skriver*, aliis *Scribarius* dictus, Antverpiæ A. 1562. quod ibidem recuſum A. 1586, Ambergæ 1599. & Lugduni Batavorum 1652.

Olaus *Magnus*, ſuedice *Store*, lincopenſis gothus, Ioannis archiepiſcopi upſalienſis & Primatis Sueciæ germanus, initio Præpoſitus ſtregnenſis, deinde fratris in exilio religionis cauſa ferendo ſecretarius, & comes individuus, eiusque in archiepiſcopatu a PAVLO III. creatus ſucceſſor, ſed non admiſſus ad uſumfructum ſedis ſuæ, adhuc tamen canonicus ædis Lambertinæ leodienſis, Concilio tridentino interfuit iuſſu creatoris ſui, certos ei aureos ad victum quotidianum largientis, ac poſtea Romæ in xenodochio S. Brigittæ uſque ad finem vitæ altus ac ſuſtentatus eſt. Vt autem vitæ miſeriam falleret, ſtudiis dabat operam, & hinc

non tantum præsens opus composuit, posterisque reliquit, sed etiam Epitomen revelationum S. Birgittæ sive Brigittæ, & Tabulam terrarum septentrionalium. De Historia eius gentium septentrionalium varia quidem dantur eruditorum iudicia; præponderant tamen faventes, interque eos *Conringius*, *Boeclerus* & Thom. *Bartholinus*, qui eum pro scriptore non ita, ut vulgo creditur, fabuloso habent. Et ipse *Olaus* in Præfat. seu dedicatione ad Adolphum a Schowenborg, Archiepiscopum colon. & Electorem Principem, *nihil a se relatum ait, tam de rerum naturis, quam gentium ritibus, quin irrefragabilium auctorum testimoniis firmissime confirmetur.* Vide omnino Io. *Schefferum* in Suecia liter. p. 26. & Io. *Mollerum* in Hypomnemat. ad illam p. 367.

V.

Wolfgangi LAZII de Gentium aliquot migrationibus libri XII. cum multis figuris. Francofurti 1600. Editio prioribus, basiliensibus puta A. 1564. & 1572. purgatior. Ex bibliotheca Herm. Conringii. In quibus præter ceteros populos, Francorum, Alemannorum, Suevorum, Marcomannorum, Boiorum, Carnorum, Tauriscorum, Celtarum, atque Gallogræcorum primordia & posteritas, quæque ex his insigniores Principum, Comitumque ac Nobilitatis totius pene Germaniæ, Latiique & Galliæ stirpes processerunt, explicantur. In Præfatione sive dedicatione ad Io. Iac. Fuggerum de instituto suo differit auctor, gentem Fuggerorum dilaudat, seque contra iniquos defendit adversarios, fassus interim, fieri potuisse, ut hic & illic hallucinaretur: nam nec industrios peritosque sagittarios scopum semper tangere.

Pag. 526. Witikyndus secundus, primus ædificavit Withyn, *quod hodie Witenberga* nuncupatur. | Withyn sive Wetinum *falso statuitur Witenberga*. I. I. *Mader* præfat. in Chron. Montis ser. 14.

Wolfg. *Lazius*, viennensis, qui puer XIV. annorum græcos auctores legere sciebat, præter medicam, quam exercebat & docebat, artem, studio antiquitatum, in primis historiarum, deditus, atque a FERDINANDO I. Imp. æstimatus, nobilitatis honore ac privilegiis ornatus, atque in numerum Consiliariorum cooptatus,

tus, magna cum laude Viennæ vixit Austriæ, scripsitque Rerum viennensium commentarios, Genealogiam austriacam, de Rebus græcis libros II. Commentarios Reip. romanæ in exteris provinciis bello acquisitis constitutæ, Chorographiam Pannoniæ, Tabulas Imperatorum in ære exstantium, & alia, denatus anno Christi 1555: ætatis 51. Cum iudicio tamen legendæ sunt eius commentationes, quia sæpe fabulas immiscet, incertas & confusas genealogias tradit, atque in historia romana accusatur plagii. Melch. *Adamus* in Vit. Medicor. 137. *Frisius* Epit. Biblioth. Gesner. 824. *Cren.* Method. T.II.130. *Feller* Monument. inedit. p.419. *Richard.* Hist. biblioth. cæs. vindobon. 35. A *Scaligero* in Scaligeran. p. 232. paullo acerbius tractatur, ut compilator & corrasor, qui omnia sine iudicio imprimenda curarit; sed *Thuanus* ad A.1555. p. 320. eum laudat, ut rerum græcarum, romanarum & germanicarum non indiligentem scriptorem, quod præclara eius monumenta apud posteritatem testentur: item patriæ suæ illustratorem vocat, & antiquitatis solertem indagatorem. Audiendus tamen est etiam *Morhofius* Polyh. T. III. p. 21. scribens: De migrationibus gentium omnia sunt imperfecta: nam Wolfg. *Lazius*, qui hoc argumentum sibi sumpsit, *plane a scopo politico dilabitur*; cur autem? quia caussas mutationum & excidiorum non e politicis rationibus deducit. Et G. H. *Ursinus* in Onomastico german. græco (Actor. erud. A. 1690. p. 469.) notat, eum hoc in opere pessime describendo corrupisse bonas voces græcas, multasque admiscuisse græcobarbaras, quasdam ipsummet confinxisse, nonnullis etiam significationem affinxisse plane falsam.

VI.

Io. AVENTINI Annalium Boiorum libri VII. Ingolstadii 1554 Quæ editio ut optima laudatur a nobiliss. viro, H. D. *Meibomio* orat. de genuin. Hist. germ. fontib. 39. Recusi autem sunt Basileæ A. 1580, 1651. Francof. 1627. Eosdem de novo cum accessione Abaci Aventin. & Fran. *Guillimanni* Helvetia, suaque præfatione dedit illustris N. H. *Gundlingius*, Lipsiæ A. 1710 de qua vide *Bibliotheca nova* T. I. 651. & *Betulii* seu I. H. Burchardi Epist. ad amicum de Relat. itiner. C. H. E. D. p. 5. Ipse etiam Aventinus historiam suam germanice reddidit, eaque primum prodiit Francofurti A.

 1566.

1566. recusa A. 1622. Neque tamen credendum, vel germanicam istam, vel Cisnerianam esse auctiorem. *Biblioth. nova* T. I. 660. Complectitur autem hoc opus historiam non tantum bavaricam, sed totius etiam Germaniæ a mundi diluvio usque in A. C. 1460. estque omnibus illis, qui Germaniæ res nosse cupiunt, post *Lehmanni* Chronicon spirense diligenter legenda. *Neu* in Mantissa ad Deg. Wheari Relect. hiemal. p. 25. Præmittuntur huic libro Hier. *Ziegleri*, in acad. ingolstadiensi Poëf. professoris, (cui a superiori Potestate cura edendi demandata fuit) Epistola dedicatoria, eiusdemque Præfatio, & Catalogus vocabulorum quorundam germanicorum, ab Aventino duriuscula latinitate donatorum, item doctissimorum ad illum Epistolæ, denique Vita Aventini ab eodem scripta *Zieglero*.

Pag. 36. Regni babylonici, quod & Assyriorum, atque a Nimrodo conditum est, primordio, *Tuisco* Gygas pater Germanorum & Sarmatarum, *cum XX. ducibus*, Sami fratris sui nepotibus, ex Armenia venit in Europam.	Hæc depromta sunt *ex pseudo-Beroso*. Et Tacitus *Tuistonem* vocat, qui hic Tuisco dicitur. C. S. *Schurzfleisch* Epp. select. p. 686.
P. 93. Augustam -- quidam *falso Vindelicorum* cognominant.	Immo *recte*. Ægid. *Tschudus* in Epp. Goldasti p. 229. Aliquoties etiam notatur Aventinus a Mar. *Welsero* in Opp.

Ioannes *Aventinus*, (sic dictus a Superioris Bavariæ urbe patria Abensperg, quæ latine non tantum Abusina, sed etiam Aventinium dicitur, ubi natus est A. 1566) cuius gentilitium nomen erat *Thurnmaier*, quod ipse mutavit in *Duromarum*, vocans se in Rudimentis grammaticæ Io. Aventinum Duromarum, artium Magister parisiensis, mathesin & philologica atque historias Viennæ, Cracoviæ, aliisque in locis prælegit, dehinc constitutus præceptor *Ludovici* & *Ernesti* fratrum, Bavariæ Ducum, qui postea viri facti, una cum *Gulielmo*, itidem Bavariæ Duce, scribendi Annales provinciam ei imposuerunt. Materiam horum Annalium ex omnibus Bavariæ tabulariis & X. libris Germaniæ illustratæ collegit, inque iis conscribendis diligentiam & fidem

dem singularem adhibuit, ita ut merito apud orbem eruditum magnam iniret gratiam. Conflictandum quoque ei fuit cum tenui & adversa fortuna, (nam nec laute vivere potuit, & in carcerem fuit coniectus A. 1629. non ob liberiora quædam & acerbiora, quæ contra Bavariæ Duces effutiverit, sed ob hæreseos, a qua tamen immunis erat, fraudem; licet enim cum Protestantibus quibusdam, ipsoque etiam Phil. Melanchthone, familiaritatem coleret, a sua tamen religione minime recessit, celebratus in Epitaphio, quod Ratisbonæ ad S. Emerani visitur, veræ religionis amator) nec non cum uxore, quam sexagenarius duxit, rixosa & malorum morum, ac tandem obiit A. 1534. æt. 68. Eruditorum de eo iudicia huic præmissa sunt operi, aliaque collegit *Magirus* p. 89. Videantur etiam, qui itidem de eo agunt, *König* 71. Melch. *Adam*. Memor. philos. 75. *Gerhard*. Conf. cathol. 12. *Rupert*. in Synops. hist. Besoldi c. 18. p. 666. vel 597. I. *Saubert*. in Mirac. aug. conf. 85. *Leibnitius* præfat. in Adlzreiteri Histor. bavar. (in *Actis erud*. A. 1711. 57.) *Olear*. Biblioth. S. part. I. 94. *Zscackwitz* Prolegom. in Introd. in Ius publ. 35. *Biblioth. Schrader*. P. I. 115. Scripsit etiam, præter dicta Grammaticæ rudimenta, Explicationem veterum consuetudinis numerandi per manus digitosque, Annales schirenses (nisi forte hi sunt VIImus Annalium Boiorum liber) & de Origine Saracenorum.

VII.

Alb. KRANTZII Metropolis, seu Historia ecclesiastica. Eiusdem Wandalia, item Dania, Suecia, & Bellum dithmarsicum, cum Christiani *Cilicii* Descriptione belli dithmarsici, A. 1559. gesti, quo Dithmarsi in Principum potestatem venerunt, p. 423. Iac. *Ziegleri* Schondia, p. 473. & CHRISTIERNI II. regis Daniæ crudelitate erga Proceres Sueciæ & populum holmensem. p. 498. Francofurti 1590. Editio accuratior & emendatior. Metropolis, nomen suum ab Hamburgo, ecclesiarum saxonicarum metropoli, mutuata, complectitur historiam ab imperio Caroli M. seu A. 780. ad sæculum XVI. seu annum 1504. in eaque agitur de ecclesiis a Carolo M. institutis, vel instauratis. Io. *Moller* Isag. ad histor. cimbr. P. I. 103. Compendium eius quoddam exstat in præfat. auctoris.

Metropol. lib. I. c. 6. p. 6. Verdæ consecratus est iussu Regis (Caroli M.) episcopus Swibertus, professione monachus, *Abbas, natione Anglicus.*	Suidbertus, monachus Angliæ benedictinus, Frisiorum, Cimbrorum & Saxonum apostolus, tandemque episcopus ad Rhenum werdensis, floruit circa confinia sæculi VII. & IIX. diuersusque est ab eo, *quem Carolus M. anno Christi* 786. *ecclesia verdensi ad Alleram episcopum præfecit*. Io. *Meller* de homon. 625.
Wandalia, de *Wandalorum* origine &c.	*Vendia*, de *Vendorum* origine &c. Nam perpetuo hic Vendia & Vendi cum Wandalia & Wandalis confunduntur. C. S. *Schurzfleisch* disp. XXIX. de vita ALBERTI III. p. 105.

Alb. *Krantzius*, hamburgensis, Theol. & Decretor. doctor, canonicus, lector facundissimus doctissimusque, & olim decanus, morum ac virtutum specimen & exemplar, patriæ decus, præter Historias in versibus etiam, atque, ut tunc ferebant tempora, dicendi genere excellens, obiit Hamburgi A. 1517. mortique vicinus, lectis Lutheri contra indulgentias scriptis, dixisse fertur: *Vera quidem dicis, bone frater, sed nihil efficies. Abi in cellam tuam, & dic: Miserere mei, Deus.* M. *Adam.* in Vitis philosoph. p. 33. Nonnullis dicitur compilasse Adamum bremensem, Helmoldum, Theodericum Niemium & Gobelinum Personam, nec semper bona fide ex aliis sua hausisse. H. *Meibom. senior* apud Magirum p. 497. & *iunior* in præfat. Rer. german. huiusque fil. H. D. in orat. adit. 34. Autor *Histor. Flagellantium* p. 294. & *Schurzfleisch* disp. de Reb. slavic. §. 4. Sed eum defendit Io. *Moller* l. c. p. 111. Adde *Chytræum* in proœm. Chron. saxon. p. 12. *Voss.* de Histor. lat. p. 201. *Whearum* 156. *Neu* in Accessionib. 306. ac *Olearium* Biblioth. script. eccles. 427. De vita Krantzii exstant Oratio Sim. *Pauli*, & Descriptio Ott. *Sperlingii*: sed non facile reperiuntur. Denique observandum, eum quoque scripsisse Saxoniam, sive libros XIII. de Saxonicæ gentis origine & expeditionibus, Cardinalemque *Bonam*, qui in Notitia au-

ctorum

ctorum Tomo III. (c) 2. eius facit mentionem, notas marginales tribuere, ut vocat, Sectariis.

Sub Christiani *Cilicii* larva latet Henr. *Ranzovius*, Eques holsatus, Ioannis trium Daniæ Regum in Ducatibus cimbricis vicarii filius, & ipse postea trium etiam Daniæ Regum in Cimbria vices gerens, eorumque a consiliis sanctioribus, pari cum patre litterarum æque ac armorum gloria illustris, A. 1599. Kal. Ian. æt. 73. defunctus, sicut observarunt *Placcius* de pseudon. 183. Io. *Moller* P. I. Isag. ad Histor. Chersón. cimbr. p. 108. & 140. & P. II. 630. *Mencke* de Charlataneria erud. 25. & Nic. Pet. *Sibbern* Biblioth. histor. dano-norveg. 188. Plura de illustrissimo hoc Ranzovio, eiusque vita, studiis, libris, prædiis & encomiis dabunt Pet. *Lindenberg* in præfat. in Hypotypos. & Georg. Lud. *Frobenius* in Epp. Ranzovii; de quibus iterum vide *Mollerum* l. c. 227. 230. Adde, sis, *Wechelum* in ep. dedicat. Scaligero de Emend. temp. præfixa, *Kœnigium* 677. & *Crenium* Methodor. T. III. Inter libros eius sunt Astrologia, Certitudo astrologicæ scientiæ, Catalogus virorum excellentium in arte astrologica, de Annis climactericis, de Conservanda valetudine, Diarium, seu calendarium romanum.

IIX.

Dav. CHYTRAEI Chonicon Saxoniæ & vicinarum aliquot gentium. Lipsiæ 1593. Ex bibliotheca D. Iac. *Schopperi*. Est continuatio Crantzii, & comprehendit res gestas ab anno 1500. ad annum usque 1593. continuatum autem postea fuit ad annum 1601. Et C. S. *Schurzfleischius* continuare id potuisset in iis, quæ sub titulo Saxoniæ Vandaliæque editurus erat, ut ipse memorat Epp. selectar. p. 314. Laudatur hoc Chytræi opus a *Conringio* de Antiquiss. statu Helmstad. & vicin. p. 114. ut perquam præclarum & longe utilissimum, atque auctor eius vocatur polyhistor maximus, sicut ab Henrico *Meibomio* Irmensul. saxon. c. 12. p. 26. rerum saxonicarum scriptor diligentissimus. Quibus adde H. D. *Meibomium* Orat. aditial. p. 47. Et ipse auctor, si & eum lubet audire, sub finem Præfat. ait: Ego quidem vere adfirmo, me bono & simplici studio, in nullius hominis gratiam vel odium præsentem hanc Chronici Sylvam collegisse. Vbi notabis, modestiæ eius tribuendum, quod librum suum non Chronicon, sed *Chronici Silvam*

vam appellat. Ceterum in Præfatione agit auctor de religionis ac regnorum memorabilibus, familiarumque mutationibus, quæ contigerunt sæculo XVI. in Prooemio autem de Chronicorum auctore principali, & fine, ac usu, atque inter insignes historicos præcipuas partes tribuit *Herodoto*, *Thucydidi*, *Livio*, & *Guicciardino*. *Schurzfleischius* tamen disp. de Reb. slavic. §. 4. notat Chytræum nostrum, quod æque, ac *Cranzius*, Vandalorum & Vinedorum vocabula permutet.

Pag. 59. *Munire id oppidum* (Helmstadium Saxoniæ) CAROLUS, CAROLI magni filius, *adversus* Sorabos & *Vilsos bella gerens* cœperat, idque S. Ludgero, primo episcopo Monasteriensi, tradiderat, ut in populis a CAROLO subiugatis prædicanti *tutus receptus esset*. | Hæc omnia sunt *nugæ*, veritate carentes. *Conring* de antiq. Helmstad. statu & vicin. p. 116.

IX.

Cyriaci SPANGENBERGII Chronicon saxonic. (Sachsische Chronica.) Francofurti 1585. Editio correctior & auctior. Prior prodierat Islebiæ A. 1572. sub titulo Primæ partis Chronici mansfeldici; ille autem, teste *Reimmanno* P. II. de libris geneal. p. 194. in præsentem transmutatus fuit, ut liber eo facilius emtores reperiret. Agitur in eo de veteribus Germanis, Saxonibus, Suevis, Francis, Thuringis, Misenis, Vandalis, Slavis, Cimbris & Cheruscis, præcipueque respicitur ad terras Saxoniæ & Hercyniæ, & historia traditur a prima Germaniæ origine usque ad A. C. 1572. Sed hæc est tantum prima operis pars; reliquæ autem VI. quarum contenta indicantur in præfatione, desiderantur. Indicem libri confecit Bened. *Taurer*. Vid. *Neu* Access. ad Mantiss. 230.

Gerhardi DE ROO Annales, oder Historische Chronik der Durchl. Erz-Herzoge zu Oesterreich Habspurg. stammes, e latino in germanicum translati a Conr. *Decio* (germ. *Dietz*) a Weidenberg, cum multis figuris & hominum & insignium. Augustæ Vindel. 1621. Auctor eas scripserat latine, & hæc editio, quæ A. 1592. f. Oeniponte prodiit, cum tantum C. exemplaria excusa fuerint, evasit

evasit rarissima, sicut nec versionis facile dabatur copia: ut igitur damnum, quod inde sentiebat Resp. litteraria, tolleretur, novam, eamque nitidam & emendatissimam Halæ Saxonum A. 1709. 4. dedit vir boni publici studiosissimus, iamque illustri sanctioris consilii ordini a potentissimo Rege Borussorum adscriptus, N. H. *Gundlingius*: de qua *Novam* vide *biblioth.* T. I. 42. Continet autem Chronicon hoc historiam a RVDOLPHO I. usque ad CAROLVM V. Cuius contenta recenset *Struvius* Biblioth. antiq. m. Ian. A. 1705. p. 1.

Ger. *de R o*, veteraquinas, Ferdinandi Archiducis Austriæ, qui Oeniponti sedebat, bibliothecarius, obiit inter annum 1580. & 1590. *König* 700. Laudem habet scriptoris gravis & prudentis, apud *Baclerum* Bibliograph. crit. p. 327. & gravissimi cumprimis scriptoris, apud *Kriegkium* in Constitut. rei scholast. ilfeldensis p. 291. Neque prædictus *Struvius* Biblioth. histor. p. 503. dubitat de Annalibus pronunciare, eos multa prudentia & stili elegantia esse scriptos, atque accuratissimam rerum austriacarum notitiam, multis monumentis excussis, præbere.

X.

Henr. BVNTINGII Chronicon Brunsvicense & Luneburgense (Braunschweig. und Lüneburg. Chronica) Magdeburgi 1596. In quo describitur, quam præclara in his terris ante & post natum Christum opera sint peracta, quam excellentes Imperatores, Reges, Principes ac Domini, omni tempore in iis regnarint, unde potiores urbes originem & nomen suum traxerint, cum Chronico ecclesiæ cathedralis hildesheimensis. P. III. 99. Historia hæc perducitur usque ad annum 1483. in altera autem editione, eaque anni 1620. aucta & producta fuit usque ad annum modo dictum, per Henr. *Meibomium*. Cl. *Leuckfeldius* aliquot centurias notarum exemplari suo adscripsit, easque edere aliquando posset ac vellet, immo & exornare numismatibus ser. Domus Brunsvico-Luneburgicæ.

Henr. *Büntingius*, hannoveranus, primum calenbergensis, deinde grunoviensis pastor, postea Superintendens goslariensis, post remotionem ab hoc munere, quæ ob lites cum Ministerio, phrasin hanc, *coniunctionem corporis & animæ in Christo esse personalem unionem*,

 neuti-

neutiquam tolerante, decreta fuit, in patriam rediit, ibique per ſeptennium privatus vixit, defunctus A. 1606. æt. 61. Scripta eius potiora, præter noſtrum præſens, ſunt Itinerarium biblicum, Chronologia ab initio mundi ad ſua tempora, & Harmonia euangeliſtarum, conſtans III. Partibus. Inſignis fuit hiſtoricus, mathematicus & theologus, laudatus a pluribus eruditis, quorum teſtimonia in vita eius collegit *Leuckfeldius*. Quibus adde ſis *Magirum* 155. *Quenſtedium* de patr. illuſtr. viror. 237. & *Calvœrium* Saxon. inf. gentil. & chriſtian. 537. *Reimmannus* autem in Hiſt. litter. de libris genealogicis P. II. 195. narrat, Büntingium ex Spangenbergio integra capita deſcripſiſſe.

Hermanni HAMELMANNI Chronicon oldenburgicum, Oldenburgiſch Chronicon. Oldenburgi 1599. In quo antiquiſſimi Comites Oldenburgi & Delmenhorſti, a quibus auguſti Reges Daniæ, & Duces Holſatiæ deſcendunt, eorumque proſapia, facta, gubernatio, vita & exitus deſcribuntur, multæque figuræ illuſtriſſimos viros & inſignia repræſentantes adduntur. Hiſtoria hæc initium ſumit a Wedekindo magno, & terminatur in anno 1594. Cui tamen alia manus ea ſubiunxit, quæ contigerunt ab hoc tempore uſque ad annum 1599. In Dedicatione auctor hiſtorici & genealogici ſtudii utilitatem ac iucunditatem commendat, ſe contra eos tuetur, qui ipſum talia ſcribentem ab officio ſuo recedere criminabantur, & Comitem Ioannem orat, ut librum ante eius editionem per viros doctos ac peritos revidendum & corrigendum curet, licet ipſe iam tum multis in locis recognoverit & emendaverit.

Herm. *Hamelmannus*, oſnabrugenſis, theol. Licentiatus, & Superintendens oldenburgenſis, ſcripſit etiam Genealogiarum & familiarum illuſtrium libros aliquot, Hiſtoriam eccleſiaſticam renati euangelii per inferiorem Saxoniam & Weſtphaliam, peculiarem de claris Weſtphaliæ viris commentarium, (de quibus pluribus agit *Reimmannus* Hiſtor. liter. geneal. ſect. II. 173. & multa theologica, quorum catalogum, ipſius manu conſcriptum, tradit *Friſius* in Epit. biblioth. Geſner. p. 338. Addo & hoc, *Leuckfeldium* multa poſſidere Hamelmanni ſcripta inedita, nec ei denegaturum, qui iuſtum pro iis pretium ſolverit) mortalitatemque depoſuit A. 1596. æt. 71. *Quenſtedio* in Patr. illuſtr. viror. p. 206. dicitur multæ lectionis theologus: *Conringio* de antiq. Helmſtad. ſtatu p. 119.

Chro-

Chronico ſuo de rebus huius regionis bene meritus: Io. *Goëſio* weſtphalo in notis ad Chytræi Orat. de Weſtphalia, weſtphalicarum rerum peritiſſimus; quamvis addat, minus elegantem eſſe ſcriptorem: & H. D. *Meibomio* Orat. de genuin. hiſt. germ. fontib. p. 73. ob inſignem peritiam & diligentiam laudandus. Vide *Konig* 378. *Magirum* 418. *Leuckfeld.* Antiqq. gandersheim. 309. Vbbo *Emmius*, patriæ amore ductus, recens editum Hamelmanni Chronicon mox impugnavit, ſed Ger. *Giſekenius* ICtus ſequente anno, videlicet 1600. iuſſu Gerardi Comitis oldenburg. Apologiam pro Hamelmanno oppoſuit. *Neu* in Acceſſion. ad Mantiſſam de hiſtoricis particular. p. 362.

XI.

Io. LETZNERI Daſſeliſche und Einbeckiſche Chronica. (Chronicon Daſſelenſe & einbecenſe) Erfurti 1596. Eſt hiſtorica deſcriptio antiquiſſimorum Comitum & Dominorum daſſelenſium, eorumque comitatus & dominii in Saxonia, Viſurgim inter & Leinam, territorium Gottingenſe & Comitatus atque dominia eberſteinenſia & humburgica, nec non ſilvæ ſollingenſis, atque inde ſurgentium ſcaturiginum & fluviorum, & urbium Daſſeliæ atque Einbecæ: item monaſteriorum, beneficiorum, eccleſiarum, parochiarum, vicorum, & caſtellorum, antiquiſſimarumque familiarum nobilium; cum multis figuris. In Dedicatione & ipſe celebrat utilitatem hiſtoriæ, & monſtrat, quomodo iis utendum ad evellendum vitia, & exercendum virtutes, neque ſe hoc & ſimilibus ſcriptis limites tranſiliiſſe ſacri ſui officii.

Io. *Letzner*, hardeſſianus, primum leuthorſtianus, deinde, & quidem ab anno 1589. uſque ad annum 1610. quo videndi facultatem amiſit, iberenſis in Principatu grubenhagenſi paſtor, obiit tandem in pagi Strohthagen pro ſe ſuisque exſtructa domo, anno 1613. in vigilia Quadrageſimæ. Scripſit multa, in primis in hiſtoriis, atque ideo laudem conſecutus eſt patriarum antiquitatum diligentis & induſtrii indagatoris, apud Henr. *Meibomium*, eiusque pronepotem Herm. Dietericum Orat. adit. p. 69. *Conringium*, *Serarium*; *Ludewigium*, & *auctorem Candidarum cogitationum* ſuper extract. & ſcript. menſtr. p. 53. Adde, ſi lubet, *Magirum* p. 513. *Conringiana* 116. *Maderum* præf. in Engelhuſii Chronicon)(3. Iuſtum *a Dransfeld* Prodrom. monument. quorund. gottingenſ. 8. Sed iuvabit

vabit speciatim indicare alia eius scripta, quæ quidem sunt sequentia: Chronicon heynense, Chronicon corveiense, quod A. 1604. de novo prodiit Hildesiæ, sub titulo Chronici LUDOVICI Pii & monasterii corbeiensis. & Historia de S. Bonifacio, Hildesiæ edita A. 1602. Inedita autem, indice I. F. *Fellero* in Monum. var. inedit. p. 41. sunt hæc: Chronicon hildesheimense, Genealogia nobilium a Schwanring & Plesse, Genealogia Ranzoviorum, *Eckstormii* Chronicon walckenriedense, Cœna Cypriani *Mauri* episcopi ad LOTHARIUM regem Franciæ, in germanicum idioma translata a Letznero, rhythmice, & vastum opus Chronici brunsvicensis, luneburg. & gottingensis, ab initio mundi usque ad sua tempora. Hæc etiam tradidi in *Annotat.* ad Extractum Letzneri de monasterio cæsareo Regioluterensi p. 10. & seqq. sed illa ex hisce, si forte discrepant, iam velim corrigi atque emendari.

Andr. ANGELI Chronicon holsaticum, (Holsteinische Chronica) Witteбergæ 1597. Constat II. Partibus, in quarum prima describuntur Cimbriæ familiæ equestres, in altera urbes eius & oppida, unde nomina sua traxerint, quibus in locis sitæ, a quibus conditæ, & quando, atque a quibus leges & statuta sua acceperint. Cum multis figuris, & Narratione, quam fortiter Equites pariter ac civitates belli aliisque temporibus se se præstiterint, & quanta perpessi sint incendia. In Dedicatione de nobilitate disserit, docens, eam esse a Deo sive immediate, sive mediate, primum nobilem fuisse Adamum, eiusque nobilitatis codicillos extare in I. cap. Geneseos; nobilitatem autem hanc, per lapsum hominis infirmatam ac pæne amissam, post diluvium in Noa eiusque filiis restauratam, e quibus tamen Chamus feudo & iuribus nobilitatis exciderit; postea eam a Deo propagatam in Abrahamo, eiusque filiis, nisi quod Rubenus & Simeon feudo suo fuerint privati; præterea in Iosepho, Mose, Iosua, Calebo, & ceteris Iudicibus; in Saule & Davide, (apud quos tamen summæ nobilitatis sive regia dignitas non semper mansit) in Ieroboamo, Iehu, Cyro: semper fuisse homines honestos, qui nobilitatem habuerint pro divino statu, & honorifice de ea scripserint, nominatim Philonem, Plutarchum, Laërtium, Platinam, Tiraquellum, Humfredum, Osorium, Malleolum, Selneccerum, & Seb. Münsterum, suoque tempore Rein. Reineccium,

Mar.

Mar. Wagenerum, & Cyr. Spangenbergium; sed de integrarum nationum ac provinciarum nobilitate neminem, aut certe perparum; cetera extare Chronicon nobilitatis helveticæ, Pet. *Albini* Chronicon nobilitatis misnicæ, atque hosce auctores se iam imitari, saltem conari, ut imitetur.

Andr. *Angelus*, marchicus, pastor ac præpositus struthiomontanus, siue strausbergensis in Marchia media, denatus A. 1598. dedit etiam Annales Marchiæ brandenburgicæ idiomate german. usque ad annum 1596. & H. D. *Meibomius* fatetur in Oratione aditiali p. 70. eum marchicam historiam non male illustrasse. *Kœnig* 40. In narratione de Io. *Hilteno*, & quibusdam prædictionibus de interitu regni turcici, Dav. *Herlicii* vitula arasse, e Iac. *Thomasio* observat *Crenius* Differt. III. de furib. librar. p. 251.

XII.

Christoph. LEHMANNI Chronicon Spirense, germanice. Francofurti ad Moenum 1711. Editio quarta, emendata & aucta per Io. Melch. *Fuchsium*. In Chronico isto traduntur 1. origo, incrementum, regimen, privilegia & memorabilia urbis Spiræ. 2. origo & regimen Imperii germanici. 3. origo & descriptio Episcoporum spirensium. Occasionem illud scribendi dedit Wilhelmus *Eisengreinius*, spirensis, qui Dillingæ emiserat Chronicon spirense, sed multis falsis collutulatum. Huic igitur veriorem opponere narrationem studuit auctor noster, longeque plus præstitit, quam libri rubrum indicat atque promittit: exhibet enim historiam totius Germaniæ, & statum Imperii germanici graphice describit. Vtque discernere queas Additiones Fuchsii a Lehmannianis, illis in prioribus foliis manus, in posterioribus autem, præter manum, uncinuli tales ›› adpicti sunt. Datur etiam *Lehmannus suppletus & continuatus*, h. e. Acta publica Imperii romano-germanici de pace religionis, Francofurti 1709. f. quod opus recensetur in Tomo IV. *Supplem. Actor. erudit.* p. 367.

Lib. II. cap. XXXV. p. 117. Hoc apparet ex Synodo *moguntina* a Carolomanno celebrata.	Fuit Synodus *francica* siue germanica; sed qua in urbe celebrata fuerit, incertum est. Burc. Gotth. *Struve* disp. de Synodo francica p. 33.
Lib. III. cap. XXIV. p. 201. Pi-	Immo *plus quam usum fructum:*

 nam

pinus, Carolus M. Ludovicus, eorumque successores, Papæ non iurisdictionem dederunt in urbem Romam eiusque territorium, sed *usum fructum duntaxat*.

nam Carolus *exarchatum ravennensem* Papæ a Pipino donatum confirmavit: interim Imperator erat Advocatus siue Defensor Papæ, adeoque hic eius cliens. Cuius iuris si observantiores fuissent Augusti, fieri nequivisset, ut Papa fimbrias suas tam ample dilataret. C. *Thomasius* Annot. ad Pufendorf. de Monarchia spirit. Sedis rom. p. 127.

Christoph. *Lehmann*, poligrammateus spirensis, florens anno 1612. scripsit etiam Privilegium politicum, & in Auream bullam Commentarios, hoc autem opere, in quo quidem etiam sunt multa aliena, nec desunt fabulæ, tantam apud eruditos gratiam inivit, ut multis celebretur laudibus: nam Er. *Mauritius* vocat iudiciosissimum, *Conringius* diligentissimum & eruditissimum nunquam satis laudandi Chronici auctorem. De quo vide *Magirum* p. 510. eique adde L. B. *de Boineburg* Epp. ad Dieteric. p. 143. *Morhof.* Polyh. T. III. 32. *Baecler.* Bibliograph. crit. 787. *Biblioth. Schrader.* P. I. N. 6. *Bosium* de compar. prud civ. §. 122. & *Crenium* in Annot. (T. II. Methodor. p. 406.) *Bilderbeck.* præfat. in Biblioth. iur. publ. germ. p. 12. H. D. *Meibom.* Orat. de genuin. Histor. germ. fontib. p. 37. *Rinckium* Program. ad Orat. auspical.)(4. *Neu* in Mantissa ad *Whear.* 23. & *Zschackvvizium* Introd. ad auctores Iur. publ. 33.

Io. Melch. *Fuchs*, spirensis, primum secretarius Senatus spirensis, dein poligrammateus & tabularii director, tandemque Wildgraviorum & Comitum Rheni consiliarius in rebus ad tutelam spectantibus, suasu illustrium virorum, Er. *Mauritii*, Hulderici *ab Eyben*, Iobi *Ludolfi*, & Henr. Gunth. *Thulemarii*, pluriumque, editionem hanc additamentis quibusdam ornavit, opusque Lehmanni ad Imp. usque MATTHIAM continuasset, si patria ipsius, Spira antiquissima, ab hostili exustione immunis, atque in sua ipse statione relictus fuisset. De quo ille ipse legendus in præfatione.

XIII.

XIII.

Iac. Augusti THVANI Historiarum sui temporis opera. Francofurti apud Pet. Kopfium. Primo Tomo non est adpositus annus impressionis; Io. Pet. *Titio* autem in Thuani volum. historicor. Recens. (*Conlect.* libr. rar. T. I. 201.) videtur esse annus 1608. Tomus II. prodiit anno 1617. & Appendix 1618. licet in titulo annus 1610. nominetur, & Tomus III. 1621. Estque hæc editio prima francofurtensis, complectens libris 138. historiam annorum 52. aut 54. videlicet ab A. C. 1543. vel, ut ipse Thuanus scribit, 1545. (quamquam repetit quædam inde ab anno 1502. præcipueque annum 46. qui incipit a libro II. operis sui initium esse voluit) usque ad 1607. certe non contemnenda: quamvis enim francofurtensis anni 1625. in fol. & altera genevensis A. 1626. quasdam accessiones habeant, pleniusque & exactius tradita continere dicantur, in hac tamen nostra quædam sunt, quæ in ceteris non reperiuntur. Omnium prima non quidem totius operis, sed primæ duntaxat Partis, editio facta est A. 1604. quæ tamen ipsa fraudem experta, quoniam non nulla, quæ duriuscula videbantur, recisa sunt. Neque etiam Thuanus restitutus, siue Sylloge locorum variorum in historia Thuani adhuc desideratorum, quæ prodiit Amstelodami A. 1663. 12. defectibus hisce satis mederi potuit. Qua de re legatur Præfatio *Con**lectionis* libror. rar. T. I. 29. Paralipomena Thuani seorsum edita sunt. Alioqui pro melioribus editionibus habentur parisienses A. 1604 altera in fol. altera in 8. *Kænig* 806. *Colomes.* 406. *Cren.* Animadv. P. II. 148. & T. II. Methodor. 367. *Benthem* de Statu eccl. & schol. anglic. 66. Tertio tomo nostro subiungitur Vita *Thuani*, ab ipsomet scripta. Neque tamen integrum habemus Thuanum: nam operis pars ultima, offensam sæculi metuens, lucem fugit. Interim fuit, qui historias nobilissimi huius scriptoris continuaret ab anno 1608. ad annum 1618. sed dotibus & gloriæ eius impar, licet industriæ laudem mereatur. Epistola huius operis nuncupatoria, anno 1604. licet eum non addat, exarata ad christianiss. Franciæ & Navarræ Regem, HENRICVM IV. non tantum stili elegantia, iuxta cum præfationibus Io. *Calvini* in Institutiones, & If. *Casauboni* in Polybium (quod ex *Hottingero* observant *Menagius* Menagianor. T. III. p. 78. & *Crenius* Animadverf. P. V. 37.) sed vel maxime rerum gravitate sese commendat, *a Scaligero* propter-

pterea vestibulum sacrarii vocata, quippe in qua, exposito suo veri ac moderationis erga dissentientes studio, firmissime probat, religionis dissidia non ferro, flammis, exiliis, proscriptionibus sopiri posse, sed informatione, & amicis colloquiis; alia omnia civilem Magistratum pro arbitrio sancire posse, solam religionem non imperari. Improbat etiam lanienam parisiensem, & bellum, ad quod improborum consiliis deceptus adduci se passus sit Rex alioquin optimus, HENRICVS III. Rectius sensisse FERDINANDVM Imp. qui amicabili modo controversias componendas esse iudicarit, ad eamque rem usus sit Georg. *Cassandro*, viro docto & moderato. Vtrique autem malo, & dissidentium (Reformatorum) errori, & suorum (Romano-catholicorum) vitiis optime prospectum iri iudicat, si (ut verba eius sonant) sublatis ex ecclesia & rep. nundinationibus virtuti præmia ponantur, & præstantes pietate, doctrina, morum gravitate viri, qui iam prudentiæ ac moderationis suæ experimentum fecerint, sacris præficiantur: si non novi homines, sed integritatis perspectæ, qui Deum timeant, & avaritiam odio habeant, non gratia aut pretio, sed virtutis solius commendatione ad honores provehantur; alioquin, ubi nullo discrimine boni malique admittuntur, haud diu pacem duraturam. Germanice prodiit hoc opus sub titulo *Thuani* Historische Beschreibung geist-und weltlicher Geschichte von A. 1530. bis 1605. Francofurti 1662. f. Continuatio autem Thuani, eiusdem Historiæ A. 1628. Francofurti editæ subiuncta, nomine Thuani indigna est. At tamen isti rhapsodo Osias *Schadeus*, qui Sleidanum cum continuatione publicavit, pleraque debet, notante P. *Gryphio* in Actis erud. A. 1710. 251.

Tomo I. Lib. I. A. 1519. p. 8. *Suffragatorum* (seu Electorum Imperii) *venaleis sententias fuisse*, constans fama fuit; magnaque invidia VII. viri laborarunt, quod ab utroque Principe (CAROLO, Rege Catholico, & FRANCISCO Rege Galliarum) accepta ingenti pecunia, ac præcipue a Ad Fridericum Saxonem (Electorem) pridie (electionis) delatum fuit Imperium: Sed is ingenti animo recusabat, suoque suffragio CAROLVM designabat, oblatam autem eo nomine a Legatis CAROLI magnam *pecuniæ vim reiecit, & suis, ne vel teruntium acciperent, severe mandavit.* Io.

FRANCISCI Miniſtris, tamen CAROLO, ac non potius cuivis ex ſuo collegio, imperatoriam dignitatem adiudicaſſent.

Io. *Sleidanus* lib. I. Comment. p. 26. G. *Kœnig* Caſ. conſc. 723.

Lib. VI. A. 1550. p. 117. Dum Rex (FRANCISCVS) Bononiæ eſſet, allatus eſt ad eum ex India orientali ab homine incognito & barbaro, *lapis ſtupenda ſpecie & natura*, videlicet *lumine & fulgore mirabiliter coruſcantibus* &c.

Eſt hæc deſcriptio non veri lapidis, ſed *ignis*. Chriſtian. *Thomaſius* Colloq. menſtr. T. II. 601. ideoque in poſterioribus editionibus, poſtquam fraus deprehenſa erat, omiſſa. Io. Pet. *Titius* (in Conlect. libr. rar. T. I. 214.)

Lib. IIX. A. 1551. p. 153. Videri e re omnium eſſe, ut Rex (Galliarum) quamprimum Cameracum, ſi poſſit, Divodurum ſiue Metim, Tullum & Virodunum, Lotharingiæ civitates, occupet, & præſidio firmatas *Vicarii Imperii nomine* in poſterum teneat.

Et tamen Reges Galliæ *plenam omnino poteſtatem* in urbes illas ſibi arrogaverunt. *Conring* de Finib. Imp. germ. l. 2. c. 26. §. 25.

A. 1551. p. 169. Martinus *Bucerus* paullo ante obitum dixit, optare ſe unice, ut quæ ad EDVARDVM regem *de eccleſia diſciplina conſtituenda ſcripto comprehendiſſet*, per Angliæ regnum locum haberent, & religioſe obſervarentur.

Intelligendum hoc *de libris II*. Buceri *de Regno Chriſti*, Baſileæ excuſis A. 1557. f.

Lib. XI. A. 1552. p. 216. *De iure, quod Galliæ Reges* in Metim, Tullum & Virodunum ſibi vindicant.

Id omne *refutatur* a *Conringio* de Finib. Imp. germ. l. 2. c. 26. §. 26. & ſeqq.

Ibidem pag. 224. Io. Cochlæus *Norimbergæ* natus.

Non Norimbergæ, ſed *Wendelſteinii*. G. M. *König* 200.

Lib. XVI. A. 1555. p. 320. Iſidor. *Clarius* moribus caſtiſſimis &

Hic omittuntur verba quædam, quæ tamen in Patiſſonii edi-

magna in pauperes largitate, & in omnes benignitate tantam sibi opinionem sanctitatis conciliavit, ut post mortem, turba ingruente, & invitis custodibus ædeis perrumpente, totis XL. *horis ad deosculationem patuerit.*

tione parisiensi prima sunt addita, videlicet hæc: *Quod minime voluisset.* *Colomes.* 401.

Lib. XXVI. A. 1560. p. 514. Pet. *Lotichius* Secundus omnium, meo quidem iudicio, qui secundum Eobanum *Hessum* in Germania poëticam attigerunt, præstantissimus.

Non satis pro dignitate viri iudicavit Thuanus, qui illi Eobanum Hessum præponit, quo ille non solum, sed & omnibus ceteris est superior. *Morhof.* Polyhist. l. I. c. 19. p. 244.

Lib. XXXV. A. 1563. p. 657. Pet. Viretus *Lausannensis.*

Pet. Viretus, *Orba natus in ditione Bernatum.* Auctor *Clavis Hist. thuana* v. Viretus.

Lib. XXXVI. A. 1563. p. 670. Seb. *Castalio* --- puriorem linguarum cognitionem ad theologicam scientiam *adiunxerat*, & *Biblia sacra interpretatione nova* (scil. latina) *transtulerat.*

In posterioribus editionibus hæc sunt mutata, & quidem in Castalionis vituperium. Sic enim legitur: Castalio cum puriorem linguarum cognitionem ad theologicam scientiam *adiunxisse se putaret, impuras manus, multorum iudicio, ad sacra tractanda attulit, cum a rebus ad tantum opus necessariis, homo imparatissimus*, novam Bibliorum interpretationem molitus est, a gallicis diffidens *&* *Bernardino Ochino segregi.* Io. Pet. *Titius* (in Conlect. libr. rar. T. I. 213.) & *Le Long* Biblioth. S. part. I. 696.

Ibid. A. 1564. p. 672. Mart. *Borraus.*

Scribendum, *Borrhaus*: sic enim auctor formabat nomen suum, postquam alterum *Cellarii*, de-

Lib. XXXIIX. A. 1565. p. 713. G. S. *Seldius* eisio inter eundum *excussus*.

deserto anabaptismo, abiecerat.

Quum equis concitatis, frenique imperium spernentibus, inevitabile periculum praevideret, *e curru desiliit*, & illisis ad saxum quoddam temporibus eadem ipsa hora exspiravit. Melch. *Adam.* in Vit. ICtor. 169.

Lib. LXI. p. 68. *Eodem anno* (1575.) obiit Guil. Xylander. -- *Tantum* XL. annos exegerat.

Obiit A. 1576. aetatis XLIV. Melch. *Adam.* in Vitis philos. 291.

In Append. A. 1582. p. 120. Ioann. (Müllerus) Regiomontanus *ab Innocentio IIX.* Pont. rom. evocatus fuerat.

A Sixto IV. Aeg. *Strauch* in Crenii Fasce I. p. 355.

Tomo III. lib. CXVII. A. 1596. p. 772. Petrus *Ronsardus*, & Vidus *Faber* Pibracius, postquam a Florente *aculeate perstricti sunt*, ab eodem amari & laudari in magna gloriae parte duxerunt.

Ronsardum quidem mordaci & amarulento poëmate perstrictum fuisse a Florente, etiam Scaev. *Sammarthanus* l. IV. Elog. p. 94. testatur, Vidum autem Fabrum (sic ille pergit) ut sibi aliqua propensi animi significatione conciliaret, *Tetrasticha de moribus* ab illo gravissimo viro gallice conscripta, *graece latineque transtulit*, aureo ac plane antiquo stilo, *& in eius gratiam publicavit*.

Lib. CXXVI. A. 1601. p. 954. Dav. *Chytraeus* in Suevia, *Braenheikeme*, *Virtembergensis principatus oppido*, natus.

Natus est in opido Sueviae, *Ingelfinga*. Georg. *Serpilius* Epitaph. theologor. in Suevia nator. 98.

Lib. CXXVII. A. 1602. p. 972. Fran. *Iunius*, vir desultorio ingenio, Lugduno Batavorum,

Haec non conveniunt Iunio, sed Hugoni *Donello*, quippe qui dissuasor quidem, attamen con-

ubi diu professus est, *ob rerum novarum suspicionem ab Ordinibus Belgii exactus*, sicuti suo loco diximus, & *Altorfii, ubi defecit*, a Norimbergensi rep. *honorifico stipendio invitatus*.

conscius consiliorum, quæ coniurati ceperant Lugduni Batavorum A. 1587. ideoque ab Ordinibus iussus solum vertere, Altorfium concessit, Reique publicæ norimberg. stipendiis ius docuit, donec ibidem moreretur. Ita memoria lapsus est vir maximus, alterum ponens pro altero. In genevensi igitur posteriore editione, atque in illo exemplari, quod ad αυτογραφυ fidem diligenter a Puteanis collatum est, ut inde aliquando institueretur nova editio, hæc omnia correcta & inducta sunt. Quod autem de desultorio dicitur ingenio, id non de levitate animi, sed de insatiabili quadam per omnia studiorum genera se diffundendi cupiditate intelligendum fuerit. G. I. *Vossius* præfat. in lib. de Histor. lat. H. *Grotius* in Epp. præstant. viror. ep. 401. p. 667. *Cren.* Animadv. P. XII. 12. *Conlect.* libr. rar. T. I. 214.

Lib. CXXXII. A. 1604. p. 1053. Pet. *Cotonus ab energ. m na sive spiritu* multa, quæ aliunde cognoscere spes non erat, *sciscitandi occasionem sumpsit, --- e. g. quis evidentissimus scriptura locus ad probandum purgatorium, & invocationem sanctorum*.

Totam illam narrationem pro fabula habet Balthas. *Aff* S. I. in P. II. Apolog. pro B. *Mari* 179. & *Thuani* testimonium reiicit, ut iurati & capitalis Societatis suæ clam palam hostis.

Iac. Aug. *Thuanus*, parisiensis, in infantia ac pueritia continuis quasi morbis obnoxius, tardiusque ad studia, quæ tamen deperibat, admissus, confectis in Flandriam, Germaniam & Italiam itineribus, indeque hausta morum earum nationum sufficiente notitia, regius, in sanctiore consistorio, consiliarius, & in supremo Regni Senatu præses, regiusque bibliothecarius, ordinis Franciscanorum civilis protector, atque ad negotia maximi momenti a Rege sæpe adhibitus, Cato sui temporis, Galliæque ornamentum perillustre, a Conr. *Rittershusio* in epist. dedicator. Salviani, incomparabilis sui temporis historicus; a *Casaubono* ep. 104. vir divinitus datus sæculo isti in exemplum pietatis, integritatis, & probitatis; a G. I. *Vossio* præfat. in libb. de Histor. lat. vir genere, doctrina, dignitate maximus; a *Wheare* Relect. hiemal. sect. 25. & 45. inter historicos postremæ ætatis facile principatum tenens; a *Conringio* de civil. prud. c. 2. illustre Galliæ sidus, & in historia sui temporis princeps: sed immitibus ac rigidis, ob æquitatem & moderationem in rebus religionis adhibitam, *politico-theologus* appellatus, immo, sæculi more, ut atheus & profanus traductus. Rem accipitrariam, nec non Ecclesiasten, Threnos Ieremiæ, & aliquot Prophetas minores elegantissimis latinis versibus expressit, naturæque debitum solvit A. 1657. æt. 74. Epitaphium eius, quod incipit *Lege viator*, fecit Io. *Doulatius*, teste *Placcio* de anon. 389. Plura de Thuano si nosse cupis eruditorum testimonia & iudicia, adi, sis, non solum *Königium* p. 805. *Magirum* 778. *Pope-Blount* 893. sed etiam *Bailletum* des Enf. celebr. 460. *Du Fresne* Glossar. T. I. B 3. *Thuana* 450. *auctorem Vitæ* eius apud Stoecken. in Thuano enucl. 91. Georg. *Richter*. Orat. XXII. 52. G. *Calixt*. Resp. ad Vindic. Moguntin. §. 134. *Bosium* de Compar. prud. civ. §. 38. *Sagittar*. Introd. in Hist. eccl. 153. *Schluter*. Propyl. 37. *Neu* in Accesf. ad *Whear*. 210. *Cren*. Methodor. T. II. 188. 367. *Vnparth. bibliothecar*. T. I. 81. & 200. Ios. I. *Scaligerum* Prooem. in Thesaur. temp. *** *Kemmerich*. Neueroeffn. Academ. der wissenschaft. 360. Gul. *Forbes*. 127. *Heidegger*. in Vita I. L. Fabricii 31. *Parrhasiana* T. I. 194. P. 200. *Le Clerc* Biblioth. choif. T. XXVII. 11. 18. atque iterum *Casaubonum* ep. 586. p. 650. 663. 665. & *Conringium* de Orig. iur. german. 231. Prooem. in Electio n. VRBANI IIX. c 2. & in Conringianis 19. Magni Thuani adversarius fuit I. Bapt. *Gallus*, vero nomine Io.

de Machault sive *Macaldus*, iesuita gallus, primum rhotomagensis, ac tandem claromontani collegii moderator, intermedio autem tempore ALBERTI & ISABELLAE Austriæ Archiducum ecclesiastes aulicus, cuius Notationes in Thuani Historiarum libros prodiere Ingolstadii A. 1614. 4. ac recensentur in Conlect. libror. rar. T. I. 377. Vide quoque *Moller* de homon. 694. Neque etiam ab aliis sine censuris dimittitur: *Meibomius* enim in Additam. ad Vogleri Introduct. 189. ait, iudicia non semper æqua esse; *Crenius* P. X. Animadv. p. 294. describere Sleidanum; *idem* P. V. 192. & auctores der *Monatl. Unterred.* A. 1689. 444. sæpe errare in historia germanica; & P. V. 191. consentiente *Bailleto* dans les deguis. des aut. 407. 408. 415. turbare commutatione gallicorum nominum in latina; *Omeis* in tract. non quidem ad finem perducto de Latinitate, barbarizare interdum, ut quando scribit *Substraxit*, *Substractus*, *Coliturus*, *Perculsit*; interdum vero solœcizare, dum ait, *Incommodare aliquem*; Qui *intro* (pro intus) erant. Sed hi sunt nævi elegantissimo in corpore tolerabiles. Quid mirum, si in tam vasto opere bonus etiam non nunquam dormitet Homerus? Nemo hominum ab errore liber est. Oseas *Schadeus*, Argentinensium in templo cathedrali diaconus, Sleidanum germanicum cum continuatione ad annum usque 18. sæculi XVII. emisit, sed pleraque rhapsodo Continuationis, Thuani nomine prorsus indignæ, debet. *Cren.* Differt. III. de furib. librar. §. 59.

XIV.

Io. NIEVHOVII Legatio batavica ad magnum Tartariæ Chamum SVNGTEIVM, e belgico in latinum versa per Georg. *Hornium*. Amstelodami 1668. Prodiit etiam germanice A. 1665. Narrantur ea, quæ Legatis obtigerunt in provinciis Quantung, Kiangsi, Nanking, Xantung, Peking & aula Imperatoria ab anno 1655. ad annum 1657. item de ardua Sinensium in bello tartarico fortuna, traditurque provinciarum accurata geographia, urbium delineatio, artisque & naturæ miraculis, ex animalium, vegetabilium, mineralium genere, per 150. æneas figuras passim illustratur.

P. II. 168. Tartari & Sinæ *iam sextum & decimum annum* Xunchium attigisse (cum Amavan-

Si anno 1644. quo Tsonde pater monarcha obiit, Xunchius erat VI. annos natus, necesse est,

gus obiret anno 1651.) referebant, & imperio maturum. | est, ut Anno 165. non nisi *trium & decem fuerit* annorum, adeoque nondum maturus ad imperium. Autor *Annotat.* in Descriptionem Chinæ Dionysii Kao p. 460.

P. 169. Xunchius iam suæ spontis, *prava Amavangi consilia in lucem pertracta severissime vindicavit.* Erutum sepulchro cadaver, fustigatum, virgisque cæsum &c. | Hæc *fabulam redolent*: nam in vita & post obitum Amavangus apud cunctos erat laudatissimus. *Idem* l. c.

Io. *Nieuhov*, batavus, fuit primus Legatus Aulæ magister, ac postea Coylanæ præfectus.

Georg. *Hornius*, palatinus, Leydæ histor. professor, nimius fumi tabaci amator, tandemque maniacus, scripsit Historiam philosophicam, libros IV. de originibus americanis, (sed non sine plagio, sicut ex Kippingio observat *Crenius* Differt. III. de furib. librar. §. 39.) Historiam ecclesiasticam, & politicam, Orbem imperantem, Orbem politicum (at hi duo orbes non sunt magni momenti, magisque conscribillati, quam scripti, sicut notat *Gryphius* apud eundem Crenium l. c.) libros VII. rerum britannicarum, & sub nomine Honorii *Reggii* de ecclesiæ anglicanæ statu, animamque efflavit A. 1670. *Witte* Diar. biograph. Dddd 4. *König* 412. *Clarmundus* in der Einleitung 237. *Boineburgius* in Epp. p. 217. *Conring* de antiquiss. statu Helmstadii 56. & *Bochart* Opp. P. I. p. 47.

XV.

HERODOTI Halicarnassei Historiarum libri IX. Londini 1679. ex editione Thomæ *Gale*, qui Iungermannianam, A. 1608. Francofurti emissam, integram hic dedit, eique non nulla addidit. Postea Iac. *Gronovius* Leidæ A. 1715. itidem in fol. novam produxit, omnibus prioribus, ut putat ac gloriatur, præferendam; sed lege, quæso, *Acta eruditorum* ad A. 1716. p. 193. 377. & 417. atque inde cognosces, primas adhuc præsenti esse tribuendas. Et ei quidem, ad exemplum editionis H. *Stephani* secundæ tam in græco, quam latino textu expressæ, (notabis hic obiter, versionem, quæ *Valla* tri-

tribuitur, latinam ad occtiſſimo viro, Lamberto *Bos* in Obſervat. miſcell. c. 2. 7. & 11. emendari) præmittuntur 1) Gothofr. *Iungermanni* præfatio, qua rationem editionis ſuæ exponit, & quædam in Herodoto corrigere tentat. 2) Excerpta ex Ioach. *Camerarii* proœmio in Hiſtorias Herodoti, quo is defenditur contra accuſationes, quis fuerit deſcribitur, & de dialecto ionica ſermo fit. 3) Henr. *Stephani* Recenſio & interpretatio vocum Herodoti. 4) Veterum aliquot teſtimonia & elogia de Herodoti vita, ſcriptis & dictione, videlicet *Suidæ*, *Strabonis*, *Luciani*, *Photii*, *Marcellini*, *Diodori* ſiculi, *Dionyſii* halicarnaſſei, Dionyſ. *Longini*, *Hermogenis*, *Ciceronis*, *Quinctiliani*, & A. *Gellii*. 5) Epigrammata in Herodotum. 6) Λεξεων ιαδων συλλογη. 7) Tabula geographica ad illuſtrandum hunc auctorem concinnata. Subiunguntur autem 1) eiusdem *Herodoti* de genere vitaque Homeri libellus. Qui eruditis quidem viris, Tan. *Fabro*, G. I. *Voſſio*, *Ionſio*, & Steph. *Berglero*, alterius videtur ſcriptoris eſſe; clariſſimus tamen *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 1. p. 254. eorum argumenta non putat ſatis firma ad aſſenſum ipſis præbendum. 2) Appendices de legibus & inſtitutis tam perſicis, quam ægyptiacis. 3) Appendix alia de incremento Nili. 4) Frid. *Sylburgii* Spicilegium ad Herodotum. 5) *Cteſiæ* quædam, & Henr. *Stephani*, *Briſſonii*, atque Andr. *Schotti* de ipſo. 6) H. *Stephani* Apologia pro Herodoto. Quæ tamen in *Menagianis* T. I. 353. non magni æſtimatur. 7) Chronologia Herodoti. 8) Index dictionum ionicarum, auctore Nathano *Nicols*. 8) Thomæ *Gale* Variantes lectiones & Notæ breves.

Lib. I. c. 131. p. 56. Aſſyrii *Venerem* Mylittam, Arabes eandem Alitam appellant, *Perſæ* Metram, ſive Mitram.	Perſæ *ignem*, non Venerem, appellarunt Mithram. Thom. *Hyde* de relig. Perſarum (in Relationib. de Biblioth. Thomaſ. T. I. 220.
Cap. 132. p. 56. Perſæ ſacrificaturi *neque libamentis utuntur, aut tibiis, infulisve, aut molis*.	Hæc *a vero aliena* ſunt. *Id.* ibid.
Pag. 57. Impoſitis nobiliſſimæ herbæ carnibus hoſtiæ, magus (perſicus) adſtans *Theogoniam* accinit.	Qui Theogoniam? cum *Perſæ*, ipſo Herodoto teſte, *non ſentiant, deos ex hominibus eſſe ortos*, *Id.* ibid.

Hoc

Cap. 139. p. 59. *Omnia* Persarum nomina in ſ deſinunt.

Hoc refutatur a *Gatakero* Adverſar. l. 21. p. 661.

Lib. II. c. 33. p. 102. Iſter (ſive Danubius) fluere incipit *a Celtis*, atque urbe Pyrene. Celtæ autem *omnium in Europa ad occaſum ſunt ultimi.*

Et hæc errorum arguit Corn. *Agrippa* de Vanit. ſcient. c. 5. p. 19.

Herodotus, halicarnaſſenſis e Cariæ urbe, natus anno 1. Olymp. LXXIV. propter patriam a tyranno Lygdamo vexatam, cum Athenienſium colonia in Magnam Græciam ad Thurios anno 3. Olymp. LXXXIII. ætatis 38. abiit, inde *Thurius* cognominatus, Hiſtoriamque ſuam, ſpatium annorum 240. a Gyge Lydorum rege uſque ad Xerxis turpem e Græcia fugam complectentem, anno eodem, & ante profectionem, in panegyri Panathenæorum, adeoque in ſollemni totius Græciæ & clariſſimorum exterorum conventu recitavit, aut potius cantavit; quæ ob rerum præſtantiam, ſtilique ionici, ad inſtar amnis fluentis, ſuavitatem, ob quam poſtea *linguæ Ionicæ canon* ſalutatus eſt, adeo placuit audientibus, ut Muſas ſe audire crederent, (unde & novem huius hiſtoriæ libris nomina Muſarum impoſita fuerint) & Thucydides, qui tunc puer, inter auditores erat, præ voluptate, quam ex illa flexanima recitatione capiebat, & honeſta æmulatione, quam animo iam concipiebat, ſequentibus autem temporibus ſcripto hiſtoriarum opere exſecutus eſt, ad lacrymas commoveretur. Hiſtoriam propheticam immediate ſequitur ſive excipit Herodotus, primuſque eſt inter Græcos, qui res geſtas ſoluta oratione complecteretur, ideoque *Hiſtoriæ* dictus eſt *pater*. Vitam egit uſque ad annum ætatis 52. & poſt fata, apud Athenienſes epitaphium inter monumenta Cimonia ampliſſimum meruit, ut honor & memoria eius ad poſteros propagaretur. Nec defuere, qui Hiſtoriam eius IX. librorum in compendium redigerent, ac duos duntaxat libros inde facerent, *Theopompus* nimirum, chiuſne, an iunior quidam? & *Ephorus*. Videantur Ioſ. Iuſt. *Scaliger* Animadverſ. in Chron. Euſebii p. 97. *Whear* Relect. hiemal. Sect. IIX. p. 41. & *Neu* in Acceſſion. p. 96. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 20. p. 695. *Magirus* 434. *Pope-Blount* 15. *Morhof* Polyh. T. I. lib. VI. c. 2. n. 2. Dav. *Chytraus* in Orat. de utilitate lectionis Herodoti, quæ eius in auctorem illum Commen-

mentario præfixa est, eiusque filius, *Vlricus*, qui in præfatione seu dedicatione, Herodoti lectionem etiam ad fontes doctrinæ Christi & apostolorum, græcis litteris comprehensæ, rectius intelligendos & explicandos prodesse ostendit. Antequam hinc abeamus, unicum hoc addere lubet, Ios. *Scaligerum* (at quantum virum!) de Herodoto in loco ante adducto sic iudicasse, *eum a doctis nunquam deponendum, a semidoctis & pædagogis & similis nunquam tractandum.*

Thomas *Gale*, rector scholæ S. Pauli apud Londinenses, elegantioribus litteris probe imbutus, alio quoque scripto, cui titulus, The Court of the Gentiles, concerning the original of humaine literature from the Jews, Oxonii 1672. 4. celebritatem sibi paravit.

XVI.

XENOPHONTIS Opera, interprete Io. *Leunclavio*. Francofurti apud Andr. Wecheli heredes 1596. si non 1594. Ex bibliotheca Henr. Vagetii. Certe parisiensis editio A. 1625. Wechelianam ad verbum refert, & post illam Eduardus *Wells* A. 1703. 8. de novo edidit, paucis in locis versionem Leunclavianam emendavit, & Henr. *Dodvvelli* Chronologiam addidit xenophonteam. Digesta sunt hæc Opera in III. Partes, videlicet in II. Tomos & Appendicem. In I. Tomo continentur historica, & quidem 1) CYRI pædia, seu de Cyri maioris, qui Olymp. LIIX. 1. Croesum vicit, institutione libri IIX. de qua *Cicero* quidem lib. I. ep. I. ad Quintum fratrem ait, non ad historiæ fidem scriptam esse, sed ad effigiem iusti imperii: verum huic sententiæ Fran. *Carpentarius* (vide *Menagium* Observat. in Laërt. p 151.) contrariam opposuit, legique omnino merentur *Artopæus* & *Baclerus* apud *Neu* in Accession. p.101. docentes, non ei detrahendam esse laudem veritatis historicæ, etiamsi minutæ quædam circumstantiæ, & verba ultro citroque commutata, integræque orationes conficta sint. Longior autem illa parenthesis, quæ exstat p. 8. non est Xenophontis, ut videtur *Schurzfleischio* in Biblioth. *Schrader*. T. I. K 7. 2) De Cyri minoris expeditione, puta, in Asiam adversus fratrem Artaxerxen, cui expeditioni Xenophon ipse interfuit, vincens suo in cornu, cum Cyrus, cui opem ferebat, vinceretur. 3) Græcarum historiarum libri VII. Sunt continuatio historiæ Thucydidis, & complectuntur nar-

narrationem annorum 48. In II. Tomo politica, ac ſpeciatim 1) de AGESILAO rege Lacedæmiorum liber. 2) de Lacedæmoniorum rep. 3) de Athenienſium rep. 4) Socratica defenſio ad iudices, ſive commentarii de dictis & factis *Socratis*. 5) Memorabilium *Socratis* libri IV. quibus doctrina Socratis proponitur, & quintus, qui Oeconomicus inſcribitur. 6) Convivium philoſophorum. 7) HIERO ſive de regno. Eſt Dialogus *Simonidis* cum Hierone I. in quo docetur, miſeram eſſe tyrannorum ſeu imperantium conditionem reſpectu hominum privatorum. 8) Rationes redituum, ſive de proventibus, h. e. argenti fodinis & vectigalibus terræ atticæ, commerciisque promovendis, & augendis Reip. reditibus. 9) de re equeſtri. Hoc in loco perfectius diſſerit de illo argumento, quam *Simon* athenienſis ante ipſum. 10) de magiſterio equitum. Putatur hic liber ſcriptus ad Gryllum filium, quem docet, quomodo, ut magiſter equitum, ſibi concreditos inſtruere debeat. 11) de venatione. 12) Epiſtolarum fragmenta. In Appendice 1) Chronologia brevis ad declarandas Xenophontis hiſtorias, eiusdemque vitam. 2) *Chionis* Epiſtola de conſervato a Xenophonte Byzantio. 3) *Hermogenes* de forma dictionis Xenophonteæ. Quam ait eſſe ſimplicem, ſuavem, puram & perſpicuam, ad hæc imitatricem perſonarum, & platonicæ præferendam. 4) Aemilii *Porti* Gloſſæ in Xenophontem: quas Henr. *Stephanus* lectiones varias eſſe ſomniavit. 5) *Leunclavii* Notata ad Xenophontem. 6) Libri de re equeſtri interpretatio *Leunclavii* prior, Taurini edita; ſed quæ alteri, in opere exſtanti, cedit, palmamque tradit. Præmittuntur autem hiſce Operibus 1) Dedicatio Frid. *Sylburgii* de utilitate lectionis horum operum: Leunclavius enim iam deceſſerat. 2) Pauli *Meliſſi* & Marq. *Freheri* Carmina, quibus obitum deplorant Leunclavii. 3) Narratio de vita Xenophontis, ex diverſis ſcriptoribus collecta per Io. *Leunclavium*. 4) *Dionyſii* halicarnaſſ. & *Ciceronis* de Xenophonte teſtimonia. 5) Vocabula Xenophonti partim peculiaria, partim cum aliis antiquis proſæ ſcriptoribus, Herodoto præſertim ac Thucydide communia, ſed vel mere poëtica, vel poëſi magis, quam ſolutæ orationi adfinia, ab Henr. *Stephano* collecta. Denique ſi ſcire cupis, quo utiliter ordine legenda ſint Xenophontis ſcripta, de eo erudiet te *Whearus* in Relect. hiemal. ſect. X. p. 53.

Xenophon, athenienfis, Grylli filius, diftinguendus a cognomini, itidem athenienfi, qui Epaminondæ ac Pelopidæ vitam confignavit, Socratis difcipulus, philofophus, hiftoricus, & bonus ftrategus: fub Cyro enim, Artaxerxis fratre, in X. millia hominum imperium obtinuit, vicitque in finiftro cornu, cum Cyrus vinceretur; propterea autem ab Athenienfibus, qui Artaxerxi favebant, in exilium eiectus, hic & illic oberravit, donec Corinthi confideret, & hiftorias aliaque fcripta per otium componeret, ubi etiam obiit Olymp. CV. 1. five ante Chriftum natum 360. æt. 90. Scriptor eft tam dulcis, ut Gratiæ eius fermonem finxiffe videantur, & propter hanc fuavitatem *Apis attica* dictus eft. Tam ingenuus fuit, ut, cum Thucydidis Hiftoriarum libros fupprimere potuiffet, id tamen non fecerit, ut potius in lucem protraxerit; tamque fortis in adverfis, ut, cum facra facienti nuntiaretur, filium ipfius Gryllum in proelio apud Mantineam occubuiffe, fed ftrenue pugnantem, & multis interemtis hoftibus, in facrificio, repofita in caput corolla, pergeret, nullifque fufis lacrymis in hæc erumperet verba: *Sciebam, me genuiffe mortalem.* *Auctor vitæ Xenophontis*, quæ operibus præmiffa eft, G. Io. *Voffius* de Hiftor. gr. l. I. c. 5. *König* 876. *Pope-Blount.* 24. *Whear* 50. *Neu* in Acceffion. 100. *Crenius* Methodor. T. I. 220. *Ariftides* adrianenfis in libb. de fimplici & civili oratione.

Hermogenes, tarfenfis, cognomine Xyfter, i. e. Scalptor, (an, quia docebat, dictionem fcalpello quafi deradere?) fophifta, in numerum præcocium ingeniorum referendus, quippe qui annos natus XV. rhetoricam docuit, eumque hoc tempore audivit & admiratus eft eruditiffimus Imperator M. Aurelius ANTONINVS, fed anno ætatis vigefimo quarto, fine ulla manifefta cauffa vel morbo, memoriam amifit omnem, & Antiochi fophiftæ dicterio locum dedit: *Hermogenes inter pueros fenex, & inter fenes puer.* Obiit valde fenex, eiusque cor, diffecto cadavere, pilis obfitum fuit repertum. Scripfit Artem rhetoricam, de Inventione oratoria, de Formis oratoriis, de δεινότητι feu apto & ponderofo dicendi genere, & Progymnafmata; fed quæ perierunt, fervato interim *Aphthonii* in ea commentario. *Suidas* in v. Ἑρμογένης, T. I. 860. I. A. *Fabricius* Bibl. gr. lib. IV. c. 31. *Lipfius* Not. in I. Polit. 215. *König* 396. *Magirus* 807. *Pope-Blount* 24. *Crenius* Methodor. T. I. 220.

220. 546. *Du Pin* Biblioth. histor. T. I. 182. & I. W. *Berger* Differt. acad. 351.

XVII.

DIONYSII halicarnassensis Antiquitates sive Origines romanæ, a Lapo *Birago* latine versæ, cum notis Henr. *Glareani*. Basileæ in officina Frobeniana 1532. Optimum huius auctoris exemplum græco-latinum est Io. *Hudsoni*. Oxoniæ 1704. f. de quo vide *Acta erud.* A. 1704. 529. Erant Historiæ huius libri XX. sed hodie non nisi XI. priores supersunt. In illis pertexebatur narratio a prima Romanorum origine usque ad I. bellum punicum, quod cœpit anno tertio vel quarto Olymp. CXIIX. Vrbis conditæ 488. hi autem in Olymp. LXXXII. anno 4. V. C. 312. finiunt. Annectitur Henr. *Glareani* Chronologia, sive temporum supputatio in XI. hosce libros ab Troia capta ad primos Tribunos militum consulari potestate, sive ad trecentesimum duodecimum ab Vrbe condita annum, qua multi luculenti e mendosis codicibus sublati sunt errores, & auctor ipse Dionysius, simulque romana historia multum accepit lucis.

Dionysius, Halicarnassi in Caria natus, Alexandri filius, Herodoti civis, in Italiam venit regnante AVGVSTO, anno ante Christum natum trigesimo, atque ab eo tempore annos XXII. Romæ versatus, non tantum latinæ linguæ notitiam, sed & ex optimorum lectione historicorum, & consuetudine virorum eruditorum, inter quos *Varro* erat, ea monumenta atque subsidia sibi comparavit, quæ ad historiam conscribendam ipsi videbantur necessaria esse atque utilia. Opus autem hoc aggressus est anno V. C. 746. aut, secundum *Dodwellum*, 747. sedulo dans operam, ut vera scriberet, in exemplis adducendis selectum faceret, aptas atque argutas orationes intermisceret, nec illa negligeret, quæ alii tanquam pervulgata prætereunt, usus ad hæc omnia puro & venusto, gratamque ac decoram habente novitatem stilo. *Photius* Biblioth. cod. 83. 84. *Glareanus* in ep. dedicat. *Voss.* de Hist. gr. l. 2. c. 3. p. 108. *Whear* Relect. hiem. Sect. XVI. p. 68. *Neu* in Accession. p. 110. Herm. *Von der Hardt* in Studioso græco p. 15. 18. 25. 26. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. III. c. 32. p. 779. Et hoc labore suo tantam sibi auctoritatem famamque acquisivit, ut omnium confessio-

fessione, sicut *Whear*, *Bodinum* secutus, & ante eum *Glareanus* testatur, scriptor gravissimus, & in romanis antiquitatibus pervestigandis describendisque accuratissimus, dignusque, qui primum inter historicos romanos, præ Livio etiam, locum occupet, reputetur. Neque vero tantum historici partes explevit, verum etiam præclarus rhetor fuit & criticus, sicut rhetorica ac critica eius opuscula, quæ supersunt, quæque I. A. *Fabricius* recenset, abunde testantur. Iniquior tamen fuit erga Thucydidem, notante eodem *Fabricio* Biblioth. gr. l. 2. c. 25. p. 877.

Lapus *Biragus*, florentinus, quem Philelphus *Castellinunculum*, Leander *Castilionium* vocat, floruit anno 1440. vertitque aliquot vitas Plutarchi de græco in latinum, & a Fran. *Albertino* de laudibus Florentiæ & Savonæ celebratur quidem, nec male, ob eruditionem litterarum græcarum & latinarum, sed ab *Erasmo* in Ciceroniano, T. I. Opp. p. 109. Tullianorum cœtu excluditur: & *Vossius* de Histor. lat. l. 3. c. 10. p. 253. notat, Dionysii nostri Antiquitates romanas non satis ab eo fideliter, imo sæpe parum latine versas esse. Atque ita *Glareano*, quod ipse scribit in Ep. dedicat. necessitas imposita fuit, minimum sex millia errorum corrigendi, ultra trecentos, plus minus, locos, quos annotavit, tanquam dubios, a doctoribus enodandos.

Henricus *Loritus*, a patria apud Helvetios urbe dictus *Glareanus*, Erasmo intimus, in omni litteratura, præcipue autem in mathematicis disciplinis probe versatus, docuit historiam ac poësin Basileæ & Friburgi tanta celebritate, ut exteri eum visendi caussa adventarent, ac domus eius elogio officinæ optimarum artium cohonestaretur, tamque nobilia condidit carmina, ut MAXIMILIANVS I. Imp. litterarum tam amans, quam illis ornatus, lauru eum poëtica & annulo donaret, nec minus Helvetii poëma eius de ipsorum fœdere magnifice ac liberaliter remunerarentur. Multis inclaruit scriptis, e quibus sunt Annotationes in *Horatium*, *Ovidii* Metamorphoses, *Ciceronis* librum de Senectute, *Sallustium*, Corn. *Tacitum* de moribus ac populis German. *Iulium* Cæsarem, T. *Livium*, *Valerium* Max. *Suetonium*, *Lucanum* & *Eutropium*, item Iudicium de Terentii carminibus, Commentarius in arithmeticam & musicam *Boëthii*, nec non Descriptio Helvetiæ, librique de IV. pagis Helvetiorum, de Arte musica, de Ponderibus

&

& mensuris, ac denique de Asse, obiitque Friburgi A. 1563. æt. 75. M. *Adamus* in Vit. philosoph. 236. & *Lexic. univ. histor.* T. III. 354. Ab *Erasmo* T. IV. 617. vocatur Helvetiæ decus: a Luca *Osiandro* H. E. Cent. XV. p. 752. vir admodum doctus, sed Lutheranorum acerbissimus hostis, quos etiam in lectionibus acerbissime insectatus sit: atque in *Epitaphio* Gymnasii friburgici ornamentum eximium. Plura de eo testimonia & iudicia dabit *Pope-Blount* 584. Erat alacribus & festivis moribus, ac prorsus omnium horarum homo, immo & ridiculus interdum; (quale quid memoratur in elegantissimi I. C. *Menckenii* Charlatan. erudit. p. 54. atque Amœnitatib. nostris theolog. 709.) at vita tamen integra & inculpata. Plura in eius laudem reperies in *Erasmi* Epistolis, *Robertello* de Arte crit. 119. Vrbani Regii Vita a *Grabe* descripta p. 7. atque *Thuano* lib. XXXVI. p. 690

DIODORI Siculi Bibliothecæ historicæ, sive rerum antiquarum a Græcis, Romanis, Barbaris, præcipueque PHILIPPO & ALEXANDRO Macedoniæ Regibus gestarum libri XVII. Quibus accedit *Dictys* cretensis & *Daretis* phrygii de Bello troiano Historia. Basileæ 1548. Atque hæc Diodori emissio cura & studio Io. *Oporini* multis in locis emendatior reddita est, sicut opera & industria Arn. *Arlenii* instructior, hoc est, ingenti accessione aucta: optima autem, donec Wassiana prodeat, est græco-latina Laur. *Rhodomanni*, Hanoviæ 1604. f. sicut Dictyis cretensis & Daretis Phrygii illa, quam dedit *Anna*. Tan. Fabri doctissima filia, Dacerii coniux, quæque cum præclaris accessionibus recusa est Amstelodami 1702. 4. & in *Actis erudit* ad eundem annum p. 49. recensetur.

Diodorus, cognomine *Siculus* a patria, Agyrii quippe in Sicilia natus, floruit tempore IVLII Cæsaris & OCTAVII Augusti, historiæque suæ, quæ constabat XL. libris, e quibus nunc non nisi XV. supersunt (quamquam enim in nostra editione XVII. memorentur, duo tamen ex illis desunt, nempe XIV. & XVtus) impendit laborem XXX. annorum, tanto flagrans veritatis studio, ut in Asiam aliasque remotas terras, veri cognoscendi caussa, peregrinationem institueret. Narrationibus suis ea interserit, quæ Dei providentiam atque iustitiam demonstrant, dicendique genere utitur perspicuo, nec affectato, aut historico scriptori inconveniente. *Plinius* certe in Præfat. præclarum ei fert testimonium, quando

do primum Græcorum nugari desiisse scribit. *Bodinus* tamen ac *Vossius* notant, sæpe lapsum esse in annis Olympiadum, & nominibus Consulum romanorum. *Suidas* in voce Διοδωρος, *Vossius* de Histor. gr. l. 2. c. 2. p. 107. *Whear* Sect. VII. p. 38. *Neu* Accession. 104. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 3. c. 31. *Pope-Blount* 62 *Crenius* Differt. I. de libris scriptor. opt. 39. & de Singular. scriptor. 118.

Dictys Cnosso-cretensis, iuxta Suidam, Malalam, Cedrenum, G. Iac. Vossium & Leon. Allatium, belli troiani, cuius tempore vixisse creditur, historiam libris IX. complexus est; sed Iac. *Perizonius* Differt. peculiari, quæ Annæ Fabrianæ Dictyis & Daretis Interpretationi subiuncta, in *Actis erudit.* A. 1702. p. 50. recensetur, ostendere nititur, non alium Græcorum, quem laudant, scriptorem Dictyn exstitisse, quam cuius libri fingebantur Neronis tempore in sepulcro cretensi, terræ motibus concusso, reperti esse, auctorem vero & fictorem eorum videri esse *Praxim*, sive *Praxidem*, in Prologo *Eupraxim* dictum, qui græcum scriptum NERONI in Græcia agenti obtulit, quod *Septimius* Romanus, DOMITIANO æqualis, in latinum convertit. Vide *Vossium* de Histor. gr. l. 4. c. 1. p. 194. *Placcium* de pseudon. 228. *Rupertum* in Epp. Richteri p. 796. *König* 245. *Borrichium* in Crenii Method. stud. T. I. 359. *Du Pin* Biblioth. hist. T. I. 83. & *Acta erudit.* A. 1702. 49. cumprimis autem I. A. *Fabricium* Biblioth. gr. l. 1. c. 5.

Dares Phrygius, sacerdos Vulcani troianus, ab *Homero* celebratus Iliad. E, Phrygiam scripsit Iliadem, quam sua etiam ætate exstitisse *Ælianus* testatur lib. XI. c. 11. Sed scriptum illud, quod hodie eius nomine venditatur, figmentis accensendum, eiusque auctor parvi sane iudicii, nec latine admodum doctus, tersissimi Corn. *Nepotis* nomen, quasi Athenis ille ex primævo codice græco historiam illam converterit, impudenter mentitur. Nec tamen illa falso sub nomine instituta narratio omni plane utilitate caret, sed tam in argonautici, quam troiani belli recensione, non nulla adfert, quæ notitiam antiquitatis adiuvant. Atque ideo *Iosephus Iscanus*, sive *Exoniensis*, ab aliis *Devonius* vocatus, poëta sæculi XIII. britannus, non indignam iudicavit, quam carmine heroico exprimeret. Vide iterum *Fabricium*, *Vossium*, *Rupertum* locis cit. & *Acta erud.* p. 55. iisque adde *Placcium* de pseudon. 228. & *Kœnigium* 236.

XVIII.

XVIII.

PLVTARCHI Opera, interprete Herm. *Cruserio.* Basileæ apud Thom. Guarinum 1573. Quæ interpretatio laudem habet in Melch. *Adami* Vitis medicorum p. 196. Græce & latine prodierunt Francofurti anno 1620. & Lutetiæ Parisiorum 1624. sed parisiensis editio est vitiosa, teste *Crenio* Animadverſ. P. II. 12. idemque P. XI. 95. pro optima agnoscit eam, quam curavit Henr. *Stephanus* A. 1572. Nostrum opus duobus constat Tomis: quorum prior 1) exhibet Vitas comparatas virorum illustrium, græcorum & romanorum, (in quibus *Dacerii* coniuges gallica in versione sua multa emendarunt) videlicet Thesei & Romuli, Lycurgi & Numæ Pompilii, Solonis & P. Valerii Poplicolæ, Alcibiadis & C. Marcii Coriolani, Themistoclis & Camilli, Pelopidæ & Marcelli, Annibalis & Scipionis africani, Periclis & Fabii Maximi, Philopœmenæ & T. Quintii Flaminii, Timoleontis & L. Pauli Aemilii, Aristidis & M. Catonis maioris, Agidis nec non Cleomenis & Tiberii Caiique Gracchi, Pyrrhi & C. Marii, Lysandri & Syllæ, Eumenis & Sertorii, Cimonis & Luculli, Niciæ & M. Crassi, Agesilai & Pompeii magni, Phocionis & Catonis minoris, Alexandri magni & C. Iulii Cæsaris, Demosthenis & M. Ciceronis, Dionis & M. Bruti, Demetrii & M. Antonii, Artaxerxis & Arati, denique Galbæ & Othonis. Hisce 2) adduntur Vitæ Homeri, Euagoræ, Pomponii Attici, Platonis, Aristotelis & Caroli M. ab aliis scriptæ auctoribus; item 3) liber *Aemylii Probi* (seu potius *Cornelii Nepotis*, testibus *Vossio* l. 1. de Histor. lat. c. 14. p. 23. *Placcio* de pseudon. p. 14. & I. A. *Fabricio* Bibl. lat. 62.) de vita excellentium Imperatorum: & margini operis adsperguntur Scholia, ac præmittuntur Epistola dedicatoria ad PHILIPPVM Hispaniarum regem, & præclara lectuque omnino digna Præfatio, in quarum illa Cruserius monarchiam præfert ceteris reip. formis; in hac autem doloris ex obitu filiæ unicæ magnæque spei orti levamen ait se petiisse e philosophia sacra, & translatione Plutarchi: deinde Guil. *Xylandri* laudat versionem, seque, si illa prius prodivisset, manus retracturum fuisse fatetur: porro per exempla ostendit, quomodo Plutarchus in his vitis philosophiam, quæ est virtutis indagatrix & expultrix vitiorum, cum historia, quæ testis est temporum, & lux veritatis,

egregie coniunxerit, quamque utilis earum lectio summam rerum moderantibus esse queat: denique aliquam mensium græcorum & latinorum collationem tentat. Posterior Tomus, quem Cruserius Iulio Duci Brunsvic. & Luneb. Principi, ut ille eum vocat, illustrissimo & excellentissimo, dicavit, docens in hac ipsa Dedicatione, philosophiæ magnam in vita humana esse utilitatem, & moralem ceteris omnibus partibus præstare, prudentissimosque Reges ac Principes liberos suos philosophis instituendos tradidisse, continet ethica sive moralia, (de quibus vide Casp. *Scioppii* Pædiam polit. & *Conringii* Animadvers. (in Tomo I. Methodor. *Crenii* 442.) a potiori parte sic dicta; eaque sunt sequentia: 1) de instituendis liberis. 2) de audiendo; puta, eos, qui recta præcipiunt. 3) Quemadmodum iuvenes (utiliter) audituri (vel lecturi) sint poëtas. 4) Quemadmodum sentias te in virtute proficere. In quo disputatur adversus Stoicorum sententiam, peccata non esse æqualia. 5) de virtute & vitio, sive de perpetua malorum miseria & proborum felicitate. 6) virtutem doctrina tradi posse. Cuius contrarium disputaverat, sed præter rem, *Plato* in Menone. 7) de virtute morali. Eam in affectuum rationabili moderatione, non exstirpatione, consistere. 8) de Iside & Osiride. Ad huius commentarii illustrationem facit Laur. *Pignorii* Mensa isiaca. 9) de naturæ in progeniem suam caritate. Hæc cum brutis impressa sit, multo magis ab hominibus exercendam esse. 10) de pietate erga fratres: ad *Nigrinum* & *Quintum*, fratres, qui mutuo se in vicem amore complectebantur 11) de tranquillitate & serenitate animi. 12) sermo & disputatio amatoria. Honestum amorem coniugalem turpibus pæderastarum libidinibus præferendam. 13) Historiæ amatoriæ; numero V. 14) Præcepta connubialia. Hæc filiæ suæ dedit Eurydice, eiusque marito Polliano. 15) de rebus publicis, quæ a singulis, & a populis, & a paucis tenentur, sive de monarchia, democratia, & oligarchia. Est brevis disputatio. 16) An tractanda seni resp. sit. Affirmat, & modum gerendi remp. docet. 17) Cum Principibus maxime debere philosophum sermocinari, sive Principi cum philosopho frequentissime colloquendum esse. 18) Ad Principem indoctum. Hunc commentarium excipit Epistola, quæ tantum latine exstat, ad TRAIANVM Imp. quæ quidem hic Plutarcho adscribitur; sed non con-

sen-

ſentit cum eius modeſtia, adeoque videtur eſſe ſuppoſita. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 11. p. 365. 19) Præcepta politica. Quæ a *Naudæo* in Bibliograph. polit. (T. I. Methodor. *Crenii* p. 511.) laudantur, quod ſint ſedatæ ac compoſitæ doctrinæ, geniumque auctoris graviſſimo iudicio ac moderatione temperatum præ ſe ferant. 20) Qua ratione ex inimicis emolumentum capias. Illuſtratur hoc libro *Xenophontis* placitum: *Sapientem ex inimicis etiam fructum debere carpere.* 21) de amicorum multitudine. Eam non eſſe expetendam. 22) de fortuna commentarius. In quo refutatur *Theophraſti* dictum: *Vitam regit fortuna, non ſapientia.* 23) Oratio conſolatoria ad Apollonium, filio orbatum. 24) Epiſtola conſolatoria ad uxorem ſuam, nomine *Timoxenam*, morte filiolæ cognominis afflictam. 25) Bello ne, an ſapientia clariores fuerint Athenienſes. Commentariolus hic, in quo maiorem eos gloriam rebus geſtis, quam ſcriptis conſecutos eſſe diſputatur, initio mutilus eſt. 26) de exilio. Aequo id animo eſſe tolerandum. 27) Apophthegmata, ſeu ſuccincte & acute dicta Regum & Imperatorum. Hæc libro ſuo Apophthegmatum inſeruit *Eraſmus*, in eiuſque Dedicatione idem ea laudat, quod in iis, velut in certiſſimo ſpeculo, ſingulorum imperantium animus repræſentetur. 28) Mulierum virtutes, ad *Cleam* eruditam feminam. 29) Quod brutæ animantes ratione utantur. Eſt dialogus, in quo Vlyſſes, Circe & gryllus in ſuem transmutatus confabulantur; atque hic precibus Vlyſſis renuit formam induere humanam. 30 de Romanorum fortuna. Res Romanorum multa debere virtuti, ſed fortunæ plurimum. 31) de ALEXANDRI virtute vel fortuna Orationes II. Sunt illæ in fine, ut videtur, mutilæ, atque hoc agunt, ut oſtendant, Alexandrum non fortuna, ſed virtute magnum fuiſſe. 32) Quemadmodum quis ſe citra invidiam laudare poſſit. 33) Animi, an corporis, deteriores ſint ægritudines. In hoc commentario adfirmatur prius. 34) An, in quo vitium ſit, ei nihil deſit ad feliciter vivendum? Negatur. 35) Num recte dictum ſit (ab *Epicuro:*) *Ita vive, ut nemo te ſentiat vixiſſe.* Negatur. 36) Quemadmodum adulatorem ab amico internoſcas. 37) De ſuperſtitione. Eam, in Deum iniurioſam, bellumque indicentem honeſtati, virtuti & ſocietati humanæ, peiorem eſſe atheiſmo mere ſpeculativo, nec virus ſuum emittente in actiones. 38) de immodica verecundia; ea videlicet,

 qua

qua vel ab utilibus & honeſtis quis impediri, aut ad noxias & inhoneſtas actiones compelli ſe temere patitur. 39) de curioſitate: exitioſa nimirum & moleſta, quæ græce dicitur πολυπραγμοσυνη. 40) de garrulitate. Fran. *Hoſpitalius* adeo delectabatur hoc libro, ut totum ediſcendum, & nunquam de manibus deponendum iudicaret. 41) de cupiditate divitiarum. 42) Non eſſe fœnerandum, ſive de vitando ære alieno. 43) de eſu carnium Orationes II. quarum poſterior eſt trunca; militantque pro ſententia *Pythagoræ*, qui carnium eſu abſtinere iuſſit. 44) de non iraſcendo. 45) de invidia & odio, & utriuſque differentia. 46) de tarda Dei vindicta. Dialogus hic initio mutilus eſt, ceterum multa habet, quæ a chriſtiano dicantur. 47) de placitis decretiſque philoſophorum, puta, phyſicis, libri V. Non tamen credas, te libris hiſce lectis penitus ſcire, quid de quaque in iis propoſita re ſenſerint philoſophi. 48) Præcepta ſalubria, ſive de ſanitate tuenda dialogus, poſt TITI Imp. obitum ſcriptus. 49) Vtrius maior utilitas, aquæ ne, an ignis. Antecellere autem ſtatuit ignem. 50) de primo frigido, ſive de prima frigoris cauſſa. 51) Ne iucunde quidem poſſe ex *Epicuri* ſententia vivi. Dialogus hic, iudice Io. Alb. *Fabricio* Bibl. gr. l. 4. c. 11. p. 364. lectu eſt digniſſimus. 52) de genitura animæ, e Timæo *Platonis*. 53) Compendium prioris Commentarii. 54) Vtra animantia, terrena ne, an aquatilia, maiore prudentia ſint prædita? Contendit autem, aquatilia terreſtribus neutiquam cedere. 55) Quæſtiones naturales. 56) de communibus notionibus, adverſus Stoicos, eorumque Paradoxa moralia. 57) de facie, quæ in orbe lunæ apparet. Hoc in dialogo, qui initio mutilus, & hinc inde mancus eſt, Plutarchus negat dari Antipodes. 58) Quod nunc Pythia non det ſortes verſibus, ſive de vilitate & vitioſitate verſuum in plerisque oraculis. Docet autem Plutarchus, neque antiquioribus ætatibus omnia oracula verſibus edita, neque ſuo tempore plane deſiiſſe nec Deum ipſum eiusmodi verſuum auctorem eſſe, ſed Pythiam; viguiſſe autem delphicum oraculum 3000. annos. 59) Quare exſpiraverint oracula. Negatur autem, omnia tunc exſpiraſſe. 60) VII. Sapientum convivium. 61) Convivalium quæſtionum libri IX. Quorum octo priores ſinguli X. Qq. continent, nonus autem XV. & Sermones Athenis in muſeis habitos. 62) de fato liber: extrema

ma parte mutilus. Loquitur autem de fato, ſecundum doctrinam *Platonis.* 63) Contra *Colotem* commentarius. Hic dialogus alteri num. 51. memorato, Suavem vitam, ſecundum Epicuri decreta, non poſſe duci, præmiſſus fuit. 64) Quæſtiones platonicæ. 65) de *Stoicorum* pugnis. Nempe Stoicorum dogmata tam inter ſe pugnare, quam cum eorum vita. 66) Quæſtiones centuriatæ romanæ. In quibus de variis ritibus, olim apud Romanos uſitatis, ratio redditur. 67) Qq. centuriatæ græcæ. 68) de dictione Ει, quæ apud Delphos eſt inſcripta, commentatio: ad amicum *Serapionem*, qui ſtoicus videtur fuiſſe. 69) Magis inopinata a Stoicis, quam a Poëtis adferri. Eſt compendium commentarii. 70) de muſica. In hoc Dialogo Marcus *Meibomius* L. amplius loca reſtituere, verſioneſque latinam & gallicam emendare potuiſſet, ſicut ipſe teſtatur ad Muſicos veteres. 71) de caſibus comparatis Græcorum & Romanorum. 72) X. Oratorum vitæ; videlicet Antiphontis, Andocidis, Lyſiæ, Iſocratis, Iſæi, Aeſchinis, Lycurgi, Demoſthenis, Hyperidis, & Dinarchi. 73) de liberata urbe Thebis, & Socratis dæmonio. Plutarchus, cum pluribus aliis, genium Socratis putat fuiſſe bonum angelum; I. A. *Fabricius* l. c. p. 375. providam eius mentem. 74) Comparationis *Ariſtophanis* cum *Menandro* Breviarium. Plutarchus hunc illi præfert; ſed Nicod. *Friſchlinus* Ariſtophanem defendit peculiari diatriba. 75) de *Herodoti* malignitate commentarius. Quo ultus eſt contumeliam, patriæ ſuæ Bœotiæ ab Herodoto illatam, ſicut ipſe fatetur in principio commentarii; ſed & refutatur ab Henr. *Stephano* in Apologia pro Herodoto. 76) de *Homero* liber. *Fabricius* Bibl. gr. l. 2. c. 1. p. 255.

Plutarchus, Chæroneæ in Bœotia natus anno Chriſti 50. *Ammonii* diſcipulus, TRAIANI Imp. (non audeo dicere, præceptor & informator iuventutis) ſingulari gratia florens, ab eoque conſulari dignitate ornatus, & Illyrio tanquam oraculum præpoſitus, philoſophus eclecticus, hiſtoricus, politicus, & antiquarius ſummi limatiſſimique iudicii, ac liberrimus Principum cenſor, ſicut & aulicis ſcripſit, non doctis, populorum maxime illuſtrium hiſtoriam complectitur, tametſi non perpetuam, ſed abruptam, & ad Principum uſum tranſlatam, atque a Theodoro *Gaza* & *Ioanne* Euchaitarum metropolita, qui ſub ALEXIO COMNENO clarus erat, tanti fuit æſtumatus, ut ille interrogatus aliquando, quemnam auctorem

sibimet superesse cuperet, si ceteris omnibus carendum foret, unum Plutarchum responderet; hic autem, si cui ex omnibus Graecorum sapientibus ingressus in vitam aeternam sperandus esset, eum nemini magis a Christo se se expetere testaretur, quam Platoni & Plutarcho. Sed nec hoc praetereundum, auctorem nostrum, cum senex esset, Apollinis pythii sacerdotio admotum fuisse, mortique vicinum somniasse, in caelum se ascendere ductu & auxilio Mercurii, atque altera nocte rursus in somnio vidisse ac audivisse quendam, qui illud hunc in modum interpretaretur, ipsum fore felicem, hoc est, moriturum: mortuus autem est circa X. annum Imperii HADRIANI, h. e. anno CHRISTI 120. aetatis 70. *Suidas* T. III. 133. Io. *Rualdus* in vita Plutarchi, *König* 649. I. Alb. *Fabricius* lib. IV. Bibl. gr. c. 11. *Magirus* 677. *Pope-Blount* 141 *Whear* Relect. hiemal. p. 74. & *Neu* in Accession. 116. *Voss.* de Histor. gr. l. 2. c. 10. p. 120. *Erasmus* & alii apud Crenium Methodor. T. II. Quod ad eius dictionem attinet, videtur quidem illa *Vossio* duriuscula, at *Baeclerus* in Hist. saec. I. dubitat, an recte id dicatur, cum Plutarchus optimos & varios fere describere soleat auctores.

Herm. *Cruserius*, Campis in Belgio natus, primum medicinae, deinde iurisprudentiae, in qua etiam Doctor creatus est, operam dedit, Ducisque clivensis ac iuliacensis Guilielmi consiliarius factus filiam eius Principem ac sponsam in Borussiam duxit ad Ducem Albertum Fridericum, cumque domum reverti cogitaret, Regiomonti praematura abreptus est morte, anno 1574. Ceterum sicut ab adolescentia litteris graecis potissimum delectatus est, atque in iis magnos profectus fecit, ita praeter Plutarchum de Galeno etiam & Hippocrate praeclare meritus est scriptis in huius librum I. & III. de morbis vulgaribus, & in librum de diaeta commentariis, vertendoque aliquot illius tractatus in latinum. Melch. *Adam.* in Vit. medic. 196. *Lexic. univ. histor.* T. II. 778.

Cornelius Nepos natus in Hostilia, qui Veronensium vicus est, Catulli & Ciceronis amicus, scriptor, si dictionem spectes, venustus atque elegans, immo purissimus; si sententias & exempla, utilis ad vitam recte instituendam, condidit etiam Vitas romanorum belli ducum, e quibus sola superest Catonis, & fatis concessit 30. ante Christi nativitatem annis. Meliores eius editiones sunt illae, quae adiunctas habent notas *Baecleri*, *Bosii*, *Buchneri*, *Cel-*

Cellarii. Vide *Vossium* de Histor. lat. l. 1. c. 14. I. A. *Fabricium* Bibl. lat. p. 61. *Magirum* 612. *Pope-Blount.* 71. *Bosium* de Compar. eloq. civili §.312. & de Rat. leg. Histor. §. 22. *Schurzfleischium* in Biblioth. *Schraderi*. P. I. K & in Epp. arcan. 118. 613.

Æmilius Probus vixit tempore THEODOSII Imp. sæculo IV. eidemque volumen Corn. *Nepotis* sua & avi scriptum manu, a matre autem fortasse exornatum & perpolitum, obtulit. *Vossius* l. 1. de Histor. lat. c. 14. p. 23. I. A. *Fabricius* Biblioth. latinæ l. 1. c. 1. p. 62.

XIX.

PAVSANIAE Græcia, ex versione latina Abrah. *Loescheri*. Basileæ per Io. Oporinum 1550. Optima autem, eaque græco-latina editio est lipsiensis de A. 1696. cum latina Romuli *Amasæi* interpretatione, & annotationibus Gul. *Xylandri*, Frid. *Sylburgii* & Ioach. *Kuhnii*: quæ recensetur in *Actis erudit.* A. 1697. 97. atque a *Clerico* Biblioth. sel. T. XI. 133. Nimirum libris X. auctor noster non solum urbium situs, locorumque intervalla accurate est complexus, sed Regum etiam familias, bellorum caussas & eventus, sacrorum ritus, rerumque publicarum status copiose descripsit. Vt vero scias, quid in singulis tradatur libris, sic habeto: in primo proponi Attica, secundo Corinthiaca, tertio Laconica, quarto Messenica, quinto & sexto Eliaca, septimo Achaica, octavo Arcadica, nono Bœotica, decimo Phocica. *Loescherus* in dedicatione celebrat Fuggerorum familiam, quæ litterarum ac virtutis cultu, & beneficentia erga litteratos maximum sibi in orbe nomen, & favorem Principum atque Monarcharum acquisiverit; in præfatione autem, de Pausania eiusque dictione & opere, ac sana translatione verba facit.

Pausanias, cæsariensis cappadox, sophista, non confundendus cum lacone, historico, Herodis Attici discipulus, Æliani autem & Aspasii informator, iter fecit non tantum per Græciam, Macedoniam atque Italiam, sed per maximam Asiæ partem, (sed utinam Asiatica eius exstarent) usque ad oraculum Iovis Hammonis in Africa. Claruit sub ANTONINO Pio, aliquamdiu consedit Romæ, ubi etiam mortuus est valde senex. Fuit declamator promtus & ingeniosus, quamvis Cappadocum more vitiose pronun-

nuntiaret, ſed & eruditi grammatici laudem merito ſuo conſecutus eſt; nec mirum, eum fabulas interdum immiſcere, auditas ex relatione aliorum, qui memorabilia in peregrinis ei terris monſtrarunt aut narrarunt: id enim & aliis peregrinantibus ſolet contingere: ut adeo Iul. Cæſ. *Scaliger* nimis audacter eum appellarit *Graeculorum omnium mendaciſſimum*. Neſcio, hic ne, an alius Pauſanias, Lexicon ſcripſerit vocabulorum atticorum, e quo plurima loca in commentarium ſuum in Homerum Euſtathius tranſtulit. *Suidas* T. III. p. 62. Abr. *Læſcher* in Dedicat. ac Præfat. *Voſſius* Hiſtor. gr. l. 2. c. 14. p. 128. *Clericus* Biblioth. ſel. T. XI. 134. Io Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 15. p. 467. *Magirus* 643. *Pope Blount* 155. *Kuſterus* in Notis ad Suidam opus eius vocat egregium & eruditum.

Abrah. *Læſcherus*, ſcholaſtico functus munere, libros Regum Veteris teſtamenti, monomachiam Davidis & Goliathi, & Lamentationes Ieremiæ reddidit carmine; reliquit etiam Epigrammatum libros, & carmen de obitu CL. V. Matthæi *Zellii*, floruitque medio ſæculo XVI. Vide ipſum in Dedicat. ad Io. Iac. *Fuggerum*, & *Friſii* Epit. Biblioth. Geſner. p. 2.

Nicol. GERBELII Declaratio Picturæ ſive deſcriptionis Græciæ *Sophiani*. Baſileæ per Io. Oporinum 1550. Secunda & plenior editio. Eſt liber hiſtorico-geographicus, in quo Græcia omnis, etiam ea, quæ Magna dicitur, accurate deſcribitur ſecundum populos, maria, ſinus, flumina, inſulas, urbes, regiones, provincias, montes; diſſeritur quoque de lingua & moribus Græcorum, ac ſcriptoribus, qui de Græcia commentati ſunt, eaque omnia ad meliorem Tabulæ *Sophiani*, qua Græciam repræſentare ſtuduit, intelligentiam. In Præfatione, cui elegans Abr. *Læſcheri* Carmen contra barbariem præmittitur, decantat auctor Hiſtoriæ laudes, *Sophiani* conſilium commendat, bellorum a Græcis geſtorum initia deſcribit, picturæ utilitatem oſtendit, præceptum dat pro geographia, docet, quibus coloribus pingenda illuſtrandaque ſit tabula, & ſuſcepti rationem operis explicat.

Nicol. *Gerbelius*, phorcenſis ſive pforzheimenſis, græcæ iuxta & latinæ linguæ operam dedit ſedulam, atque in iuris ſcientia tantum profecit, ut non ſolum inſignibus ornatus fuerit academicis, ſed & doctiſſimis ſuæ ætatis ICtis adnumeraretur. Docuit Vien-

Viennæ cum Io. *Cuspiniano*, ac postea Argentorati, nec satis habuit Cuspiniani Chronica de Cæsaribus, eiusdemque Consules, & *Arriani* Historiam græcam emendasse & illustrasse, nisi ipse, præter Isagogen præsentem, scriberet de Anabaptistarum ortu & progressu, Vitamque Io. Cuspiniani, & utriusque Tzezis, vir probitate, innocentia, & religiosæ studio pietatis eximius, & tamen calumnia oneratus sacrilegii a quodam Præceptorum rhetoricorum auctore, sed qui, inductis in libro conviciis peculiari scripto iniuriam fateri, eamque a læso deprecari coactus est. Læsus autem decessit Argentinæ valde senex, & iam dudum decrepitus, anno 1560. M. *Adam* in Vitis ICtor. 133. *Thuanus* l. 26. p. 514.

Sophianus, prænomine Michaël, non vero Nicolaus, (uti quidem eum vocant *Gerbelius*, *Gesner*, *Simler*, *Kœnig*) corcyræus, homo inter Græcos μεταγενεστερους longe eruditissimus, exaravit librum de Astrolabio, floruitque circa dimidium sæculi XVI. Guil. *Burtonus* Hist. gr. linguæ (in T. I. Conlect. libror. rar. 622.) & *Colomesius* 293.

XX.

Ioannis XIPHILINI e Dione Excerptæ historiæ, ex interpretatione Guil. *Blanci*, a Guil. *Xylandro* recognita, cumque Spicilegio Henr. *Stephani*, A. 1592. apud Henr. Stephanum. Quæ editio pro optima agnoscitur a *Crenio* Methodor. T. III. 387. Alii vocarunt Epitomen Romanæ historiæ Dionis, Henr. *Stephanus* autem maluit appellare ἐκλογας sive Exerpta, quia Xiphilinus quædam excerpsit e Dionis libris, tum iis, qui exstant, tum aliis, qui interciderunt. Complectuntur autem hæ Eclogæ historiam a Pompeio M. usque ad Alexandrum Mammææ. Prodierunt etiam cum Dionis Historia romana, & Xylandri versione, a Io. *Leunclavio* emendata, Hanoviæ apud Wechelos A. 1606. f.

In Cæs. Augusto p. 71. ὁ Διων ὁ προυσαευς. Dio *prusaeus*. | Dio Cassius videtur *confundi cum Dione Chrysostomo*. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. IV. 319.

Dio Cassius, qui & Cocceius sive Cocceianus vocatur, natus Nicææ in Bithynia, totum pæne vitæ suæ tempus in Rep. gerenda consumsit, bis ad consulatum romanum evectus, deinde Proconsul factus, Provinciasque summa cum laude gubernavit, & bo-

narum artium ſcientiam cum uſu coniunxit. Tandem vero, cum ex pedibus laboraret, ab ALEXANDRO Imp. dimiſſus eſt, ut in patriam iret, & reliquum vitæ tempus ibi tranſigeret. Sed ne nihil ſui apud poſteros ſupereſſet, græco idiomate Hiſtoriam condidit LXXX. librorum ab V. C. uſque ad ALEXANDRVM Mammææ, quibus XXII. annos impendit. Neque tamen omnes illi hodie ſuperſunt, ſed XXXIV. perierunt, & maior pars triceſimi quinti: XXV. ſervati ſunt, qui incipiunt a Luculli geſtis, ac deſinunt in morte Claudii Cæſaris, atque ex his & e ceteris Xiphilinus Excerpta nobis dedit. Scripſit etiam Perſica & ἐνόδια, ſeu potius Διοδικα, ea, quæ in itinere ſibi contigerunt. A *Lipſio* quidem in Epp. accuſatur Dio, quod ſæpe aduletur, ſæpe hallucinetur, quædam audacius in moribus externis affirmet, viroſque inculpatos culpet, ut Ciceronem, Brutum, Caſſium, Senecam; (huc etiam referendum, quod *Voſſio* multum rhetoricari dicatur in prœliorum deſcriptione, & a *Valeſio* plagii notetur) interim in lib. 3. de Magnitudine romana c. 3. idem fatetur, nihil pæne nos fugere in rebus romanis, ſi ſcriptor ille totus exſtaret; & *Photius* obſervavit, grandi eum uti ſtilo, & in concionibus Thucydidem æmulari. Nec minus *Whear* in Relect. hyemal. p. 81. eum inter nobiles hiſtoricos numerat, & *Neu* in Acceſſion. ad illas p. 124. e *Conringio* & *Baclero* notat, ipſum politicum ſe probare, eiusque magnum uſum eſſe in Tacito interpretando. *Voſſius* de Hiſtor. græcis lib. 2. c. 15. p. 130. Io. Alb. *Fabricius* Bihlioth. gr. lib. IV. c. 10. *Lexic. univ. hiſtor.* T. I. 838. *König* 248 *Pope-Blount* 194 *Crenius* de Singular. ſcriptor. 114.

Io. *Xiphilinus*, trapezuntius, Io. Xiphilini patriarchæ CPtani fratris filius, monachus fortaſſe CPtanus, floruit ſub Imp. MICHAELE Duca, qui imperio ceſſit A. 1075. & notatur propterea, quod plerumque omiſerit notationem temporum per Conſules, Dioni in libris, quos integros habemus, diligenter obſervatam, & multas pulchras utileſque partes in Dione reciderit, nec diſtinctiones librorum Dionis ſervaverit, ſed ſingulis Imperatoribus ſingula tribuerit τμήματα ſive ſectiones. Vide ipſum *Xiphilinum* in AVGVSTO p. 71. *Voſſium* de Hiſtor. gr. l. 2. c. 26. p. 152. *Konig* 877. *Cave* Hiſt. liter. 430. *Olearium* T. II. 248. *Lexic. univ. hiſtor.* T. IV. 710. Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. græc. lib. IV. c. 10. p. 322. *Pope-Blount* 365. & *Mollerum* de homon. 527.

Guil.

Guil. *Blancus*, tolosanus, ab agnato suo cognomini, episcopo Grassano, distinguendus, in urbe patria episcopus, & cancellarius universitatis, linguarum & elegantiorum litterarum peritissimus, præter Xiphilini librum alios quoque latinitate donavit, patrioque idiomate scripsit de Cœlibatu & Sacramentis, & alia. Interfuit etiam Clericorum conventibus in Castro blesensi, Vicariatumque Legationis avenionensis obiens, ibidem decessit A. 1588. *Lexic. univ. histor.* T. I. 381. & *Frisius* in Epitome Bibliothecæ Gesner. 300.

XXI.

Imagines & elogia virorum illustrium & eruditorum ex antiquis lapidibus & numismatibus expressa, cum annotationibus, ex bibliotheca Fulvii VRSINI. Venetiis 1570. Suntque, ut illas præteream, quæ capitibus carent, *Miltiadis*, *Homeri*, (de qua tamen vide *Fabricium* Biblioth. gr. l. 2. c. 1. p. 257.) *Hesiodi*, *Sophoclis*, *Euripidis*, *Moschionis*, *Callisthenis*, *Menandri*, *Arati*, *Sapphu*, *Eucharidis*, *Theocriti*, *Terentii*, Asinii *Pollionis*, *Horatii*, *Persii*, *Solonis*, *Socratis*, *Platonis*, *Aristotelis*, *Theophrasti*, *Herculis*, *Pythagora*, *Zenonis*, *Apollonii* tyanei, L. Iunii *Rustici*, *Lysia*, *Leodamantis*, *Æschinis*, M. Terentii *Varronis*, *Traiani*, *Herodoti*, *Thucydidis*, C. Iulii *Cæsaris*, M. Mettii *Epaphroditi*, M. *Iunii*, *Rufi*, & P. *Pupii*.

Fulvius *Vrsinus*, romanus, paterno genere nobilis, ex Vrsinis quippe Mugnanæ Dominis, sed propinquis suis, quod minus iusto concubitu natus esset, ingratus, immo ab illis spretus, hanc nactus est fortunam, ut a Gentile *Delphino*, basilicæ lateranensis canonico, qui adolescentis ingenium adspexerat & probaverat, exciperetur, ab eoque in græcis ac latinis litteris instituendus aliis traditus, ad antiquitatis studia ab ipsomet duceretur. In quibus tantum profecit, ut eruditissima scripta componeret ederetque de familiis Romanorum, de triclinio romano, Animadversiones in *Festi Pompeii* librum de verborum significationibus, & notas in aliquot latinos historicos, atque in amicitiam insignium virorum, Octaviani *Pantagathi*, Gabr. *Faërni*, Latini *Latinii*, Pauli *Manutii*, & Ant. *Augustini*, admitteretur. Patrono & informatori suo in canonicatu successit, in eo, quod sive scribendum sive agendum suscipiebat, longam semper moram adhibuit, quo ab omni parte perfectum conderet, Delphinisque, quorum domi altus e-

ducatusque fuerat, in grati animi signum, VI. aureorum millia legavit, supremum diem obiens anno 1600. æt. 70. Ioseph *Castalio* in Vita Vrsini (in Vitis selectis erudit. & illustr. viror. p. 555.) Ian. Nic. *Erythræus* Pinacoth. I. 9. *Thuanus* lib. 123. p. 897. Pet. *Victorius* Var. lect. lib. XXXVI. 22. *Naudæus* Bibliograph. polit. (T. I. Methodor. *Crenii* p. 569) Io. Georg. *Grævius* Epp. p. 262. Iac. *Thomas.* de plagio §. 583. *Pope-Blount* 784. Fuit statura procera, facie dignitatis plena, moribus suavissimis, ideoque a Cardinalibus ac Pontificibus dilectus & æstimatus, adhæc mirifica pietate, fide & castitate, nusquam luxu diffluens, nusquam sordidus, vestibus nunquam sericis, sed talaribus ex lana, ut clericum decet, usus, nec nisi morte sua dolorem ac molestiam aliis adferens, eo quod græcarum & latinarum litterarum, romanæque antiquitatis lumen cum Fulvio exstinctum plerique crederent.

XXII.

Io. CVSPINIANI Commentarii de Consulibus Romanorum. Quibus præfertur Sexti RVFI Epitome de rebus gestis populi romani, & accessione Imperii, cum Scholiis *Cuspiniani.* Eiusdem Austria, & oratio protreptica ad S. R. Imperii Principes ac Proceres, ut bellum contra Turcum suscipiant: cum Chronico magistri ALBERTI argentinensis, & Casp. BRVSCHII Carmine, in honorem & laudes Austriæ fuso. Basileæ 1533. Huic operi insertum est M. Aurelii CASSIODORI Chronicon, sive de consulibus romanis libellus, quem Cuspinianus suis illustravit commentariis. Nicolaus *Gerbelius* præfatus est ad Io. Iac. *Fuggerum* de historiarum præstantia & utilitate, de variis annorum seu temporum supputationibus, de recentioribus Consulum scriptoribus, videlicet *Haloandro*, *Glareano* & *Funccio*, denique de præsente *Cuspiniani* egregio opere, quem ait labore illud summo, adsiduisque vigiliis tandem absolvisse. Austria, est descriptio Marchionum, Ducum & Archiducum, a *Leopoldo*, qui fuit e Ducibus Suevorum, atque ideo *Illustris* cognominatus, & quidem e familia *Alberti* comitis babenbergensis, usque ad CAROLVM V. & FERDINANDVM regem, Caroli fratrem. Oratio protreptica, scripta est post cladem LVDOVICI, Vngarorum regis, quam passus est a Turcis A. 1526. quique, cum fugeret, a palude

lude fuit absorptus. Chronicon *Alberti* incipit a RVDOLPHO I. habsburgico, & pertingit usque ad Wenceslaum, h. e. ab A. 1270. ad 1378. Videtur non esse magni momenti, eo quod *Cuspinianus* sub eius finem ait, se nihil penitus in eo invenire, quod non alibi commodius legatur. At vero hoc intelligendum est de rebus antiquis, quarum ille sparsim mentionem facit. Ceterum fidem scriptoris laudat *Vossius* de Histor. lat. l. 3. c. 3. multaque aliis indicta, aut non ita plene planeque explicata, in ipso inveniri fatetur. Neque integrum est præsens hoc Chronicon, quod *Cuspinianus* edidit, sed fragmentum duntaxat; plenum autem & integrum debetur Christiano *Vrstisio*, qui id inseruit Tomo II. scriptor. germanicorum.

Io. *Cuspinianus*, alias *Spieshammer*, suevofurtensis, philosophus, medicus, poëta, orator, historicus, & MAXIMILIANI II. consiliarius, ab eodemque, fide eius & industria in gravissimis legationibus perspecta, viennensi Senatui præfectus, naturæ satisfecit A. 1529. *König* 230. M. *Adam*. in Vitis philos. 71. Scripsit etiam librum de Cæsaribus & Imperatoribus rom. Wolfg. *Hungeri* notis illustratum, nec non de rebus Turcorum, deditque Tabulam Vngariæ. A *Wheare* p. 98. & *Vossio* de Histor. lat. p. 202. vocatur solers antiquitatis indagator, a *Schurzfleischio* in Biblioth. *Schrader*. T. I. K 7. historiæ austriacæ peritissimus vir, sed non bonæ latinitatis, atque a Ios. *Scaligero* vir eximia fide & eruditione. Vid. *Magirus* 256. *Pope-Blount* 538. 256. *Neu* in Accession. ad Relect. *Wheari* p. 209. & in Accession. ad Mantissam 97. Prædicta opera eius recusa sunt Francofurti A. 1601. & Nic. *Gerbelius* vitam eius descripsit.

Albertus de Argentina, seu argentinensis, sic dictus ab urbe patria, magister seu doctor, & fortassis presbyter, episcopi argentinensis familiaris, a quo etiam ad Papam fuit ablegatus, ut eum certiorem faceret de LVDOVICI Bavari, Imperatoris, decreto, nihil Pontifici iuris esse in exauctorando Imperatore, vixit sæculo XIV. crediturque auctor Commentarii de rebus gestis Bertholdi a Buchecke, episcopi argentinensis. *Voss*. de Histor. lat. l. 3. c. 3. p. 167. *Oudinus* Supplem. de scriptor. eccles. 648. *Neu* in Mantissa ad *Whearum* 165.

Casp. *Bruschius*, nomen hoc a proavo, qui ob corporis pinguedinem *Brust* appellabatur, cum gentilitium nomen esset *Peisser*, nactus, egranus, poëta laureatus & comes palat. scripsit de Episcopatibus, Germaniæ Epitomen, cuius prima duntaxat Pars prodiit, & egregium tractatum de monasteriis, cuius tamen non nisi una datur Centuria, quas sequi debuissent tres aliæ, periitque A. 1559. æt. 41. insidiis nobilium quorundam, in quos scriptum editurus ferebatur. *Calvör* Saxon. infer. p. 614. Vir doctissimus fuit, antiquitatisque studiosissimus, (*Adamus* in Vit. philos. 183. & *Königius* 139.) ac Io. *Mulleri*, *Regiomontani* cognominati, vaticinium latine reddens, & ipse vatem egit, idque mirifice auxit. De quo legatur *Thuanus* l. 90. p. 176. Duo adhuc de eo sunt notanda, quod videlicet in cœnobio caszienfi, cum peregrinans eo delatus esset, honorem nactus sit saltandi cum abbatissa, nobili & optima matrona, quodque vestimenta sua, ex abbatum stipe comparata, cum eorum caussa se a plebe honorari colique animadvertet, partim conciderit, partim deturpaverit, tanquam improba mancipia, domini sui gloriam prærripientia. M. *Adam*. l. c.

XXIII.

Petri BEMBI Epistolarum LEONIS X. P. M. nomine scriptarum libri XVI. impressi admodum nitide Venetiis ab Ioanne Patavino & Venturino, sine expressione anni; videtur autem fuisse annus 1535. quippe quo epistola dedicatoria ad PAVLVM III. cuius auctoritate motus Bembus hos & digessit libros & edidit, scripta fuit. Non tamen omnes hic continentur epistolæ, quas vir summus nomine Pontificis exaravit; interim illæ, quæ in hac comparent editione, regni, quod tenuit LEO X. quasi historiam exhibent.

Pet. *Bembus*, patricius venetus, Constantini *Lascaris* in græcis litteris & Nic. *Leoniceni* in philosophia discipulus, illustrem generis sui nobilitatem doctrina singulari, facundia admiranda, & summa vitæ integritate ornavit. LEONIS X. cum *Sadoleto* fuit ab epistolis, ac postea curam gessit bibliothecæ D. Marci in urbe patria, donec una cum Sadoleto, collega antehac suo, a PAVLO III. in collegium Cardinalium cooptaretur: in qua dignitate vixit usque ad annum 1547. æt. fere 77. & vixisset fortasse longius, nisi ad parietem, dum equo vehebatur, allisus, indeque vulnere in late-

latere, & insequente febre letali afflictus fuisset. Reliquit & alia scripta, videlicet gli Asolani, Rime, Orationi &c. Epistolas familiares, de Imitatione librum I. de Culice *Virgilii*, Castigationes in *Terentium*. de Guidone Vbaldo Feretrio & Elisabetha Gonzagia Vrbini Ducibus, Historiam venetam, & alia, quorum catalogum habes apud *Ghilinum* vol. I. 193. Opera eius latina prodierunt Basileæ A. 1567. Argentinæ 1609. & Francofurti 1652. 8. *Clericusque* Observationes in ea dedit in Biblioth. sel. T. I. 314. Vitam viri descripsit Io. *Casa*, defunctoque Hier. *Quirinus*, qui omni vivum officio coluerat, statua marmorea artificiosissima, inque celeberrima S. Antonii æde Patavii locata, parentavit. Ciceronianæ eloquentiæ sedulus fuit admirator & imitator, ac in seligendis collocandisque verbis multum posuit operæ, tanti æstimans latine scribendi facultatem, qua pollebat, ut eam ne quidem mantuano se marchionatu permutare velle profiteretur, laudatus propterea *Erasmo*, *Casa*, *Balbino* Verisimil. p. 13. Oct. *Ferrario* Opp. var. T. I. 427. Dan. *Heinsio* orat. 19. *Morhofio* Polyhist. l. 1. c. 23. n. 58. & de lingua teuton. 178. *Schurzfleischio* Epp. Select. p. 39. 197. & Io. Guil. *Bergero* Differt. acad. p. 199. Iul. Cæs. *Scaliger* autem, Casp. *Francus* in *Crenii* Animadv. P. III. 30. & *Lipsius*, qui tamen alibi mitius sentit ac loquitur, ei iniquiores sunt. Interim negari nequit, in selectu vocabulorum & phrasium interdum nimis fuisse scrupulosum. *Campanella* de libr. propr. (in *Crenii* T. II. Methodor. p. 203.) *Clericus* l. c. p. 319. *Wolfius* in Casaubonianis p 242. 245. *Thuanus* quidem, auctor gravis, Histor. lib. III. p. 63. non dubitat affirmare, multa eius, ut temporum nequitia, & Domini, cui serviebat, mores ferebant, licentiosius scripta exstare; sed eundem animæ humanæ immortalitatem, resurrectionem hominum, & vitam æternam, ut vulgo dicitur, atque a *Meyfarto* narratur c. 14. de Academ. p. 111. negasse, sine luculentis & sufficientibus probationibus quis temere afferat? Certe in hoc ei videtur iniuria fieri, quod ex hisce eius verbis, si tamen illis usus est unquam, *se nunquam peius collocasse tempus, quam in legendis Bibliis*, auctoritatem sacræ scripturæ reiecisse & proculcasse concluditur: hoc enim intellexerit non de rebus ibi contentis, sed de latinitate versionis non satis bona. Vide Scip. *Gentilem* Commentar. in epistol. Pauli ad Philem. pag. 40. *König* 99. *Lexic. univ. histor.* T. I. 329. ac præterea *Saussayum* 15.

Baillet

Baillet des enfans celebr. 122. & *Fellerum* Monument. ined. T. I. p. 400.

Petri IVSTINIANI Rerum venetarum Hiſtoria. Venetiis 1560. Sed vitioſe admodum. Recuſa A. 1611. cum Appendice, item A. 1660. atque in linguam italicam translata, & in publicum edita A. 1671. Andr. *Dinnerus*, IC. altorfinus, qui hunc olim poſſedit codicem, ſequentia adſcripſit: *Hæc hiſtoria ab V. C. uſque ad* 1560. *ſe porrigit.* Immo & amplius; minimum adhuc ad biennium. Quod autem aliqui ſcribunt, ad annum uſque 1575. perductam eſſe, id fortaſſe de eius Appendice intelligendum. *Ghilinus* vol. I. 194. elegantiſſimam declarat, propter venuſtatem ſtili, iudicioſam texturam, rerum quæ narrantur varietatem, & omnes circumſtantias, quæ ab inſigni ſcriptore requiruntur. Lib. II. 48. narratur hiſtoria, ſi quidem hiſtoria eſt, de Alexandro III. Pontifice, calcante cervicem Imperatoris FRIDERICI Barbaroſſæ.

Lib. I. p. 14. Hunni Heraclium, *Equilium*, *Ieſulumque* expugnant.	*Eſt una eademque urbs.* Vide *Giornale* de' Letter. d'Ital. T. XVI. 450.
Lib. IX. p. 339. Hermolaus Barbarus Romæ, dum apud *Innocentium* Pontificem pro Rep. oratorem ageret, *mœrore animi confectus* obiit, & quidem *intra paucos dies.*	Ab Innocentio quidem creatus fuit Patriarcha aquileienſis, ſed *ſub eo non obiit, neque etiam ex mœrore animi* ob ſereniſſ. Reip. diſplicentiam de collato munere ſacro. *Giornale* T. XXIIX. 235.
Lib. X. p. 341. Ex Germanis Georgius *Gombergius.*	*Sonnembergius*, ut habet P. *Bembus* Hiſt. ven. p. 4.

Pet. *Iuſtinianus*, Ludovici filius, patricius & ſenator venetus, ſtudiis iuris, quæ perſequebatur, adiunxit ornamentum elegantiorum litterarum, in primis latinitatis: unde ipſi facile fuit patriæ ſuæ hiſtoriam libris XIII. condere. Claruit medio & inclinante ſæculo XVI. & laudatur ab Octav. *Ferrario* Oper. var. T. I. 414.

Pauli MANVTII liber de Legibus romanis. Venetiis 1557. cum ſigno Aldi: quod *Eraſmus* explicat in adagio, *Feſtina lente.* Impreſſus etiam eſt Coloniæ Agrippinæ A. 1570. 8. noviſſimæque Roſini Antiqq. rom. editioni additus, & volumini II. *Gra-*

Graviano Antiqq. roman. insertus. Est hic liber unus, & quidem sextus, e decem illis, quos auctor de antiquitatibus romanis, Petri *Bembi* Card. & Bernardini *Maffei*, eandem postea consecuti dignitatem, suasu & consilio scribere aggressus est, certe in animo habuit. Priores autem quinque agebant de urbe, civitate, religione, senatu & comitiis: huiusque libri V. sunt partes, 1. quibus nominibus appellatæ sint leges. 2. a quo genere hominum. 3. quibus in locis. 4. quibus temporibus. 5. quibus de caussis latæ sint leges. Et hic liber cum reliquis, Oct. *Ferrarii* in Oper. var. T. I. 435. iudicio, in auctore plurimas literas, nec eas vulgares, sed interiores & reconditas fuisse demonstrant. At Fran. *Robortellus* de Arte crit. p. 114. 115. scribere audet, eum compilasse *Zasii*, *Gruchii* & *Balduini* eadem de re commentarios, neque ad artem criticam satis instructum fuisse.

Paulus *Manutius*, Aldi senioris filius, venetus, professione typographus, ab HIPPOLYTO tamen Estensi, Cardinale, in familiarium ordinem receptus, tullianæ dictionis admirator & felicissimus in scribendo imitator, sed latine loquendi imperitus, &, *Scioppio* notante, phrasium & significationum quarundam inventor sive novator, tam emendate edidit Patres aliosque auctores, quam scite & eleganter sciebat scribere in latino. E scriptis eius sunt Scholia in aliquot *Ciceronis* libros, & in Commentarios *Asconii*, Apophthegmata, Adagia, Notationes in *Virgilium*, Calendarium vetus romanum cum Commentario; ut silentio præteream opuscula eius italica. Nimia studiorum tractatione & oculorum & corporis sibi imbecillitatem attraxit; quæ calamitas, mœrore ob filiæ impudicam vitam aucta, infelicibus bonum virum litteratis associavit, mortique tradidit Romæ A. 1574. æt. 62. *Ghilinus* vol. I. 358. *Imperialis* 106. *Thuanus* lib. LIX. 40. Octav. *Ferrarius* T. I. 434. *Muretus* Orat. XIX. 365. *Goclenius* Observat. lat. linguæ 2. *Schurzfleisch* Epp. select. 39.

XXIV.

Io. LVNDII Alte Iüdische Heiligthümer, i. e. Antiquitates sacræ iudaicæ. Hamburgi 1701. Opus XIII. annorum. Antea partes eius, & quidem imperfecte, ac sine auctoris præfatione & indicibus prodierant, videlicet A. 1695. & 1696. 8. recensitæ in *Actis erud.*

A. 1695. 210. 263. & 1696. 319. Constat hoc opus V. libris, quorum primus de tabernaculo sancto, secundus de templo hierosolymitano utroque, tertius de Pontifice maximo & ceteris sacerdotibus leviticis, quartus de levitis, & quintus de cultu antiquorum Ebræorum publico agit. Et præfiguntur Prolegomena Henrici *Muhlii*, in quibus ille de adhibendis merito, sed prudenter, in explicatione scripturæ sacræ eiusmodi auctoribus, qui antiquitates iudaicas paullo curiosius rimati fuerunt, ex instituto disserit, palmamque inter hos Lundio deberi palam ostendit. Accesserunt in singulare ornamentum variæ figuræ æneæ, videlicet Ichnographia tabernaculi pag. 1. Retectum tabernaculum. p. 3. Tabernaculum cum suis IV. involucris. p. 8. Cherubim. p. 15. Arca fœderis cum columna nubis. p. 36. Moneta cum virga Aaronis. p. 90. Candelabrum aureum. p. 114. Mensa panum propositionis. p. 121. 122. Panes propositionis. p. 123. Patinæ aureæ pro panibus propositionis. p. 124. Altare thymiamatis. p. 131. Labrum æneum. p. 166. Altare holocausti, cum instrumentis sacrificiorum. p. 172. Siclus. p. 203. Castra Israëlitarum. p. 216. Templum Salomonis. p. 254. Sanctissimum. p. 259. Sanctum. p. 269. Ichnographia atrii interioris, tempore Herodis. p. 302. Mare æneum. p. 307. Bases æreæ. p. 311. Locus mactationis. p. 323. Sacerdos summus cum ornatu suo. p. 418. Sacerdos gregarius cum amictu suo. p. 418. Pretiosi lapides in humeris summi Sacerdotis. p. 427. Crucifixio Iudæorum. p. 470. Flagrum. p. 472. Idolum Moloch. p. 564. Benedictio sacerdotum. p. 654. Cæsura in brachiis. p. 732. Pharisæus cum vestitu suo. p. 797. 798. Phylacterium. p. 800. Sacerdotum & levitarum suburbium. p. 868. Lecti, in quibus discubuerunt comedentes. p. 998. Moneta Purim erfurtensium. p. 1071. Similes libri, qui in notitiam antiquitatum iudaicarum nos ducunt, sunt 1) Io. *Eisenmengeri* Iudaismus revelatus. Berolini in 4. de quo vide iudicium Rud. Mart. *Meelfuhreri* in Honore & gaudio S. Ecclesiæ. p. 50. 2) I. I. *Schudtii* Notabilia iudaica: de quibus Relat. innoc. A. 1714. 149. 3) Les ceremonies & coutumes des Iuifs, avec la comparaison des ceremonies chretiennes avec les iuives, par Mr. *de Simonville*: de quibus *Acta erudit*, A. 1683. 137. & plures alii, qui indicantur a *Dassovio* in disp. de Imaginib. hebr. rer. p. 1. & sqq. Quanquam *Wagenseilius* præfat. in

in Inſtitut. iudaico-germani modi loquendi & ſcribendi, lit. K. non dubitet ſcribere, impoſſibile eſſe, exacte tradere antiquitates iudaicas. Accedamus autem ad obſervationes producendas, notandaque errata.

Præfat. n. 38. Io. *Sauberti* tractatus de Sacerdotio Hebræorum *nondum, quod ſciam, lucem videt.*	Non errat in hoc auctor: nam ego tractatum illum edidi Altdorfii in Operibus Sauberti poſthumis A. 1694. *qui erat poſt auctoris obitum octavus.*
Pag. 4. n. 10. Aſſeres tabernaculi ab omni latere auro obducebantur, non ut hodie res inaurantur, ubi nihil aliud adeſt quam *auri ſpuma.*	Quaſi vero aurum, quo hodie vaſa obduci ſolent, ſit ſpuma, & non potius *aurum puriſſimum in tenuem laminam expanſum.* Io. Phil. *Heinius* Obſervat. ſacr. l. 1. c. 6. §. 2. (in Conlect. varior. ſcriptor. T. II. faſc. I. p. 88.
P. 33. n. 14. Hebræi tradunt, operculum arcæ fœderis fuiſſe *palmaris craſſitiei.*	Hæc traditio eſt *ſcripturæ, veritati & ſanæ rationi contraria. Heinius* l. c. §. 3. p. 90.
P. 35. n. 25. Tradunt Hebræi, unum ex Cherubim propitiatorii fuiſſe maſculini, *alterum feminini generis.*	Hoc ænigmate indicare volentes, per virum *Gabrielem*, per feminam autem *eccleſiam iudaicam* effigiari: nam prophetias ac revelationes omnes Iudæis ab angelo Gabriele fieri credebant. Herm. *Von der Hardt* Program. in feſto nativit. Chriſti A. 1701.
P. 62. n. 18. Druſius ad *Iud.* 3. 7. ſententiam ſuam revocat.	Ad 1. *Sam.* 4, 7.
P. 64. in Nota ad n. 2. Hoc ipſo *cadit eorum interpretatio*, qui per nubem intelligunt fumum ſuffitus, a ſummo Sacerdote die expiationis in ſanctiſſimo effectum.	Illam vero *defenſum* it Herm. *Von der Hardt* Ephemer. philog. p. 86. 219.
P. 170. n. 20. Labrum non ſtabat	Sed Deus iuſſit illud poni *in-*

recta inter sanctum & altare holocausti, sed *aliquantum ad latus, versus meridiem.*	*ter tentorium conventus, & inter altare.* Ex. 30, 18. & c. 40, 30. *Heinius* l. c. p. 90.
P. 179. n. 28. Altare holocausti *non fuit altum pluquam VII. cubitos.*	Deus præscripsit III. *cubitorum altitudinem,* Ex. 27. 1. *Idem* l. c. p. 50.
P. 183. n. 2. Ex igne altaris *triplex fiebat rogus.*	Non nisi *unica struis* mentio fit *Levit.* 6, 9. 12. 13. sive, secundum alios, v. 2 5. 6. *Idem* p. 58.
P. 184. n. Strues tertia erat *perpetui ignis.*	Præcipitur, ut *omni mane ignis incendatur.* Et valet ne argumentum *a Dei præcepto ad perpetuam eius exsecutionem?* Hiskias 2. *Chron.* 29, 7. fatetur, *patres holocausta non obtulisse in Sanctuario, Idem* p. 59.
P. 186. n. 24. Ignis cœlestis *leonis instar altari incubuit.*	*Fabula iudaica, Idem* p. 61.
P. 260. n. 8. Templum intus non solum auro, sed etiam *gemmis multis,* & pretiosis lapidibus resplenduit.	Templum fundatum erat *lapidibus vegrandibus,* adeoque pretiosis, *non gemmis, Idem* p. 94.
P. 267. n. 17. Quæ caussæ hic recedendi *ab universali* Hebræorum sententia (de 2. velis inter sanctum & sanctissimum?)	Illa sententia *non est universalis:* nam R. Iose in *Iona* c. 5. §. 1. non nisi unum agnoscit, provocans ad *Ex.* 26, 33. *Relat. innoc.* A. 1713. 634.
P. 371. n. Arx regia erat, si abires ex templo hierosolymitano, *versus meridiem.*	*Versus Septentrionem.* Io. *Lightfoot* in Chorograph. Matthæo præmissa c. 22. p. 46.
P. 378. n. 20. Nulli erat licitum intrare atrium gentium *cum baculo, zona pecuniaria,* vel *sputum in eo emittere.*	*Fabula, Idem* l. c. p. 96.
P. 146. n. 10. Non constituebatur summus sacerdos, *qui fuis-*	Nullum horum erat metuendum: nam *Sacerdotium alligatur*

ſet lanio, aut *tonſor*, aut *balneator*, aut *coriarius*,	*batur familia aharonica*, cuius cognati & affines ſordidis opificiis nec implicare ſe volebant, nec debebant, nec poterant. *Heinius* p. 98.
P. 446. n. 3. Summus Pontifex inunctus fuit prope frontem inter oculorum palpebras, *ad formam crucis ſive X Græcorum.*	*Nihil de hoc certi*, & rationes huius ritus ſunt vanæ. *Vitringa* Obſervat. ſacr. l. 2. c. 15. p. 460. 458.
P. 468. n. 3. Locus lapidationis *altus erat geminam hominis altitudinem. Teſtium unus detrudebat* reum, ut in lumbos caderet. Si ex hoc caſu moriebatur, legi ſatisfactum erat; ſin, *alter lapidem ingentem ſublatum in pectus eius* immittebat: quo ſi moreretur, ſatis erat factum.	Hæc relatio ſacro codici plane eſt contraria. *Lev.* 24, 14. *Heinius* p. 102.
P. 469. n. 14 Facinoroſum, ad ſupplicium ducendum, potabant vino mirrhato, *ut diſtraheretur mens eius.*	Quomodo hoc convenit cum illo, quod traditur, damnatum, ſi quid pro ſua proponendum haberet innocentia, *quater vel quinquies reductum fuiſſe?* nam mente alienatus quo pacto innocentiam ſuam defendere poterat? *Idem* p. 101.
P. 562. n. 8. An Rex Moabitarum ſuum ipſius natum, an Regis edomitici filium captum immolaverit, *e textu non liquido conſtat.*	*Liquido conſtat e textu*, ut *Sauberto* videtur, fuiſſe filium Regis edomitici. In Opp. poſthum. p. 65.
P. 564. n. 15. Vallis Hinnom erat extra urbem ad eius murum, *verſus occaſum*, ad fontem Siloah.	*Verſus meridiem*, deflectens tamen etiam in Orientem. *Lightfoot* Chorograph. Matthæo præmiſſæ c. 26. p. 54.
P. 576. n. 5. Holocauſtum dici-	Potius, quod *in altare aſcenderit*, vide-

tur עולה Ascendens sive Ascensio, *quia totum fumo ascendebat in cœlum* sive aërem. | videlicet Sacerdotum manibus illuc delatum, ibique repositum. *Heinius* p. 44.

P. 1028. n. 15. Pridie festi expiationis Pontifex maximus cœnabat parce, *ne somno obrueretur.* | *Scriptura S. non prohibuit* ei illo tempore somnum. *Idem* 99.

P. 1032. n. 21. *Lev.* 16, 10. Dimittant Azazel in desertum (dimittant hircum *ad Azazelem* in desertum.) | *Ipse hircus vocabatur Azazel*, quia abigebatur. Theodor. *Dassovius* in Scholiis critic. in Levit. p. 24.

N. 23. Non nulli Hebræorum volunt, *Azazelem fuisse nomen alicuius montis in deserto.* | Sed *errant*, uti ex præcedente patet observatione.

P. 1037. Viro cum Azazele exeunti *pontem fecerunt ligneum* spatio circiter bis mille cubitorum, ne cum hirco posset a peregrinis Iudæis vellicari & vexari. | Alii dicunt, fuisse *lapidibus erectum.* At de stupenda hac structura nec *Iosephus*, nec alius scriptor, mentionem faciunt. *Heinius* Observat. sacr. l. 2. c. 3. §. 5. (p. 40. T. II. Conlect. Fascic. II.)

P. 1038. n. 27. Non est ratio prægnans, ut abeamus a sententia Rabbinorum, dicentium, *vittam coccineam* hirco emissario alligatam, *albam fuisse redditam*, in signum condonationis peccatorum. Et huc videtur respicere *Esaias* c. 1, 18. | Sed *Deus nihil præcepit* de lana coccinea. Nec *Iosephus* tanti miraculi meminit. *Kimchius* & *Abarbanel* in Iesaiam commentantes, vittam rufam sicco pede prætereunt. Prophetam autem, mentione peccatorum velut dibaphorum *alludit ad v.* 15. quo dicebatur, manus eorum esse sanguine repletas. *Idem* l. 2. p. 42.

P. 1044. n. 17. Si quis consilio aut ex ignorantia peccasset, ille debebat sacrificium illud *sine necessario* in festo expiationis adferre. | *Una cum necessario.*

Io.

Io. *Lundius*, flensburgensis, per XXII. annos ecclesiastes tunderanus in Holsatia, obiit A. 1686. æt. 48. Laudem diligentiæ ei tribuit Theodorus *Dassovius* in Præfam. disput. de Imaginibus rerum ebræar. maiorem tamen professoribus academicis, eorumque similibus, qui ipsos Ebræorum libros sciunt legere.

Henr. *Muhlius*, S. theol. D. & Ducis Holsat. Superintendens generalis, orator ecclesiasticus supremus, consiliarius ecclesiasticus, procancellarius, ac professor primus in academia kiloniensi, adhuc vivit, famamque meritis suis partam cunctis in muneribus egregie tuetur.

XXV.

Rod. HOSPINIANI de Templis libri V. Genevæ 1672. Tractatur in hoc opere de origine, progressu, usu & abusu templorum, & rerum ad templa pertinentium, & quidem in I. libro de locis sacris patriarcharum, tabernaculo, templo & synagogis Iudæorum, lucis & templis Gentilium, ac templis Christianorum: in II. de iis, quæ templis continentur, choro, cryptis, cathedra, baptisterio, ciboriis, altaribus, reliquiis, imaginibus, cruce, lucernis, organis, anathematis, aqua lustrali, campanis, crucibus in turribus, processionibus, invocatione sanctorum, & peregrinationibus: in III. de iis, quæ extra templa, nempe cœmeteriis, sacellis, ossariis, ædibus sacerdotalibus, carceribus episcopalibus, scholis, bibliothecis, arte typographica: in IV. de consecrationibus templorum, altarium, crucis, imaginum, calicis, cerei, frugum, primitiarum, aquæ lustralis, campanarum, cœmeteriorum: in V. de bonis ecclesiasticis, donatione CONSTANTINI, decimis, oblationibus, iure patronatus, incorporationibus. In Dedicatione ad Fridericum, Electorem palatinum, agit de cultu divino & origine papatus, docens, Deum cultus sui modum sive rationem, simplicem quidem, sed numeris tamen omnibus absolutissimam ac perfectissimam præscripsisse: ac pontificiam religionem intra mille proximos annos (scripsit autem hoc A. 1587.) demum natam esse.

Iuellus contra Hardingum monet, altaria Christianorum apud veteres *in medio ecclesiæ populique* posita fuisse.

Sed *rationes, ab utroque allatæ*, probe sunt expendendæ, an satis firmæ sint ac validæ. Sic scripsi, nec pœnitet me scripsisse, in *No-*

| *Notis* ad Orat.de Templis vet.
| Christianorum p. 9.

Hospiniani de Monachis libri VI. 1669. Editio emendata, aucta & locupletata cum integris capitibus, tum responsionibus ad *Bellarmini* sophismata & argumenta. Disseritur in hoc opere de origine & progressu monachatus & ordinum monasticorum, Equitumque militarium, tam sacrorum, quam sæcularium.

Eiusdem de Festis Iudæorum & Ethnicorum libri III. Editio tertia, aucta & locupletata. 1674. In iis agitur de origine, progressu, cærimoniis & ritibus festorum apud Iudæos, Græcos, Romanos, Turcas & Indos; in Epistola autem dedicatoria de mutatione cærimoniarum ecclesiasticarum, de autore festorum Gentilium & Iudæorum, deque sanctitate, qua tam Ethnici quam Iudæi festa sua celebrarunt. Andr. *Origanus* Hospinianum nostrum appellat diligentissimum festorum enarratorem, seque eum maxima ex parte in eis secutum esse testatur. Verba eius reperies post Epistolam dedicatoriam.

Eiusdem de Festis Christianorum Tractatus. 1674. In quo dicitur de origine, progressu, cærimoniis & ritibus festorum dierum apud Christianos, ostenditurque, veram primitivam ecclesiam paucissima habuisse festa, progressu autem temporis prodigiose a superstitiosis hominibus numerum eorum accumulatum, & multiplices errores in observatione illorum introductas esse. In Epistola dedicatoria differit auctor de antiquitate & divina institutione festorum dierum, de libertate Christianorum circa festa, & corruptione varia, quæ in ecclesiam irrepsit.

XXVI.

Io. Bapt. CASALIUS de urbis ac rom. Imperii splendore. Romæ 1650. Hoc in opere agitur de Romanorum veterum virtutibus & potentia, opibus, ædificiis, urbis situ & amplitudine, statuis, obeliscis, columnis, viis, aquæductibus & cloacis, pontibus, aggeribus, mole Hadriani, triumphis, ludis, gladiatoribus, venatione, amphitheatro, tragœdia, comœdia, vestimentis, nobilium armis familiarum, annulis, pileo, sternuenti salutem adprecandi usu, tesserarum usu, re nummaria, nuptiis, thermis conviviis, hospitalitate, funeribus, apotheosi: sacrificiis, sacerdotiis, virginibus vesta-

ſtalibus, Sybillis, comitiis, regimine & magiſtratibus, legibus, militia; item de ſanctorum martyrum cœmeteriis p. 56. & virginibus chriſtianis. p. 382. Similia ſcripta ſunt Roma G. *Fabricii*, Antverpiæ 1657. 8. *Panvinii*, *Martiani*, *Iani* & *Boiſſardi* Topographia Romæ, cum tabulis geographicis, imaginibus antiquæ & novæ urbis, atque inſcriptionibus, Francofurti 1627. f. Ant. *Thyſii* Roma illuſtrata, ex Lipſio & Georg. Fabricio, Amſtelodami 1657. 12. Io. Theod. *Sprengeri* Roma nova, cum Regulis cancellariis apoſtolicis ac privilegiis Religioſorum & Clericorum, Francofurti 1667. 12.

Idem CASALIVS de Veteribus ſacris Chriſtianorum ritibus. Romæ, 1647. Vbi tractatur de figura S. crucis, SS. imaginibus, ritibus precum, ſacramentis novæ legis, & quidem VII. in quibus etiam de excommunicatione agitur, de eccleſiarum ædificatione & conſecratione, ſupellectile, veſtibus, aqua benedicta, chriſmate, reliquiis Sanctorum, peregrinationibus ad loca ſacra, proceſſionibus & rogationibus, ac litaniis, incenſo, lucernis & aliis luminibus, campanis, cantu eccleſiaſtico, horis canonicis, Breviario, uſu incognitæ linguæ in officio eccleſiæ, icunculis, quæ *Medaglie* dicuntur, corona & tonſura Clericorum, habitu monachorum, votis, cælibatu eccleſiaſticorum, chriſtianorum Imperatorum modo erga ethnicorum ritus, ſacerdotibus Gentilium ad religionem chriſtianam tranſeuntibus, cærimoniis ſeu ritibus in genere, ſpeciatim de oſculo pacis, feſtivis diebus, cinerum cærimonia, quadrageſima, vigiliis, funeribus, miraculis, canonizatione Sanctorum, decimis, conciliis & eorum auctoritate, Romana eccleſia eiusque capite Papa & Cardinalibus, Græcæ eccleſiæ ſtatu & ritibus, græcorum Imperatorum triumphis, indulgentiis eccleſiaſticis, & anno iubileo. Antehac prodierunt hi libri ſub titulo Operis tripartiti de profanis & ſacris veteribus ritibus, cuius prima pars tradit ritus Aegyptiorum, ſecunda ritus Romanorum, tertia ſacros Chriſtianorum: & ſic recuſi ſunt Francofurti 1681. 4. Sed ſecunda pars in noſtra editione eſt auctior, & tertia itidem locupletior, pariterque emendatior, quam in prima editione. Sine dubio autem prægnantem auctor habuit cauſam, cur in altera editione omiſerit deſcriptionem rituum ægyptiorum; quamquam eius non meminit.

Pag. 37. Poſt renunciationes *ca-* | Non in baptiſmo, ſed *ante eum.*

catechumenis (iam baptizandis) *dabatur pallium.*	In baptismo autem dabatur iis vestis alba seu candida. Ioach. *Hildebrand.* Th.dogm.c.19.§ 91.
P. 286. Iudicium Ecclesiæ & S. Sedis est *infallibile* in canonizatione sanctorum.	*Contrarium* probat *Launoius* Epp. p. 27.

Io. Bapt. *Casalius*, romanus, a cognomini, S. Maiest. Britannicæ aliquando ad Remp. Venetam legato, deinde episcopo bellunensi, distinguendus, peragrata Gallia, Belgio & Anglia, legalibus quidem studiis se se addixit, longoque Principes obsequio coluit, sed nullum inde fructum capere valens, mundanis istis valedixit, & sacros, ut vocant, ordines ingressus est; atque hoc in otio ea congessit, quæ ad librum de veteribus sacris Christianorum ritibus erant necessaria, indeque ipsum illum librum: quem laudant Iac. Phil. *Tomasinus* & Io. Fran. *a Slingelant* in præmissis Epistolis; cum e contrario *Hottingerus* Bibliothecar. l. 3. c. 4. p. 419. de auctore scribat, eum titulo feliciorem esse, quam tractatione. Equidem & ipse Casalius suam agnoscit imperfectionem, nec vel stilo vel ordine (adde, sis, vel rerum ubique veritate) lectori satis se facere diffitetur; interim adhuc tolerabilis est, & sua mactandus laude, modo prudens ac peritus lector accesserit: auctor vero ad plures abiit A. 1648.

XXVII.

Iani GRVTERI Inscriptiones antiquæ totius orbis romani, cura Io. Georg. *Graevii* recensitæ. Amstelodami 1678. volumina II. Cum notis Marq. *Gudii* & *Holthenii*, tabulis æneis a *Boissardo* confectis, Characteribus sive abbreviaturis Tull. *Tironis*, Ciceronis liberti, & Ann. *Senecæ*, ac denique XXIV. Indicibus a Ios. Iusto *Scaligero* adornatis, ab *Holthenio* autem emendatis & auctis. Prior editio Gruteri Inscriptionum prodiit, ne quid de minore anni 1601. dicam, Francofurti A. 1616. In ipso opere habes Inscriptiones de templis, altaribus, & aliis monumentis publicis, diis dicatis: de sacrificiis, ædificiis & operibus publicis: de saxis in honorem Imperatorum erectis, marmoribus fastorum, sacrificatorum, gladiatorum & aurigarum circensium: de monumentis honori Magistratuum positis, & decretis publicis Magistratuum, ac tractatibus diversarum gentium: de monumentis militum, atque co-

eorum, qui officio præerant in palatio cæsareo. &c. Præmittuntur, post dedicationem ad Comitem de Pembroke, 1) longa Præfatio Petri *Burmanni*, in qua vir doctissimus disserit de iis, qui primi curiositate antiquas inscriptiones scrutandi & colligendi excitati sunt, & quid hac in editione præstitum, ut priore esset melior, atque exoptabilior. 2) Elogium Grævii carminice, auctore *Broekhusio*, & aliud in forma Inscriptionis, erectum a Io. Frid. *Cramero*, consiliario S. Maiestatis prussicæ in Regimine magdeburgensi. 3) Balth. *Venatoris* Panegyricus in honorem Gruteri. 4) Eiusdem *Gruteri* Vita, descripta a Frid. Herm. *Flaydero*. *Gudii* Adnotationes non sunt aliæ, quam quas vir nobilissimus exemplari suo prioris editionis allevit, easque *Gravius* singulis subiicere Inscriptionibus cœperat, dum *Burmannus* & *Holthenius* conferre deberent, quidquid in aliorum scriptis reperissent, ad Inscriptiones pertinens. Sed cum opus hoc, *Gravio* fatis cedente, non nisi dimidiam partem impressum esset, necesse erat, ut alius lampada, quasi a defuncto traditam, caperet, & choros duceret; idque officium, boni publici amore, non minus feliciter, quam lubenter in se recepit præstantissimus polyhistor, *Burmannus*. Ceterum, quod ad Characteres attinet, sciendum, illos non esse Tullii *Tironis*, liberti *Ciceronis*, & Ann. *Seneca*, sed diu post eos inventos, aut minimum adauctos: certe *Reinesius* credidit, collectionem illam esse partum sæculi V. & *Salmasius* transtulit in sæculum VI. Spes est facta, Io. Guil. *von Meel* daturum hos Inscriptiones auctiores; sed optandum, ut in nova editione, a quocunque illa suscipiatur, ea observentur monita, quæ scite ac prudenter dedit vir celebris, Io. *Clericus* Tomo XIV. de la Biblioth. choisie p. 51. & seqq. videlicet eo in loco, ubi Gruteriani operis luculentam facit recensionem. Negari enim nequit, multa adhuc restare in opere illo alioquin eximio corrigenda; & Corn. *Patinus*, sicut legimus apud *Iansonium ab Almeloveen* in Biblioth. prom. & lat. 139. Velschio scripsit, se millenis id multis adaugere, si velit, & reiectis suppostitiis emendare posse. Imo Raph. *Fabrettus* in Explicat. antiqq. inscriptionum (de qua vide *Acta erudit*. A. 1699. 337) passim notat errores auctoris, operique subiunxit Emendationes Gruterianas. Interim opus ipsum tale est, ut, fatente *Reinesio* in dedicat. & præfat. suarum Inscriptionum * 2. omnem commendationem supergrediatur, gloriamque aliis præripiat.

Ianus *Gruterus*, antverpiensis, a pueritia in exilio vivens, Iuris quidem studiis operam navavit, & honores eius doctorales consecutus est, maiorem tamen voluptatem cepit ex humanioribus, ita ut ei suave videretur, illis impallescere atque immori. Iam erat Wittebergæ, a *Christiano* Electore vocatus, & Historiarum professionem ornare perrexisset, nisi, post Heri fata, liber Concordiæ ipsi oblatus fuisset subscribendus; maluit autem discere, quam libro, quem non legisset, nec fortasse intelligeret, se & conscientiam mancipare suam. Postea per aliquod temporis spatium docuit Rostochii, donec Heidelbergam veniret, & professioni humaniorum litterarum, curæque bibliothecæ palatinæ præficeretur. De utroque hoc munere, deque bono publico, cui variis se scriptis adprobavit, præclarissime meritus, nominis sui famam longe lateque dissipavit. Hinc Veneti eum expetivere in locum Riccoboni, qui Patavii docuerat, & stipendium promiserunt mille & ducentorum ducatorum; sed ille maluit in statione sua, quamvis mediocri, permanere. Sicut autem perpetuis quasi calamitatibus fuit obnoxius, ita hanc vidit longe maximam, quod præstantissima bibliotheca palatina, & sua ipsius, in manus hostium veniret, suique libri & MSS. a furiosis militibus dilacerarentur, & equorum pedibus, loco paleæ, substernerentur. Heidelberga igitur expulsus, in exilio oberravit, & licet illuc rediisset, non tamen subsistere potuit, sed Bernholdæ, in prædio suo, non procul ab urbe, larem figens, agri, horti & litterarum cultura vitæ reliquum traduxit, donec vitæ, laborum & adversitatum satur anno 1627. æt. 66. e vita hac emigrabat in meliorem. Eo tempore, quo res eius minime florebant, a groningensis academiæ Curatoribus expetitus fuit in professorem, Daniaque & Gallia eundem desiderabant, non ut doceret atque prælegeret, sed ut consiliis & scriptis rem promoveret litterariam, terrisque ornamento esset; verum ille a Tusculano suo abstrahi non poterat. Scripsit libros Suspicionum, Pericula poëtica, Lampadem sive thesaurum criticum, Polyantheam sive Florilegium ethico-politicum, Bibliothecam exulum, & Annotationes in varios auctores classicos, vir multis virtutibus præditus: fuit enim pius, sobrius, castus, humanus, liberalis, alienus ab avaritia & ambitione, & pacis, neutiquam vero litium ac vanarum disputationum, studiosus; quamvis necesse haberet se se defendere

dere contra Dionys. *Godofredum* & Io. Phil. *Pareum*. Plura de eo reperies apud *Venatorem* & *Flayderum* in ipsius Vita, quarum prior etiam inserta est *Wittii* Memoriis philosophorum p. 212. His adde *Magirum* 409 *Pope-Blount* 922. *Conringiana epistolica* 1. *Schurzfleischii* Acta literaria 56. & *Morhofium* in pluribus locis Polyhistoris literarii.

XXVIII.

Thomæ REINESII Syntagma inscriptionum antiquarum, cum commentariis. Lipsiæ 1682. Syntagma hoc est operis Gruteriani supplementum, quo illæ Inscriptiones, quæ a Grutero omissæ sunt, exhibentur. Vide *Acta erudit.* A. 1682. 89. & Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. lat. 758. In Dedicatione laudat doctissimus auctor cum studium memorias antiquitatum conservandi, tum opus Gruterianum, auspiciis & auxiliis Ios. Scaligeri concinnatum; in Præfatione autem differit de fine Inscriptionum, (videlicet, ut ad posteros traderentur memoriæ rerum utilium pulchrarumque, tum ut de præstantibus ac capitalibus viris exstarent testes etiam lapides celte dolabraque literati) de variis inscriptionum generibus, de earum collectoribus, de Octavii *Boldonii* in Epigraphica erratis, de ætate Romæ veteris, (quippe quæ consistat intra annos Domini sexcentos) de erratis sculptorum vel descriptorum, deque *Ammiani Marcellini* erratis in germanicis nominibus. Elegans huius operis elogium scripsit Frid. *Brummerus*, idque legitur in Wittii Memor. philos. p. 468.

Thom. *Reinesius*, gothanus, post italicam peregrinationem mitra doctorali ornatus Basileæ, medicinam fecit in urbe Variscorum Curia, & Altenburgi, ubi & consulis amplissimo munere conspicuus erat, tandem vero quietis caussa Lipsiam migravit, atque ibi spiritum Deo reddidit A. 1667. ferme octogenarius. Inter scripta eius, ut media silentio prætercam, eminent Commentatio de deo endovellico, ἱστορούμενα linguæ punicæ, Variæ lectiones, earumque Defensio, Commentarius in veterem inscriptionem, Augustæ Vindelicorum erutam, Epicrisis & Scholia in Petronii Arbitri Fragmentum, Notæ in Orationes Hippocratis, & Epp. ad Io. *Vorstium*, ad Christian. *Daumium*, atque ad *Nesteros*, patrem ac filium. Fuit non tantum excellens medicus, philologus, & polyhistor, verum etiam φιλόξενος, pauperum asylum, oppressorum refugium, erran-

rantium altissima Pharus, amator recti ac simplicitatis, osor fastus, simulationis, mendaciorum, frequentique codicis sacri lectione in litteralem eius sensum feliciter penetravit, immo & eo usque progressus est in domestica pietate, ut *Augustini* Soliloquia & *Gerhardi* Meditationes elegiaco carmine tersissime redderet. Scio quidem, notari eum, apud *Crenium* Animadv. P. XIV. 45. & XVII. 5. 1) ob vitæ communis & civilis imperitiam, 2) ob latini sermonis inelegantiam; sed æquior iudex facile eum absolvet, dicens: Fuerit austerulus, an propterea imperitus dicendus est civilis vitæ, qui multos annos magistratum magno cum decore gessit, & cum viris inclytis, Principibus etiam, conversatus est? deinde sufficit, eum latine scripsisse, etiamsi non semper ornate. Ecquis est tantus elegantiarum latini sermonis venator, aut possessor, qui non interdum ipse labatur, & phrasi aut voce minus elegante collutuletur? De *Reinesio* autem videantur *Witte* in Memor. philos. 461. *Magirus* 704. *Conringiana epist. Ernstius* apud *Cren.* Animadvers. P. XIIX. 69. *Schurzfleisch* Dissert. acad. p. 47. & *frater* eius in Actis liter. 52. *Rupertus* in Synops. Besoldi min. 157. 600. *Arnold.* H E. & hær. P. II. 606. & *Clericus* Biblioth. choiS. T. XIV. 54.

XXIX.

Carolæ Catharinæ PATINÆ Tabellæ selectæ & explicatæ. Patavii 1691. Tabellæ autem, quas ita vocat, sunt figuræ, ex rarioribus, nec dum vulgatis *Titiani*, Pauli *Calliarii* veronensis, Leon. *Vincii*, Alex. *Varotarii* dicti Padovanini, Andræ *Vicentini*, Iac. *Robusti* dicti Tintoretti, Iac. *a Ponte* dicti Bassani, Annib. *Caraccii*, Domin. *Contareni*, Io. *Holbenii* & Natalis *Iouvenet* picturis in æs incisæ, eoque ordine dispositæ, ut historiæ V. T. primum occupent locum, tum sequantur, quæ ad novum pertinent, atque has excipiant nonnullæ Sanctorum actiones, cum antiquis aliquot elegantibus fabulis, nec non liberatione Viennæ Austriæ, & familia Caroli *Patini*.

Carola Catharina *Patina*, Caroli Patini, Med. doctoris ac professoris patavini, omnisque antiquitatis, atque in primis rei nummariæ peritissimi, & Magdalenæ *Hommetz*, quæ a Reflexionibus moralibus & christianis clara est, filia, Gabrielidisque Carolæ, quæ Epistolam scripsit de phœnice in nummo quodam CARACALLÆ, soror,

soror, Parisiis nata, græce & latine docta, duabus hisce linguis C. S. Schurzfleischium hospitem affata est, ac tanta perfudit voluptate, ut domum reversus colloquii huius non sine magna voluptate recordaretur, deque politiore humanitate commercium litterarum cum ea exerceret. Vivit illa adhuc, eruditis feminis, cum Matre & Sorore, omnino annumeranda, atque ideo etiam eadem cum Sorore in societatem recepta a celebribus Academicis Recuperatis. Vide, si lubet, *Acta eruditorum* A. 1684. 587. & A. 1691. 337. 549. B. G. *Struve* Introduct. in notit. rei lit. 123. *Moller*. de homon. 710. Io. Guil. *Berger* Dissertat. academ. p. 279. Atque huiusdem Musæ Epistola est apologetica, Lipsiam ad Collectores Actorum A. 1689. data, ab iisque recensita A. 1691. p. 337. & elegans Oratio latina, exstans p. 183. Tabellarum selectarum, qua LEOPOLDO Imperatori, Turcarum victori felicissimo, liberationem urbis viennensis A. 1683. sollemniter gratulata est. A prædictis Collectoribus magno, nec adulatorio ornatur elogio, dum ad A. 1691. 337. vocatur Pallas patavina.

FIGVRÆ variæ, videlicet Cathedræ S. Petri, fori Panthei, fori SS. Apostolorum, fori S. Mariæ Minervæ, castelli Gandolfo, Terræ Ariciæ, & armamentarii di Cività vecchia.

HABITI d' huomini e di donne venetiane &c. Habitus marium & feminarum, Processiones, Triumphi, Festa & Cærimoniæ publicæ Venetorum, cum figuris quibusdam ad Academiam patavinam spectantibus. Inventor earum dicitur esse Iacobus *da Ponte*, *Bassano*: de quo *Sandrartus* volum. II. Academiæ teuton. P. II. 176.

XXX.

Epitome Bibliothecæ GESNERIANÆ, amplificata a Iosia SIMLERO, & Io. Iacobo FRISIO. Tiguri 1583. Auctor Epitomes est Conradus *Lycosthenes*. Vide *Præfat.* huius libri, & *Crenium* Animadv. P. II. 191. qui quidem Compendium Lycosthenis habet pro manco & mutilo, quia neque formam notet librorum, nec locum, nec annum editionis, nec nomina typographorum. Eam vero accessione plus quam M. nominum locupletavit *Simlerus*, & hic ipse, cum *Frisio*, ita iam dat auctiorem, ut hæc editio priore duplo maior sit. Atque hoc opere quidem exhibetur catalogus omnium fere scriptorum, a mundi initio ad editionis us-

que

que tempus, exstantium, & non exstantium, publicatorum, & passim in bibliothecis latitantium. Prædictus *Frisius* ex hac Epitome Nomenclatorem confecit, secundum artium genera in certos titulos digestum, Antonius autem *Verderius* (*du Verdier*) in Bibliotheca gallica, & Io. *Hallervord* in Bibliotheca curiosa, eius auctaria sive supplementa dedere, & ille quidem nimis breve. *Cren.* Animadvers. P. II. 192. Gesneri institutum, quo Bibliothecam sive catalogum universalem secundum alphabetum & auctorum nomina concinnavit, omnino utile ac laudabile est; ideoque laudatur non tantum ab *Hottingero* Bibliothecar. p. 8. sed etiam *Voglero* Introduct. in notit. scriptor. 24. *Bosio* Introd. in notit. scriptor. eccles. c. IV. §. 2. *Morhofio* Polyh. l. 1. c. 18. p. 215. *Ionsio*, *Bailleto*, & Ios. *Scaligero* apud eundem l. c. Io. Alb. *Fabricio* Præf. in vol. I. Biblioth. græcæ, & B. G. *Struvio* Introd. in histor. rei liter. c. 1. p. 27. In initio præsentis operis comparent 1) Ios. *Simleri* Epistola dedicatoria ad Ludovicum palatinum, qua docet, ad Principum curam & officium pertinere, ut publicæ instituantur bibliothecæ. 2) I. I. *Frisii* Præfatio sive Dedicatio ad eundem Principem, qua indicat, curam augendi Epitomen Simlerianam sibi a Froschovero typographo fuisse commissam, bibliothecas ad ecclesiæ doctrinam confirmandam facere, pluresque instruendas esse. 3) Io. *Simleri* & Io. Iac. *Frisii* Præfatio. In qua sermo est de iis, qui in simili opere sunt versati, de Gesneri Bibliotheca, eaque in Epitomen contracta, ac postea aucta, de differentia Bibliothecæ eiusque Epitomes, & usu huius libri.

Pag. 2. col. 1. *Abrahami* patriarchæ liber *Zezirach* sive reformationis.	ס' יצירה Liber *Iezirah*. *Placcius* de Anon. 698. I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. p. 23.
4. Achilles *Statius* Alexandrinus.	*Tatius*. *Morhof* Polyh. I. VII. 385.
8. *Adrianus* Papa VI. *Adrianus* T. T. S. Chrysogoni presbyter cardinalis.	Est *unus idemque*. *Morhof* Polyh. T. I. lib. IV. p. 118.
11. Æliani Sophistæ Romani de varia historia libri XIV. a Iusto *Valteio* weterano latinitate donati.	A Iusto *Vulteio*.
17. Alanus *poëta siculus* scripsit li-	Auctor illius libri est *Alanus magnus*,

brum de Planctu naturæ. Claruit *anno* 1300.	*gnus*, ex doctore scholæ sorbonicæ monachus cœnobii cisterciensis laicus, qui *obiit* 1294. *Moller* de homon. 533.
18. Albertus Argentinensis vixit sub Ludovico Bavaro *circa annum salutis* 1250.	*Circa annum salutis* 1350. *Neu* in Mantissa ad Whear. 165.
19. Alb. Crantz *claruit anno Domini* 1520.	*Obiit anno* 1517. *Moller* Introd. ad Histor. cimbr. 99.
25. Alexander *de Alexandria*, ordinis Fratrum minorum.	Alex. *ab Alexandro*. *Moller* de homon. 535.
27. Alexander Hegius *Daventriensis*.	*Westphalus*, a loco natali *Heck* ditionis monasteriensis cognomen retinens, *gymnasiarcha daventriensis*. *Cren.* Animadvers. P. IV. 227.
30. Alfricus Grammaticus, abbas *abindonensis* & postremo cantuariensis archiepiscopus, obiit *Anno* 1006.	Abbas *vvintoniensis*, postea archiepisc. *eboracensis*, obiit *anno* 1051. *Moller* de homon. 558.
34. Ambrosius Ansbertus floruit *anno Domini* 890.	*Anno Domini* 760. *Cren.* P. X. 77.
37. Exstat præterea *Ammiani Marcellini fragmentum* de vita Thucydidis.	Est *Ammiani rhetoris*. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 612.
43. Andreæ Fricii Modrevii Sylvæ sunt tres, & *tertia* quidem *de baptismo infantium*.	*Nihil in tertia Silva*, immo nec in reliquis de baptismo infantum habetur. *Sandius* Biblioth. Antitrinitar. 38.
53. Anna Comnena, uxor Nicephori *Melisseni*.	Nicephori *Bryennii*. *Moller* de homon. 505.
69. Apollinaris *pater* scripsit Metaphrasin Psalmorum poëticam, & Tragoediam, cui titulus: Christus patiens.	*Incertum*, patri ne an filio debeantur. *Idem* 417.
78. Aristophanis poëtæ comici Fabulæ IX. cum antiquis com-	Venetiis *anno* 1498. & Florentiæ *anno* 1525. I. A. *Fabricius* Bibl. gr.

mentariis græcis impressæ ab Aldo Venetiis *anno* 1502. Et rursus Florentiæ *anno* 1515.	gr. lib. II. 716.
P. 80. Arnobius, sub Diocletiano vivens, scripsit *Commentarium in Psalmos & alia.*	Sunt *Annobii iunioris*, scriptoris sæc. V. *Moller* de homon. 540.
87 *Athenæus* philosophus scripsit Theogoniæ libb. X. Item librum de rerum principio, *teste Aeliano.*	*Pherecydes*, philosophus atheniensis, sive, ut alii, syrius. *Neque id de Athenæo testatur Aelianus. Fabricius* lib. IV. 633.
92. Augustini *Hunæi* Logices fundamentum.	*Hunnæi.*
100. Io. Bapt. Mantuanus, cognomento *Spagnolus.*	Andr. *du Saussay* in Continuat. libri Bellarm. de Scriptor. eccl. p. 5. hoc vult corrigere, & ex Possevino substituit cognomen *Hispanioli.* Sed eodem recidit latinum *Hispaniolus*, ac italicum & Io. Baptistæ gentilitium *Spagnoli.* Pet. *Lucius* Bibl. Carmel. *Voss.* de Hist. lat. 206. *Lexic. univ. histor.* T. IV. 469.
111. Benedictus Arias, Montanus, *Hispalensis.*	Erat *natural de Frexenal de la Sierra*; quæ regio est montosa: unde & Montanus dictus. Cypr. *de Valera* præfat. in Biblia hispan.
114. Bernardinus Corius de Vitis Cæsarum usque *ad Heinricum XII.*	*Ad Heinricum* VI. *Giornale* de' letter. d'Ital. T. XXIII. 390.
124. *Brigida, Laginensis Scota,* scripsit Revelationum suarum libros XII.	Illi sunt *Birgitta sueca*, A. 1373. aut 1383. defunctæ; scota autem celebris erat, circa A. 518. *Moller* 548.
125. Commentarios in psalmos opinor esse Brunonis, *Episcopi herbipolensis.*	Sunt Brunonis *coloniensis*, *Carthusianorum* patriarchæ. *Idem* 549.
136. Carolus Aretinus *Comœdias* quasdam scripsit.	*Comœdiam unam. Giorn.* T. X. 481.

Est

P.138. Caroli Verardi *liber de expugnatione regni Granatæ.* Eiusdem *Historia Batica.*	Est *unus liber*, non duo. *Giorn.* T.XXIII.378.
147. Christoph. *Porsena*, Romanus.	*Persona. Id.* T.XIX.325.
160. Conr. *Celtis* Protucius claruit *anno Domini* 1370.	Conr. *Celtes* claruit *anno* 1491. & obiit 1508. Melch. *Adam* in Vit. philos. 29. *Richard* Hist. biblioth. cæsar. vindobon. 23.
170. Conradus *de Monte Puellarum.*	*Von Meydeburg.* (magdeburgicus)
176. Cornelius *Scribonius*, *Grapheus.*	Corn. Scribonius, *alias* Grapheus.
Cornelius Vitellius, *corinthius.*	*De Cortona. Giorn.* T. XIV. 317. & T. XVII. 327.
190. Demetrius *Magnesius.*	Demetrius *Magnes.* Io. *Moller* de homon. 901.
Demetrii Phalerei *Præcepta de membris & incisis, Periodo eiusque partibus, de Componendis epistolis, de Characteribus dicendi.*	Hæc omnia *continentur in libro* περι ερμηνειας sive de elocutione. I. G. *Krause* Animadv. in Boecleri Bibliograph. crit. 835.
199. Dionis Cassii libros Rom. historiæ græce excudit Rob. Stephanus, *cum castigationibus Henr.* Stephani, *filii sui.* Sic etiam p. 333. ubi sermo est de Henrico Stephano.	Castigationes istæ sunt *Roberti*, *patris*, qui eas sibimet tribuit in Præfatione. *Placcius* de pseudon. 575.
205. *Dolus* Mendesius, Aegyptiæ gentis.	*Bolus* Mendesius: de quo auctor dixerat p. 122. *Reines.* Var. lect. 122.
208. Durandus de S. Portiano scripsit *librum de concilio celebrando.*	Liber ille *est Guilielmi Duranti*, iunioris, episcopi itidem mimatensis, vivis erepti circa annum Christi 1328. *Moller* de homon. 557.
217. Erasmi *Alberti* Iudicium de Spongia Erasmi Roterodami.	Erasmi *Albert.*



P. 224. *Eumathii* græci Amatoria opera. Et p. 227. *Euſtathius* præſul edidit Hiſtoriam quandam amatoriam.	Romæ exſtat codex Euſtathii, in quo Ευμαθιυ pro Ευςαθιυ ſcriptum. Hinc natus error, *quaſi diverſi eſſent* Eumathius & Euſtathius. *Caſaubonus* in Epp. p. 486.
238. Fran. *Feuerdentius.*	*Feuardentius.*
243. Fran. Philelphus ſcripſit Vitam *S. Nicolai* pontificis.	*Nicolai V.* pontificis. *Giorn.* T. XIV. 332.
273. Georg. Merula ſcripſit *de antiquitatibus* Vicecomitum libb. X. excuſos *Romæ*: & *ex Dione* tranſtulit vitas Cæſarum, Nervæ, Trajani, atque Adriani.	De *antiquitate* Vicecomitum, excuſos *Mediolani.* Vitas Cæſarum autem tranſtulit *e Xiphilino*, *Id.* T. XVII. 308.
327. Henricus *de Erfordia*, Germanus, ſcripſit de factis memorabilibus lib. I.	Henricus *de Hervordia*, weſtphalus. *Moller* de homon. 576.
340. Hermes Aegyptius, *Platonis diſcipulus.*	*Id a vero aberrat.* I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. I. c. 9. p. 66.
341. Hermol. Barbarus, eccl. rom. *Cardinalis*, librum edidit *de conſcribenda hiſtoria præceptis*. Themiſtii paraphraſes in aliquot Ariſtotelis libros *admodum adoleſcens* latinas fecit.	Fuit deſignatus *patriarcha aquileienſis*, ſed non Cardinalis. *Giorn.* T. XXVIII. 159. An liber de conſcribenda hiſtoria unquam editus ſit, non liquet: *ipſe* certe *eius non meminit* in Catalogo ſuorum operum. Themiſtium vertit *undevigeſimum agens ætatis annum. Giorn.* 159. 191. 193.
342. Herodianus Alexandrinus grammaticus *ſcripſit Vitas Imperatorum.*	Vitarum auctor eſt *alius*, *& iunior*, non homo umbraticus & ſcholaſticus, ſed in luce negotiorum civilium verſatus. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. volum. VII. 11.
343. *Heſychii presbyteri & monachi* ſunt Epiſtola ad Au-	*An iunioris*, florentis ſæc. VII? *Moller* de homon. 480.

Non

gustinum, *Sermon de sobrietate* &c.	
Hesychius *Milesius* — Hesychius *Illustris*.	Non sunt duo, sed *unus idemque*, *Moller* de homon. 478.
P. 348. Hieronymus *Groslotius* I.C. scripsit super 2. Digesti veteris.	*Groslotius*. Vide *Goldasti* Centur. unam philologicar. Epist. 337, 343.
350. Hieronymus *de Padua* claruit *anno* 1494.	Hieronymus *Vallis* (Valle) patavinus, qui *anno* prædicto non erat amplius in vivis. *Giorn.* T. X. 487.
355. Hieron. Zanchii, *Bergamatis*, SS. theol. in Gymnas. argentor. prof.	*Alzani*. Io. *Moller* de homon. 736.
359 Hippolytus Thebanus *fortassis idem est episcopus, de quo iam diximus ex D. Hieronymo.*	Immo *alius*: ille enim, martyr, vixit sæculo III, hic X. *Moller* de homon. 482. *Allatius* de Psellis p. 10. *Olearius* P. I. 344.
360. Horatius Romanus *primus* fuit, qui Homeri Iliadem e græco in latinum sermonem transferret.	Ante illum id iam præstiterat Fran. *Petrarcha* per Nicolaum Siozerum, Imperatoris interpretem, & Io. *Boccacius* per Leontium Pilatum. Horatius autem Romanus Homerum primus expressit *carmine heroico*. *Giorn.* T. XII. 349.
399. Io. Andreas episcopus aleriensis *claruit* anno Domini 1491.	Adde: *atque edidit* Lucanum, Plinium, Ovidium & Epistolas Hieronymi. *Moller* de homon. 50.
Io. Andr. Bononiensis *floruit anno* 1348.	*Eodemque obiit*. Rob. *Bellarminus* de scriptor. eccles. 220. *Moller* l. c. 51.
400. *Io. Andrea Hieronymianus*, id est, de vita, morte, & prodigiis Hieronymi.	Hic autem Andreas *idem est, qui Bononiensis*, in aversa pag. a Simlero recensitus. *Moller* 50.
414. Io. Bugenhagii in librum	*Apud Io. Knoblouch*.

psalmorum interpretatio, impressa Basileæ *apud Adamum Petri* A. 1524.	
P. 418. Ioannis Cantacuzeni *contra Iudæos* orationes, sive libri aliquot, nondum excusi, quos propediem Io. Oporinus in lucem dabit, volente Deo.	Si *non sub illis intelligendi sunt libri adversus Mahometis errores*, in quibus multi errores, quos Iudæi cum Mahometanis communes habent, refelluntur. Io. Alb. *Fabricius* Bibl. gr. vol. VI. 473.
Ioannis Cantua[r]ensis archiepiscopi Perspectivæ communis libri III.	Ioannis *Peckam*, cantuariensis archiepiscopi. *Krause* in Bibliograph. crit. 881.
419 Ioannes de Casa Poëmata edidit, in quibus *Sodomiam laudibus extollit*.	*Menagius* in Anti-Bailleto *negat*, talem librum unquam prodiisse. *Lexic. univ. histor.* T. I. 579.
423. Io. Cochleus, *Norimbergensis*.	*Wendelsteinensis*. *König* 200.
438. *Ioannis Francisci* Poggii.	Poggii *Bracciolini*. Neque hic diversus est ab Poggio Florentino, cuius auctor mentionem facit p. 701. I. B. *Reatinus* in Vita Poggii.
469. Ioannes Mailrosius scripsit *de natura divisione* librum I. & *libros Dionysii Areopagita in latinam linguam transtulit*.	Sunt *Ioannis Erigena*, sive Scoti. *Moller* de homon. 621. *Cave* P. I. 386.
484. Ioannis *Petterstam* Chronica Holsatiæ & *Stiria*.	Ioannis *Petrai* sive *Petersen*, Chronica Holsatiæ & *Stormaria*. *Moller* Isag. ad histor. cimbr. Cherson. 117.
492. Io. *Rusbachii* Opera omnia, Coloniæ. Io. *Rusberi* de ornatu spiritualium nuptiarum libri III. Ioannis *Rusbrock* opera omnia Coloniæ excusa.	*Vnus est auctor* Ioannes Rusbrock. *Olearius* Biblioth. P. II. 145.

Para-

P.517. *Ionathas Vzielis filius totum vetus instrumentum* in chaldæam vertit linguam: Quidam eum putant *esse Theodotionem.*	Paraphrasis illa est *tantum in Legem, & prophetas priores ac posteriores.* Neque auctor eius est Ionathan Vzielis filius, sed *alius diu post Constantini M. tempora.* Et male *cum Theodotione confunditur.* *Moller* de homon. 230.
525. *Iulii Firmici Materni* iunioris, siculi, Matheseos sive Astronomicorum libri IIX. *Iulius Firmicus* de errore profanarum religionum.	*Est unus omnino auctor. Olear.* P.I. 423.
530. *Kiranis* (vel, ut alii scribunt, Kiranides, *Kiranus, Caranus*) *scripsit quædam arabice* de facultatibus magicis & medicis stirpium quarundam, lapidum & animalium.	*Kiranides* est *nomen libri*, non auctoris. C. G. *Blumberg* Verit. myster. tiaræ R. Pontif. 36.
538. Laurentius *a Villavincentio.*	Laur. *a Villavicentio. Cren.* Diss. II. de furib. librar. n. CIII. p. 239.
572. Marini *Becichemi Scodrensis*, opera quædam impressa feruntur.	Marini *Bechichemi*, professoris brixiensis. *Reinesius* ep. 39. ad Daumium p. 116. *Cren.* Animadv. P. XIIX. 78.
576. Martini Buceri contra *episcopum Abricensem* Defensio.	Is erat *Robertus Senalis.*
592. *Matthæus Palmerius Florentinus* transtulit Aristæi de LXX. interpretibus opusculum.	Non iste, sed *Matthias Palmerius, pisanus*, translationis *Aristeæ* auctor est; cui etiam tribuitur a Frisio nostro p. 596. *Moller* 710.
596. Matthias Palmerius, *Vincentinus.*	*Pisanus.*
597. *Maximi Confessoris* (in carce-	Sunt *Maximi, Patriarchæ* CPtani, circa

re mortui A. C. 662.) sunt Qq. variæ contra Arianos.	circa annum 660. *Hülsemann.* Patrol. c. 4. p. 1043. *Moller* de homon. 502.
P. 608 Mich. Psellus *Peripateticus*, *idem forte cum Michaële Ephesio.*	Immo sunt *diversi*; & dubium, *an Peripatetici* dicendi: non enim sunt paraphrastæ Aristotelis. Atque *Ephesius* quidem *ex alterius sive ore sive monumentis*, quamvis verisimilius ex ore, sua hauserit. I. A. *Fabricius* Bibl. gr. l. V. 21. (Cc) 3.
609. Michaëlis *Sidonii*, episcopi *Mesburgensis*, conciones de missa.	Michaëlis *Heldingi*, primum Sidonii, deinde *merseburgensis* episcopi.
610. Mich. Syngeli libellus de laudibus D. Dionysii gr. & latine excusus est Parisiis *anno* 1550.	*Anno* 1547. & 1562. *Hyde* Biblioth. bodlei. P. II. 190.
613. *Moses* Cordubensis, R. Moses *filius Maimon*, Ægyptius, & R. *Moses*, *cui Aphorismi* in medicina tribuuntur.	Non sunt tres, sed *unus* R. Moses filius Maimon, *cordubensis* dictus a loco nativitatis, *ægyptius* a loco commorationis. *Wolfius* Biblioth. hebr. 834.
R. Mosis filii Maimon est *Directorium in theologia*, & *liber perplexorum*. *Scripta eius* a Iudæis *Ranbam vocantur*.	Non sunt duo, sed *unus liber*, מורה נבוכים *Doctor perplexorum*. Et ipse hic Moses per contractionem vocatur *Rambam*, id est, Rabbi Moses Ben Maimon. *Id.* 834. 855.
628. Nicolaus de Lyra, natione *Anglicus*.	Natus Lyræ, in dioecesi Normanniæ ebroicensi, adeoque fuit *gallus*. *Olear.* P. II. 22.
633. *Nicolaus* Sophianus *Corcyreus*.	*Micuaël* Sophianus, *corcyraeus*. Vide *Colomes.* 293. & Annot. ad Io. *Burtoni* Histor. gr. linguæ (Tomo I. Conlect. libror. rar. 623.)

Is

648. Palladius, *Scotorum apostolus ac primus episcopus*, scripsit Dialogum de vita Ioannis Chrysostomi.	Is fuit Palladius *Galata*, helenopolitanus initio, dein urbis in Galatia asponensis episcopus, A. 418. mortuus. *Moller* de homon. 512.
652. Pascasius Ratbertus, *abbas Corbiensis*.	*Prior corbeiensis*. Io. *Letzner* Chron. corbei. E.
653. Paulinus, Episc. Nolanus, *scripsit Vitam S. Ambrosii, & lib. de Benedictionib. Patriarcharum*.	*Non scripsit*. *Moller* 60.
654. Paulus *Annicola*, Cellæ veteris abbas.	*Amnicola*. *Idem* 816.
688. *Philarchi* liber de pulsibus.	*Philareti*. *Idem* 329.
Philareti historici scripta subinde citantur apud Plutarchum.	*Philarchi*. *Idem* ibid.
702. In Concilio constant. (Poggius) Quintilianum & Asconium Pedianum dicitur reperisse.	*Tempore* Concilii const. *in fundo turris* monasterii S. Galli. *Reatinus* in Vita Poggii.
Poggii Historiæ convivales *nescio an sint liber facetiarum*.	*Non sunt*. Vide *eius Opera* A. 1513. impressa.
729. Robertus *Grosthede* Lincolniensis.	*Grosthead*, sive *Grosteste*, seu *Gronehead*, episcopus lincolniensis. *Hyde* Catal. biblioth. Bodlei. P. I. 307. *Conlect.* libror. rar. T. I. 695.
730. Roberti *Renetensis* præfatio de Alcorani conversione, in fol. *anno* 1550. edita.	Roberti *retenensis*: edita *anno* etiam 1543.
Roberti *Senalis*, episcopi Abrincensis.	Roberti *Cenalis*. *Menagiana* T. III. 120.
745. Sebast. Castalio dicitur alieno nomine in publicum edidisse *libellum de non puniendis hæreticis*.	*Ille est Lælii Socini*.
764. Stephani grammatici græci liber de Vrbibus *a Xylandro emen-*	In ista editione *tantum promittitur* emendatio atque inter-
Pars III. In fol.	O pre-

datus, excusus est Basileæ græce & latine, *eodem interprete*, anno 1568.	pretatio. Thom. *de Pinedo* præf. in Stephan. de Vrbibus.
769. Suidæ *Thessalica* citat Apollonii interpres. Eiusdem *Genealogias* Stephanus.	Thessalica & Genealogiæ *recentius avum sapiunt*, *Moller* de homon. 519.
770. Simeon *Xerocerci Principis* Capita practica & theologica.	Simeonis, *cœnobii S. Mamantis CPtani prope murum Xylocerci*, circa A. 1051. *Præpositi*. Thom. *Reinesius* Var. lect. 438. *Moller* 517.
771. Qui primus Epistolas Symmachi Argentinæ edidit, in eo aberravit, *quod eundem esse crediderit*, qui socer Boëthii.	*Contrarium* exstat in illa præfatione. *Krause* Animadv. in Bœcleri Bibliograph. crit. 844.
772. *Tacus* in libro de lapidibus.	*Sotacus*, de quo dixerat p. 762. *Reines*. Var. lect. 121.
782. Theodorus Gaza Ciceronis de Senectute & *Somnio Scipionis* libros in græcum sermonem transtulit.	Translatio Somnii Scipionis in græcum debetur *Maximo Planudi*. *Placcius* de pseudon. 304.
787. *Theophili Leberti* Onomasticon theologicum.	Est *Dav. Chytræi*. Vide Biblioth. Schrader. P. I. Y 8.
811. Varini Phavorini Camertis Lexicon græcum excusum est *Parisiis in officina Morelli*, in fol.	*Ista Morelli editio nunquam in lucem comparuit*, *Giorn*. T. XIX. 122.
821. Walafridus abbas Augiæ divitis claruit *anno* 700.	*Anno* 840. *Goldastus* Rer. alamann. T. II 229.

Conradus *Lycosthenes*, cuius patri nomen erat *Wolfhart*, sive *Wolfcraft*, Rubeaco-alsatus, Grammaticæ & Dialecticæ professor basiliensis, & diaconus ecclesiæ, philologus & theologus insignis, reliquit commentarium in Plinium iuniorem de viris illustribus, tractatum de prodigiis, illustrium virorum Apophthegmata, libros de mulierum præclare dictis & factis, ac priscis Romanorum legibus, primus quoque Theatro humano, quod postea Zwingerus absolvit, manum admovisse dicitur. Paralysi memoriam amisit,

sit, eaque recuperata sinistra manu loco dextræ usus est, usque dum apoplexia correptus morti traderetur: id quod contigit anno Christi 1561. ætatis valetudinariæ 43. Quatuor summa erga se agnovit ac prædicavit beneficia divina, 1. quod christianus natus, 2. quod in litterarum studiis educatus, 3. quod ad theologiæ professionem vocatus, 4. quod opportunitate rem publicam scriptis iuvandi non fuisset destitutus. Fuit sane laborum tolerans, quamvis infirma valetudine, ideoque a Melch. *Adamo* in Vitis theolog. p. 364. vocatur theologus atque philologus diligentissimus, deque communibus studiis præclare meritus. Vide modo dictum *Adamum* 362. & *Lexic. univ. histor.* T. III. 392.

Iosias *Simlerus*, natus Capellis, Helvetiæ cœnobio, *Borrhai*, *Amerbachii*, *Munsteri*, *Acronii*, *Curionis*, *Castalionis*, *Sturmii*, *Petri Martyris*, *Buceri*, *Fagii* discipulus, excellens tam mathematicus, quam theologus, (neque enim mathesis, quam quidem noster suo fere Marte didicit, aliena est a theologo) pastor & professor theologiæ tigurinus, tam felici instructus fuit memoria, ut vaga & tumultuaria scriptorum lectione, quod tamen neutiquam ad imitationem trahendum, uteretur, maluitque aliorum, quam sua ipsius scripta (quamquam nec hisce orbem eruditum privavit, edens commentarium de Rep. Helvetiorum, Descriptionem Valesiæ, lib. de Principiis astronomiæ, libros de æterno Dei filio contra *novos Arianos*, *Tritheitas* & *Samosatenianos*, cum libris de Spiritu S. contra *Macedonianos*, Adsertionem doctrinæ de duabus naturis in Christo contra Sim. *Budnaeum*, Apologiam Ministrorum ecclesiæ tigurinæ pro defensione Brentiani Testamenti contra Iac. *Andrea*, Responsionem ad II. disputationes Andr. *Musculi*, aliamque Responsionem de Christo mediatore adversus libellum Fran. *Stancari*) in publicum producere, & mortem, quam sibi ipse prædixit, & Pet. Martyr Vermilius præsagivit, imperterritus excepit anno 1576. æt. 46. Mortuum laudavit Io. Guil. *Stuckius*. *Thuanus* lib. LXII. T. II. 82 vocat eum animi candore & omniiuga eruditione præstantem, *Conringius* de Orig. iur. germ. c. 22. p. 203. Reip. Helvetiorum prudentissimum pariter & disertissimum narratorem.

Io. Iacobus *Frisius*, tigurinus, Ioannis filius, minister ecclesiæ patriæ, & in gymnasio professor theologiæ, confecit non tantum Tabulas ex Iod. *Willichii* Dialectica ac Rhetorica, Artificium rhe-

toricum ex *Ciceronis* Orationibus pro Archia & M. Marcello, sed etiam Orationem de officio doctoris ecclesiæ, & Sermones de dignitate ministrorum verbi, & caussis contemtus eorundem, de servanda concordia, de scripturæ sacræ lectione assidua illis necessaria, Ministros ecclesiæ, ut professione, sic vita non debere mundanos esse, periitque, immo ad vitam meliorem translatus est peste A. 1611. æt. 64. Vide hanc *Epitomen Gesneri* p. 459.

XXXI.

Georgii Matthiæ KOENIGII Bibliotheca vetus & nova. Altdorfii 1678. In qua Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabum, Persarum, Aegyptiorum, Græcorum & Latinorum per universum terrarum orbem scriptorum, Theologorum, ICtorum, Medicorum, Philosophorum, Historicorum, Geographorum, Philologorum, Oratorum, Poëtarum &c. patria, ætas, nomina, libri, sæpius etiam eruditorum de iis elogia, testimonia & iudicia, a prima mundi origine ad annum usque 1678. recensentur & exhibentur. Auctor, ut ipse in Præfat. narrat, librum hunc in privatum usum confecerat, ut statim in promtu haberet, quæ vage dispersa sibi quotidiana scriptorum lectio suggesserat, sed cum *Endteri*, celebres in urbe Norimbergensi bibliopolæ id rescifcerent, seque ad imprimendum & sumtus erogandos ultro offerrent, non eis tantum sed etiam publico, ab amicis ad id instigatus, gratificari atque inservire voluit. Vbi quidem hanc rationem tenuit, ut auctores, quo facilius inveniri possent, ordine alphabetico, & quidem secundum eorum agnomina, collocaret. Si vero, cui tandem bono liber hic futurus sit, quæras, ad hoc ille respondet, 1. ut virorum eruditorum nomina ab interitu serventur. 2. ut scripta eorum, diligentiæ argumentum atque incitamentum posteritati existant, 3. ut scias, quonam tempore scriptores, qui citantur, aut citati leguntur, vixerint, cuiates fuerint, veteres an recentiores, græci an latini, christiani an gentiles. 4. ut notitiam auctorum tibi compares, eorumque orthographiam addiscas, & librorum catalogos sive privatæ, sive publicæ bibliothecæ conficere queas. 5. ut bibliopolæ, quinam scriptores, qui quæruntur, fuerint, quid & quomodo scripserint, & ubi locorum scripta eorum, quaque in forma edita fuerint, discere possint. Fatendum tamen est, multas in hunc

hunc librum hallucinationes, multosque errores irrepsisse, atque a viris doctis observatos, partim etiam detectos esse. *Morhof* Polyhist. lit. l. 1. c. 18. n. 15. postquam libri rubrum, quod nimis ipsi videtur ambitiosum, taxaverat, ipso de libro iudicium hoc fert: *Totus ille liber exigua plane industria congestus, e catalogis variis undiquaque & undique corrasus. Historia, quæ breviter annectitur, non nunquam de viris doctis falsa est; libri affinguntur quibusdam, de quibus nunquam forte illi cogitarunt; omnia manca sunt & mutila: nam de viris celeberrimis, qui hodie vivunt, vel nuper desierunt vivere, leviora quædam scripta referuntur, præteritis dignioribus.* Io. *Moller*, cum quo etiam *Tentzelius* in Colloq. menstr. m. Mart. A. 1689. p. 316. facit, in præfat. in Isag. ad histor. Cherson. cimbr. b. 5. observat, *innumeros in eo autores esse omissos, de antiquis paucissima, satisque confuse, in medium allata, e recentiorum, etiam polygraphorum, scriptis quam plurimis plerumque vix unius aut alterius factam mentionem, ac raro synopticam aliquam de autoris patria, ætate ac vita, librique editi loco ac tempore narrationem adiectam; nomina etiam sæpius, & scripta falsa auctoribus attributa, circa patriam atque vitam illorum erratum, inedita pro editis venditata, & ex uno scriptore duos aut tres inepte procusos: ideoque Pet.* Lambecium *non alio, quam rhapsodi titulo illum dignatum.* Ad eundem modum B. G. *Struvius* Introduct. in notit. rei liter. c. 1. §. 20. scribit, *præter errores varios, pauca de scriptorum statu, sæpe etiam nihil, vix unum atque alterum scriptum adduci, immo minimam auctorum partem, cum plerique plane sint omissi.* Quibus adiungi possunt *Schurzfleisch* Epp. select. p. 589. auctor des *Neuen Bücher-saals* T. III. 426. *Nova Bibliotheca* T. V. 480. & illustris *Boineburgius*, qui in Epp. ad I. C. Dietericum p. 319. ait, *modum digerendi* sibi prorsus displicere. At bene tamen addit Struvius cum hoc in loco, tum in Supplementis p. 81. & gratus fatetur *Baelius* in Diction. crit. lit. K. usum adhuc præstare hunc librum, tam ad evolvendum, si quid de hoc vel illo auctore sine mora scire velis, quam ut tibi serviat instar locorum communium, in quos ea referantur, quæ in variorum lectione scriptorum sunt observata, & pro notabilibus habentur. In eundem finem & ego adhibeo hunc librum, gratoque profiteor animo, eum ad præsens opus adornandum mihi sæpe usui fuisse. Esto, Königium multis in locis errasse; id quod in tanta auctorum copia, tantaque re-

rerum varietate certe non mirum; bene autem viri eruditi de publico merebuntur, ſi obſervationes ſuas, quarum bonum numerum dare poterit Cl. Io. *Mollerus*, qui tres earum centurias in parato habet, & codex inſignis quondam theologi Io. Frid. *Mayeri*, de quo in Bibliotheca Mayer. p. 781. mentio fit, cum orbe literato communicaverint, iiſque nebulas lapſuum diſpulerint. Nos quidem ſymbolam noſtram hic ſtatim conferre neutiquam gravabimur, probe ſcientes, beatum virum, ſi adhuc viveret, ut rei literariæ erat amantiſſimus, id minime ægre laturum.

Pag. 3. Abraham *Demalbiſcb.*	*Balmes.* I. C. *Wolf* Bibl. heb. 69.
5. Etymologici magni auctor *Nicas* eſſe putatur.	Sed *falſo.* I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. volum. VI. 28.
12. *Aeneas* Silvius, Piccolomineus.	Piccolomineus (*Aeneas Silvius*).
16. *Agellius.*	*Aulus Gellius.* Io. Alb. *Fabricius* Bibl. lat. 508.
20. Albaſpinæus A. 1617. obiit.	Anno 1630. Autor *Narrat. obitus* Albaſpinæi d 4.
27. v. Alfenus. Vid. *Chr.* Rubertus.	*Chriſtoph. Adam* Rupertus.
32. Ambroſius *Florentinus*, obiit *Conſtantiæ.*	Natus fuit in caſtello, cui nomen *Porticus*, ſupra Forum Livii, ſub monte Apennino, & obiit *Florentiæ.* Vide *Giornale* de' Letter. d' Ital. T. IX. 197.
38. *Andreas* (Lancellot.)	*Andrewes.* Thom. *Hyde* Catal. libror. in Biblioth. bodlei. T. I. 29.
41. Anianus volumen de Legg. Theodoſii Imp. *confecit*, quemadmodum *Sigebertus* tradit.	Sed *Sigebertus erravit*: Anianus enim *tantum recognovit* Breviarium illud, ut Godofredus docet in Annot. ad Cod. Theodoſ. c. 5.
45. Antonius Abbas exaravit *ſeptem Epiſtolas ad Fratres Arſenoitas.*	*Unam* duntaxat, & quidem *ſecundam* inter illas VII. Io. Alb. *Fabricius* vol. IIX. Biblioth. gr. 345.
49. Apollonius Tyaneus, cele-	*Non fuiſſe magum*, *Naudæus* defen-

bris *magus* & philoſophus.	fendere nititur cum in Naudæanis, tum in Apologia magiæ ſuſpectorum 204.
54. *Arctander* (Nic.)	*Laurentii* (Nic.) de quo poſtea in v. Laurentius, ad p. 462.
57. Aringhus *adiutus* a Io. Severano.	Aringhus ſcripſit *poſt* Boſium & *Severanum*, ut ipſe indicat titulus.
63. Arndius (*Ioh.*) *Danus*,	Arndius (*Ioſua*) *guſtrovienſis*. Io. *Moller* Not. ad Bartholinum de Danis p. 320. & de homon. 648.
65. Arthuſius (*Gothofr.*)	*Gothardus*. *Charitius* de eruditis gedanenſ. 6.
Artorius Muſa. Alii vocant *Antonium*.	*Male*. I. A. *Fabricius* Biblioth.lat. 525.
68. *Atavantius* (Paul.)	*Attavantius* ſive *Attavantes*. *Giornale* de' letter. d' Ital. T. XXIIX. 106.
70. Auberius (*Ant.*)	(*Ludov.*) Vide les Memoires de Monſ. *Ancillon* 357.
71. Aventinus mortuus *anno* 1533.	*Anno* 1534. iuxta *Boſium* de Compar. prudent. civili §. 37. & Melch. *Adamum* in Vit. philoſoph. p. 78. eodemque anno ei poſitum fuit monumentum Ratisbonæ apud D. Haimeramum.
Averrões.	Proprie, *Aben Rois*. *Boyſen* diſp. de Apoſtaſ. ſuſpect. 29.
71. Bachetus (*Claud.*)	*Claud. Caſpar*. iuxta *Hydeum* in Catal. P. I. 58. & *Caſpar*, apud Ioach Frid. *Fellerum* T. I. Monument. var. inedit. 400.
78. Baconus (*Rogerius*)	(*Rogerus*) *Hyde* Catal. P. I. 59.
79. Bail. (Lud.) natione *anglus*, pariſienſis theologus.	Natione *gallus*, videlicet *Abbavilla-picardus*, Vide *Corlolani* Summam

	mam concilior. a Bailio auctam.
Pag. 79. Bainbrigius Canicularia *edidit.*	Eius Canicularia, rogatu Vſſerii, *ſupplevit, polivit, ediditque Io. Gravius.* Thom. *Smith* in huius vita p. 25.
82. *Balforeus.*	*Balfoureus.* Sam. *Rachel.* Introd. in philoſoph. moral. Ariſtot. 142.
83. *Barbarinus* (Maphæus)	*Barberinus.* Leo *Allatius* in Dedicat. ad Anton. Barberinum, & Ian. Nic. *Erythraeus* Pinacoth. P. II. 152.
85. Barlaam *Hieracenſis epiſcopus. Barlaam monachus.*	Iuxta Cavium non ſunt duo, ſed *unus. Moller* de homon. 428.
90. Baſilius ſeleuc. Vitam Theclæ *carmine* deſcripſit, ut *Photius, Labbe* & *Olearius* memorant.	Carmen illud *pridem intercidit:* & Baſilius ſeleucienſis probe *diſtinguendus ab altero cognomini.* I. A. *Fabricius* Bibl. gr. vol. IIX. 135. *Moller* de homon. 429.
92. *Baudrant.*	*Baudrand. Acta erudit.* A. 1682. 223. & *Cren.* Methodor. T. II. 425.
93. *Baumann* (Nicol.) *autor eſt libri* Vulpeculæ dicti. — Vulgo ille liber *Reinike Fuchs* vocari ſolet.	Potius *Henricus de Alcmar* auctor eſt. Et liber ille vocatur *Reineke Voß. Hackmann* Program. de Reineke Voſs A. 1709. B.
95. *Beeichemus* (Marinus) *Scodrenſis Dalmata,* Georgii Caſtrioti Scanderbeci res geſtas ſtilo expreſſit.	Marinus *Barletius, ſcodrenſis dalmata. Cren.* Animadv. P. XIIX. 78.
100. Benedictus (Io.) Obſervationibus Novum Teſtamentum *illuſtravit.*	*De conatu* hoc magis, quam de opere intelligendum, ſi iudicium admittimus Arn. *Bootii:* quod repetit Io. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. p. 59.

Non

Pag. 100. Benius (Paul.) dedit *Disputationem* de Annalibus Baronii.	Non est nisi *dissertatiuncula*. I.F. *Feller* Monum. rar. inedit. T.I. 401.
113. *De* Blanc (Lud.)	*Le* Blanc. *Acta erudit.* A. 1685. 420.
Blandrata (Georg.) periit *anno* 1560. Extat *eius Commentarius in caput I.* Iohannis.	*Superstes adhuc erat anno* 1585. Et fortasse contigit eius mors *anno sequente*: Commentarius autem ille *seorsum non exstat*, C. *Sandius* Biblioth. antitrin. 28.
115. Blonus (Nic.) *episcopus* bosnoniensis.	*Presbyter* bosnoniensis. *Starovolscius* de Scriptor. polon. 60.
117. Bœclerus (Io. Henr.) *anno* 1673. obiit.	*Anno* 1672. Io. *Moller* in Schefferi Suecia liter. 454.
135. Brocardus (Bonavent.) *Argenteratensis.*	Erat *vvestphalus*. *Olear.* Biblioth. script. eccles. T. I. 140.
137. Browne (*Thom.*) Anglus, Medicus, *secta Brevvnistarum in Anglia autor.*	Ille est *Robertus* Brown. Io. *Moller* de homon. 656.
139. Bruschius (Casp.) periit *anno* 1569.	Anno 1559. Secundum M. *Adamum* in Vit. philos. p. 183. & H. D. *Meibom.* Orat. de gen. Hist. germ. fontib. 36.
Buboicus (Io. Nic.) scripsit de origine & gestis Turcarum.	Is est *Nicol. Sagundinus*, *euboicus* patria. Secutus autem est auctor noster G. I. *Vossium* de Histor. lat. cæcus cæcum. *Giornale* de' Letter. d' Ital. T. XIIX. 419.
140. Bucerus (Mart.) *Selestadiensis.*	*Argentinensis.* G. *Serpilius* de Commentator. in psalmos 416.
142. *Bullingerus* (Iul. Cæs.)	*Bulengerus.*
143. *Burcardus*, wormatiensis, *collegit* ingens volumen Canonum, libris XX.	*Burchardus.* Collectionem vero illam tribuit *Placcius* de pseudon. p. 145. *Olberto.*
151. *Caietanus* (Thomas). *Pars III. In fol.*	Gentilitium eius nomen erat *De*

	Vio, isque erat episcopus caietanus, & ibidem natus. *Ghilini* P. II. 237. *Crasso* P. I. de gl' Elogii f. 15.
Pag. 155. *Callimachus* (Philip.) *florentinus*.	Erat Philippus *Buonaccorsi*, *San-Geminiano* - tuscus. *Giornale* de' letter. d' Ital. T. XXVI. 375. 440.
Callimachus Experiens scripsit de bello Turcis inferendo.	Est idem, qui *Philippus*. *Giornale* 391.
159. Camuzat (*Nicl.*)	Camuzat (*Nicol.*) Rich. *Simon* Bibl. choif. P. I. 71.
160. *Candalla*.	*De Candalla*.
Caninius (Angelus) *anno* 1557. obiit.	Si non anno 1574. *Lexicon univ. histor.* T. I. 512.
161. Canterus (Theodorus) emisit *Syntagma de ratione emendandi graecos autores*.	Illud est *Gulielmi*, eius fratris. *Hyde* P. I. Catalogi biblioth. bodlei. 134. & *Biblioth. Thuana* P. II. 325.
163. Capellus (Iac.) *Anno* 1633. obiit.	*Anno* 1624. æt. 56. Io. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. 110.
166. *Godofr.* Voigtii Miscellanea Biblica.	Sunt *Alb.* Voigtii. *Moller* de hom. 728.
167. *Carion*.	*Cario*. Melch. *Adamus* in Vitis philos. 104. C. *Sagittarius* Introd. in Hist. eccl. 96.
Carletanus.	*Carletonus*. Thom. *Hyde* Catal. P. I. 139.
169. *Carteromachus* (Scipio)	Nomine gentilitio, *Forteguerra*. Vide *Giornale* Tomo XIX. 101.
170. Casa (Ioh.) Beneventanus *episcopus, ob turpia quadam schemata, cardinalatu, ad quem adspiraverat, exclusus est*.	Erat *archiepiscopus*. Alterum autem *fabula* est, quam cuderunt & cantarunt eius malevoli: nam vera exclusionis a cardinalatu causa hæc erat, quod Pontifex illo tempore nemi-

	neminem vellet creare cardinalem, qui a Principe extero, ficut Cafa a Rege Galliarum, commendatus effet. In fequente autem Cardinalium promotione & ipfe certo certius locum habuiffet, nifi morte fuiffet abreptus. *Giornale de' letter. d' Ital.* T. IV, 210.
Pag. 171. Cafaubonus (Mericus) Texuit tractatum *de lingua hebr. & faxonica.*	De lingua hebraica, *græca, latina,* & faxonica, *obiitque* A. 1671. æt. 65.
172. Caffiodorus (M. Aurelius.)	Adde: *Senator.* Hoc enim eius erat agnomen. I. A. *Fabricius* Biblioth. lat. l. 3. c. 16.
175. *Caftricomius* (Pancrat.)	Antea, *Valerius Gonthofen.* Io. *Moller* de homon. 823.
178. *Della Cavallerie* (Pet.)	*De la Cavalleria* (Pet.) *Hyde* Catal. P. I. 151.
191. Chytræus (Dav.) obiit *anno* 1601.	*Anno* 1600. *Serpilius* Epitaph. theol. fuevic. 97.
192. Cicogna (Strozius) conftruxit Theatrum omnifar. magiæ *anno* 1617.	*Anno* 1606.
199. Cluverius (Phil.) denatus *anno* 1624.	*Anno* 1623. *Witte* Memor. philofoph. 120.
200. *Cochlaus.*	Vel, *Cochleius.*
208. Conringius (Herm.) *anno* 1605. natus eft.	Anno 1606. d. 9. Nov. Videatur *Vita eius*, quæ in Programmate funebri, eius Epiftolis præmiffo, defcribitur, ** 2.
211. Coquæus (Leonh.) edidit Anti-Mornæum, *ut & Apologiam pro Pontificibus romanis,*	Apologia ifta *eft idem fcriptum*, quod Antimornæus; fic enim habet titulus: Antimornæus, five Apologia pro fummis Pontificibus. *Baillet* in Anti T. II. 78.

Pag. 212. *Coriolanus* (*Fr.*) *Longus*.	*A Coriolano* (*Fran. Longus*)
213. *Cornarius* (*Aloys.*) *Cornarius* (*L*)	Non sunt duo, sed *unus idemque*, cui nomen *Ludovici*: pro quo Itali etiam utuntur nomine Aloysii.
214. Cornhertius (Theod. *Volchardus*.)	Deleatur, *Volchardus*.
215. Corradus (*Marius*.)	Corradus (*Q. Marius*.)
218. *Cottonus* (Petrus)	*Cotonus* (Petrus)
219. *Crammerus* (Thom.)	*Cranmerus*, *Hyde* Catal. P. I. 187.
221. *Crellius* (Io.) obiit *Anno* 1642.	*Anno* 1633. Ioach. *Pastorius* in eius Vita, & *Sandius* Biblioth. antitrin. 115.
223. Crocius (*Io. Lud.*) composuit Antiweigelium, & Antibecanum.	Est *idem*, *qui prior*, videlicet Io. *Crocius*. Io. *Moller* de homon. 665.
225. Cruciger (*Io.*) Harmoniam IV. linguarum.	Ille vero *Georgii* nomen gerit.
Crucius (*Io.*) Extant *eius* Mercurius Batavus, & Suada Delphica.	Sunt præcedentis, nempe *Iacobi* Crucii, nucerini. *Moller* de homon. 665.
Cruserius (Herm.) *Medicus*.	*ICtus*. Nam initio quidem operam dedit Medicinæ, deinde vero Iurisprudentiæ, & creatus Doctor Iurium, Ducis Geldriæ Caroli fuit a consiliis. *Lexic. univ. histor.* T. I. 778.
228. Curio (*Cæs.* Secundus)	Curio (*Cœlius Secundus*)
229. Cusanus. Reliquit *Dialogum* in principium Geneseos.	*Tractatum*.
231. Cypræus (*Io. Adolphus*) condidit Annales ecclesiast. Slesvic. & Holsat.	Conditor ille est *Paulus* Cypræus, ICtus. *Moller* Isag. ad Histor. cimbr. P. I. 124.
232. Dalechampius (Iac.) *cadomensis Medicus*, *Anno* 1600. claruit.	Dalechampius fuit *nobilis cadomensis*, & *medicus lugdunensis*, obiitque *anno* 1587. vel sequente. *Lexic. univers. histor.* T. I. 797.

Ali-

Pag. 235. Dantes (*Aligerius*)	*Aliger* (*Dantes Tertius*) nam Aliger ei erat agnomen. Quamquam alii dicant, Aligeri nomen eum habuiſſe a patre, agnomen autem fuiſſe *Del Bello*. Io. Pier. *Valerianus* de Litterat. infelic. 305. *Lexic. univ. hiſt.* T. I. 96.
Dantiſcus (Ioh.) *Polonus.*	*A Curiis*, eratque *natus Gedani*. *Charitius* de viris erudit. Gedani ortis 32.
237. *Davidi* (Fran.) Arianus.	*Davidis*. C. *Sandius* Biblioth. antitrinit. 55.
246. Dieterich (*I. G.*) ſcripſit de Iure & ſtatu Hebræorum in rep. chriſt.	(*Georg. Theodorus*) *Hyde* in Catal. P. I. 206.
252. Diophantus. *Eum edidit etiam Iſm. Bullialdus.*	Hoc autem probetur. Certe hanc editionem nunquam vidit Io. Alb. *Fabricius*, neque, ut putat, alius quisquam. Biblioth. gr. l. 4. c. 22. p. 15. & *Krauſe* in Bœcleri Bibliograph. crit. 879.
255. De Dominis (M. Anton.) *edidit* X. libros de Rep. eccleſ.	Scripſit quidem X. Sed *non editi ſunt niſi IIX.*
Domitius Calderinus.	*De Caldariis*, ſive *da Caldiera*. (*Dominicus*) Vide *Giornale* T. XIII. 454.
260. *Dujat* (Ioh.)	*Doujat.*
Dounæus (*Ant.*) *Scripſit in Chryſoſtomi Homil. in Acta.*	Apud *Hyde* in Catal. P. I. 214. nomen habet *Andreæ*. Et qui in Chryſoſtomum ſcripſit, vocatur *Ioannes*.
264. Dunæus (*Ioh.*) *Iuelli* ex ſorore nepos, *fortis uſum tutatus eſt.*	Scribe, *Iuelli*. Et fortis defenſor eſt *Andreas*.
265. Duræus (Ioh.) Prodromum	*Anno* 1662.

Irenicorum *Anno* 1661. promulgavit.	
Pag. 266 *Durantius* (*Steph.*)	*Durantus* (*Io.* Steph.) Vide *Supplementa* Actor. eruditor. T. IV. 454.
268. *Eckardus* (Henr.)	*Eckhardus.* F. G. *Gotter* Elog. Altenburgenſ. p. 26.
269. Eichſtadius (Laurent.) *Struxit planorum geometriam.*	Hæc debetur Claudio Nicolai *Eiſtadio*, ſive *Leſleo*, dano. *Moller* de homon. 668.
274. *d' Enzinas* (Fr.)	*De Enzinas.*
277. Eraſmus (Deſid.) obiit *anno* 1526.	*Anno* 1536.
279. *Erneſtius* (Henr.)	*Ernſtius.*
280. *Eſcobar* (Ant.) *Burgenſis.*	*De Eſcabor — Pincianus.* Io. Fr. *Mayer* Biblioth. bibl. 66.
de Eſpagne (Ioh.)	*Deſpagne* (Io.) Vide eius opera, Genevæ edita anno 1671. 12.
281. *Evantes.*	*Evanthes.*
282. Euclides, *Megarenſis.*	*Aegyptius.* Vide Biblioth. Schrader. P. II. F 8.
288. Euſebius, *Emiſenus.*	An *Emeſenus?* Io. Alb. *Fabricius* Bibl. gr. vol. IIX. 366. *Socrates* quidem lib. II. Hiſt. eccl. c. 9. & *Sozomenus* lib. III. c. 6. vocant *emiſenum*, urbemque Εμισαν, at *Theodoretus* Dial. III. c. 3. Εμεσην. Vide Conſid. noſtram controv. cum Pontific. p. 204.
Euſtathius, theſſalonic. epiſcopus. Sunt, qui Eumathium Macrembolitam *Protonobeliſarium* pro vero auctore agnoſcere malint.	*Protonobeliſimum.* I. A. *Fabricius* B. gr. volum. VI. 814.
289. Eutychius Batricides. In eius Hiſtoria univerſali plurima *notatu digniſſima.*	*Etiam falſa. Seldenus* apud Helwichium de Ordinat. presbyt. 178.

Pag. 291. Faber (Basil.) *scripsit de Saxonia.*

Vertit Kranzii de Saxonia libros in germanicam linguam. Vide *Ludovici* Histor. scholast. T.I. 240.

292. Faber (*Tanaquillus*)

Tanneguidus. Vide *Valesiana* p.128. & cl. auctorem *Excerpt. menstr.* A. 1702. m. Febr. p. 4.

293. Fabricius (Ioh.) Norimbergensis, natus A. 1618. reliquit Locos theologicos *nondum impressos.*

Illo quidem tempore, quo scripsit auctor, nondum erant impressi, *editi* autem a me *sunt postea* A. 1681. sub titulo Praelectionum theologicarum, item Systematis theologici.

301. Ferrarius (Octavius) scripsit *septem* libros Inscriptionum: *quinque* libros Electorum: *Notas in Plinium*: IIX. *libros Historiarum sui temporis.*

Librum unum Inscriptionum, & *duos* libros Electorum. De Notis in Plinium *nihil exstat*; nec ipse earum meminit in Vitae suae descriptione. Libri autem IIX. historiarum agunt *de rebus Mediolanensium*, suntque inediti. Vide T. II. Oper. var. p. 613.

302. *Festus* Pompeius.

Festus *Sextus* Pompeius. Io. Guil. *Berger* Differt. acad. 243.

303. Ficinus (Marsilius) Confer Baronium T.V. Annal. *pag.* 411.

Anno Domini 411, *num.* 69.

308. Floccus (Andr Dominic.) Primus libellum de Rom. magistrat. cum genuino autoris nomine edi curavit Aeg. *Witsius.*

Immo *Gyraldus* senior.

Florens (*Q. Septimius*) Christianus.

Sic erat scribendum: Christianus (*Q. Septimius Florens*) nam Christianus agnomen eius erat. *Colomesius* Opp. pag. 496.

313. Fortis (Raym. *Ioh.*)

Iohannes Fortis (Raymundus) italice *Gianforte.*

316. Francus (*Rodulf.*)

Francus (*Randolphus*)

Is

Pag. 317. Freherus (Marquardus) Aliquando *sub Lampugnani persona* latere voluit.	Is autem aliis videtur esse *Hippolythus a Collibus. Placcius* de pseudon. 411.
318. *Fricius (Andreas)*	*Modrevius* (Andr. Fricius) Vide *Starovolscium* de Scriptoribus polon. 81.
319. Frisius (P.) Tractatum confecisse dicitur *Von der Teufelskappen.*	Frisius (*Paulus*) — *Von den teufels Nebelkappen*, i. e. de magia.
Fritschius (*Asverus*)	(*Ahasverus*)
322. Funccius (*Christ.*) condidit Breviarium orbis.	Funccius (*Christianus*) Vide *Acta erud.* A. 1715. 539.
Funcius (Ioh.)	*Funccius.*
325. Galantes (*Iulius*)	Galantes (*Livius*)
326. *Galeottus* (Martius)	*Martius* (Galeottus) Vide *Hyde* in Catal. T. I. 436.
334. Gaudentius Brixiensis *reliquit varios sermones.*	Sunt *alterius longe recentioris* commenta. *Hulsemann*, Patrol. c. 4. p. 1052.
342. *Gerbelius* (Nic.) *anno* 1670. mundo valedixit.	*Anno* 1560. *Thuanus* l. 26. p. 514. & M. *Adam.* in Vitis ICtor. 133.
Gerhardus (Ioh. Ernestus) reliquit *commentarium in Matthaeum.*	Ille commentarius est patris, *Io. Gerhardi.*
349. Glandorpius (Ioh.) A. 1563. *Erfurti* obiit.	*Anno* 1564. *Hervordia* obiit. *Ludovici* Histor. schol. P. II. 123.
350. Glycas (Mich.) Composuit *Annales quadripartitos.*	Sunt illi *Theodori Metochita*, Vincent. *Placcius* de pseudon. 318. Henr. *Ernstius* in ep. dedicat. Catal. scriptor. *Caselii.*
Gobellinus (*Ioh.*) XII. *libris res sui temporis persecutus est.*	Illi sunt *Aenea Sylvii*, *Giornale* T. XIV. 367.
351. *Gogavinus* (Ant. Herm.)	*Gogava*, Thom. *Crenius* Differtat. III. de furib. librar. §. 32.
355. Gosselinus (*A.*)	Gosselinus (*Antonius*)
356. Gothofredus (Dionysius) Duos filios reliquit, Theodo-	In academia *genevensi.*

Gra-

rum historiographum, & Iacobum, ICtum in academia *Genuensi* celeberrimum.	
Pag. 359. Graserus (*Corn.*)	Graserus (*Conradus*) Vid. *Adamus* in Vit. theol. 841.
362. Gregorius (Ioh.) Buckinghamiensis, *anno* 1650. claruit.	*Obiit anno* 1646. *Witte* Diar. biograph. Vu 2. Anglice vocatur *Gregory*.
369. Guarinus, veronensis, anno 1460. obiit. — Adde *Ghilinum* vol. I. p. 27.	Ghilinus loquitur *de Bapt. Guarino*, nobili ferrariensi, & auctore Pastoris fidi, qui obiit A. 1613.
Guarinus (*Ioh.* Bapt.) *Ferrariæ philosophiam docuit.*	Equidem & *Imperialis* ei tribuit Ioannis Baptistæ nomen; sed nec ipse se, nec Crassus, Erythræus, & Ghilinus eum aliter vocant, quam *Baptistam*. Neque etiam ex Imperialis & Ghilini verbis evinci potest, eum philosophiam moralem docuisse Ferrariæ, sed *eius scientia in ipso laudatur*.
371. *Guilladinus* (Melch.)	*Guilandinus*.
374. *Habickhorstius* (Ioh.)	*Habichhorstius*.
376. Hagen [Georg.] condidit *Comitiologiam Ratisbonensem*.	Auctor eius est *Gottlieb ab Hagen*, Eques mecklenburgensis. Io. *Moller* de homon. 683.
378. *Hammelmannus* (Herm.)	*Hamelmannus*.
Hammondus (Henr.) *Surriensis*.	Hoc intelligendum *de provincia*, in qua eius patria sive locus nativitatis erat *Chersey*. Iean *le Clerc* Biblioth. ancien. & moderne T. II. f. 4.
379. Harchius (*Lodocus*)	Harchius (*Iodocus*)
381. Hasselius (Ioh. Leonh.) *Anno* 1551. obiit.	*Anno* 1552. *Sainjore* Biblioth. crit. T. II. 128.
384. *Hegendorphinus* (Chr.)	*Hegendorfinus* (*Christoph*) I. C. *Becmannus*

Pars III. In fol. Q

mannus in Catal. libror. Biblioth. francofurt. 138. & Except. Schrift wider die allerunterthæn. Addresse 29.

Pag. 385. Vulgaris Hegesippus, *quem S. Ambrosius latine exarasse* creditur, ὑποβολιμαῖος (sive *suppositititius*) est.

Auctoritatem eius vindicat B. G. *Struve* in Dissert. de doct. impostor. p. 10. *Neque* etiam *firma est relatio* de versione S. Ambrosii.

Heidfeldius (Ioh.) *Sphingem* elucubravit.

Qualem vero? *theologico-philosophicam*. I. C. *Becmannus* l. c. p. 13.

386. Heinsius (Dan.) natus est *anno* 1581. *Anno ætatis* 18. publice primum latinos, deinde græcos autores interpretatus est.

Natus est *anno* 1582. *annoque ætatis* 19. publice docere coepit. *Academ. leidensis* p. 201.

387. Heliodorus, emesenus, *opusculum quoddam* de amoribus Theagenis & Chariclеæ composuit.

Sub titulo Αἰθιοπικῶν. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. vol. VI. 784.

388. Helmoldus, Presbyter in *Buzöen*.

Presbyter *bosoviensis*. Io. *Moller* Isag. ad Histor. cimbr. P. I. 70.

Helmontius (I. Bapt.) filium reliquit Fran. Mercurium ab Helmont, qui se Philosophum *per unum*, in quo omnia, appellare solet.

Id est, *per ignem*. Godofr. *Arnold*. Hist. eccl. & hæret. P. III. c. 8.

389. Helvicus [Christoph.] *Marpurgi* græcam & hebr. linguam, tandem etiam theologiam professus est.

Gissæ. Theoph. *Spizelius* in Templo honor. refer. 47.

393. Herdesianus (Cyriacus) Professor *historiarum* Francofurti ad Viadrum.

Postea *Iuris canonici*: immo & *privati*. I. C. *Becmann*. Notit. universit. francofurt. 207.

407. Hoë (*Matth*) obiit *anno* 1649.

(*Matthias*) obiit *anno* 1645. *Witte* in Memor. theol. 1019. & Diar. biograph. Tt 2.

Pro-

Pag. 408. Hofmannus (Casp.) *Anno* 1600. Medicinæ professor in acad. Altdorfina constitutus est, cui officio *per* 48. *annos* præfuit.	Professionem auspicatus est *anno* 1607. eique præfuit *per annos* 41. *Witte* in Vit. Medicor. 135. 137.
412. Hopperus (Ioach.) scripsit *Segevardum.*	*Sedvardum.* Io. *Moller* de homon. 12.
Extant *Horapollinis* grammatici Hieroglyphica.	Potius *Ori, siue Hori Apollinis*, niliaci. *Morhof* Polyh. lib. IV. 10.
416. De *Huecara* (Anton.)	*De Gueuara. Moller* 682.
418. Hunibaldus, Francus, *tempore* IVSTINI *iunioris* Imp. floruit.	*Meminit originis urbis Roterodami*, quæ se ultra 300. annos non extendit. *Struve* Differt. de doctis impostor. §. 6.
Hunnius (Ægid.) Colloquio ratisbonensi *An.* 1602. interfuit.	*Anno* 1601.
423. Iansenius (Cornel.) *Hulstensis.*	Hulstensis, *Episcopus gandavensis.*
Edidit Harmoniam euangelicam.	Etiam *Commentarios in Psalmos, Proverbia, Sapientiam, Ecclesiasticum, & V. T.ti Cantica.* Io. *Moller* de homon. 686.
Iansenius (Cornel.) *Accoyensis*, episcopus yprensis *& gandavensis.* Alias etiam scripsit Comment. in V. libros Mosis, *& Analecta in Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, Habakuk, Sophoniam.*	Hic Iansenius *natus* est *Leerdami*, nec fuit gandavensis, sed *iprensis episcopus.* Et præter Augustinum, siue librum de gratia & lib. arbitrio, reliquit Pentateuchum & Tetrateuchum, h. e. Commentarium in V. libros Mosis, aliumque in IV. euangelistas. Neque eius sunt *posteriores Commentarii*, sed, uti dictum est, episcopi gandavensis: ubi tamen *omittitur* nobilis commentarius in psalmos, & cantica: Ecclesiastes ponitur pro *Ecclesiastico* siue

	Siracide: & *commentarii in Habacucum, & Sophoniam videntur* hærere in desideratis.
A Ianua (Io.)	*De la Porte.* (Io.) *Röschel* ad Biblioth. Schrader. P. II. B 5.
Pag. 426. Iessenius, a Iessen (Io.) *Bohemus.*	*Vngarus.* *Röschel* B 6.
431. Ionas (Iustus) *Fecit* commentarium in Ionam.	Lutheri commentarium *vertit tantum* in linguam vernaculam. Melch. *Adam.* in Vit. theol. 261.
434. Irenæus, lugdunensis episcopus. *Erasmus eum latine scripsisse indicat.*	Sed *postea hanc mutavit sententiam.* *Du Pin* T. I. de la Biblioth. ecclesi. 75.
435. Isaacus, Lingonensis episcopus, *reliquit Epistolam in canonem Missæ.*	Non ille, sed Isaacus, *abbas Stellæ.* Matth. *Larroquanus* (in *Actis erudit.* A. 1688. 446.)
440. Iunius (Hadrian.) Emisit *Animadversionum* libros VI.	*Animadversorum.*
441. Iustinianus (Petrus) *Anno* 1570. floruit.	*Anno* 1560. *Ghilinus* vol. II. p. 194. & vol. I. 373.
443. Keckermannus (Bart.) natus est *anno* 1571.	*Anno* 1573. *Charitius* de eruditis Gedanensibus 96.
446. Kirchmaierus (*Io. Caspar.*)	(*Georg. Caspar.*)
Kirchmannus (Io.) obiit *Anno* 1613.	*Anno* 1643.
Kirstenius (Mich.) *Danus.*	*Berona-moravus.* Io. *Moller* Isag. ad Histor. cimbr. P. II. 616.
448. *Kortbold* (*Christ.*)	*Kortholt* (*Christian.*) Io. *Pipping* Memor. theol. 571.
Pag. 452. Lætus (*Pomponius*) alias *Petrus Calaber* dictus. *Iunius* Pomponius Lætus, & fortasse Pomponius Sabinus nominari voluit.	Alias *Iulius* (hoc enim eius erat nomen baptismale) *Sanseverinus*: quippe qui erat nothus ex illustri ista familia. Dubium est, an ipse assumserit nomen Pomponii Læti, an in academia impositum tulerit: incer-

	certum, ipsum appellari voluisse *Iulium* Pomponium Lætum; incertius, Pomponium *Sabinum*. *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. XXII. 366.
458. *De Lapide* (Cornel.) *In universam* S. Scripturam commentatus est.	*A Lapide*, Von Stein. In universam commentatus est scripturam, *exceptis Iobo & Psalmis*.
461. *Launoyus* (Io.)	*Launoius*.
463. Laymannus (Paul.) *Anno* 1635. obiit.	*Anno* 1625. *Witte* Diar. biograph. X 3.
467. *Leo* Iudæ.	*Iuda* (Leo) Vide *Adam.* de Vit. theol. 94.
474. *Lindenbrochius* (Erpoldus)	*Lindenbrogius*. Io. *Moller* de homon. 691.
475. *a Linschotten* (*Hugo*)	*Linsboten* (*Io.* Hugo)
480. Longolius (*Guil.*)	(*Gilb.*) *Moller* de homon. 692.
483. *Lubienski* (Stanisl.)	*Lubinitzky*. *Moller* 693.
485. Ludolfus (*Iodoc.*)	Ludolfus (*Iobus*)
489. Lycosthenes (Conr.) *Rubeaquensis*.	*Rubeacensis*, Melch. *Adamus* in Vit. theol. 362.
Lyranus (Nicol.) *origine iudaeus, R. Samuel Levita dictus.*	*Natus christianis parentibus*, & R. Samuel Levita *plane alius est*, quam Lyranus. I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. 912. 1108.
491. *Macedus* (Fran.)	*Macedo*.
494. *Magliabecbus* (Ant.)	*Magliabechius*.
495. Magnus (Iac.) *Quidam* Iacobum Magnum de Parisiis vocant.	*Ipse etiam* se ita vocat in fine Sophologii.
497. Maioragius (Marc. Anton.) Antea *Antonius Maria* dictus erat. A Fabio Lupo & *Maximo Nigro* propter nominis mutationem accusatus est.	Antonius Maria *de' Conti*. A Fabio Lupo & *Macrino* accusatus est. *Giornale* T. XXI. 383. & T. XXII. 367. *Moller* de homon. 755.

Pag. 502. Manettus (*Io.*)	(*Iannoctius*, five *Iannotius*, italice *Giannozzo*) *Giorn.* T. XI. 344.
504. Mantuanus (Io. Bapt.) natus eft *anno* 1444.	*Anno* 1447.
505. *Maphaus* (Raph.)	*Maffeus.*
508. *Marettus* (Læl.)	*Maretta.* Ian. Nic. *Erythraus* Pinac. P. II. 86.
Margarita (Anton.)	*Margolith.* *Wolf* Biblioth. hebr. 202.
514. Martini (Raym.) *Seculo* XIV. claruit.	*Seculo XIII.*
Martinius (Matthias) *ob. anno* 1628.	*Anno* 1630.
520. *Maukifck* (Io)	*Mauxifch.*
521. Maurocenus (Andr.) Condidit Hiftoriam venetam *ab anno* 1612. ufque *ad annum* 1625.	*Ab anno* 1521. ufque *ad annum* 1615. inclufive. Celebratur hæc Hiftoria, magnisque merito extollitur laudibus *in Nova bibliotheca* T. III. 630.
525. Medus (Iofephus) Opera eius prodierunt Londini *anno* 1664.	*Anno* 1677. Vide *Vnfchuld. Nachricht.* de A. 1706. p. 278.
536. *Meteranus* (Eman.) A quibusdam Eman. *Demetrius* vocatur.	Meteranus, belgice *Van Meteren.* Quod ille, Gallorum more, etiam fic formavit, *De Metre.* Adr. *Baillet* dans les deguifem. des auteurs f. 414.
538. *Mezeriacus* (Cl. *Bachetus*)	*Bachetus* (Claud. *Gasp.*) *Sieur de Meziriac.* Vide *Menagiana* T. III. 502. & confer *auctoris* noftri p. 79.
540. Middendorpius (Iac.) Extant *octo* eius libri de celebribus academiis.	*Tres.*
542. Mirandula (*Fran. Picus*)	Picus (*Io. Fran.*) Dux Mirandulanus.
Pag. 544. Modrevius (*Andr.*)	(*Andr. Fricius*) Vide *Lexic. univ. histor.* T. III. 537.

Mal-

545. *Molcho* (Salomo)

Malchu. Vide Herm. *Von der Hardt* in Iaddo 531. & Program. de usu & abusu psalmi 119. p. 4. ac *Boysen* Disp. de apostas. suspect. 57.

547. Mollerus (Henricus) *Hessus*, celebris Theologus, A. 1589. obiit. *Carmina eius* habentur T. IV. Delit. Germ. *Witteberga & Hamburgi* vixit.

Henr. Mollerus, hassus, *philos. magister & rector schola dantiscana*, denatus A. 1567. est *auctor Carminum*; theol. autem D. eiusque & ebrææ L. professor wittebergensis, defunctus A. 1589. fuit *patricius* hamburgensis, & in aliquot Scripturæ libros commentatus est. *Moller* de homon. 703.

549. Montacutius (Rich.) Texuit Antidiatribas contra I. C. *Bullingerum* pro Casaubono.

Contra Iul. Cæs. *Bulengerum.*

554. Morhofius (*Dan. G.*) Condidit *Polypragmonem.*

(Dan. *Georg.*) Polypragmon autem *non est nisi affectus.*

555. Mornæus (Phil.) *Vix quisquam Pontificiorum cum eo congredi in religionis negotio ausus fuit.*

Auctor ipse supra, videl. p. 211. memoravit Leonh. *Coquæum*, qui scripsit Antimornæum. Sed & plures sunt, qui arma tulere contra Mornæum, nominatim Iul. Cæs. *Bulenger* dans la Response au livre de l' institution de l' Eucharistie en l' encienne Eglise: Ant. *Possevinus* in Iudicio de scriptis Phil. *de la Noue*, Io. *Bodini*, Phil. *Mornai*, & Nic. *Machiavelli*. Iac. *Gretser* in Examine Mysterii plessæani: & Gasp. *Scioppius* in Alexipharmaco regio.

Pag. 561. Musa (*Ant.*) medicus, *tempore Aug.* claruit.

Claruit *sec.* XVI. Sed qui tempore Augusti claruit, nomen habet

	habet *Artorii* Musæ. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 525.
563. Mutius (*Henr.*)	(*Hugvvaldus*) H. D. *Meibom* Orat. de genuin. histor. germ. fontibus 36.
567. Naudæus (Gabr.) natus est *anno* 1606.	*Anno* 1600. uti refertur in *Patinianis* & *Lexic. univ. histor.* T. IV. 11. Sed secundum *Daumium* Epp. T. I. 144. *anno* 1601. 4. Non. Febr.
569. Nebrissensis (*Ant.*)	De Nebrixa (*Aelius Anton.*)
572. Neuserus (*Adam.*) tandem *mahummedanus* factus est.	*Probata hac de re testimonia* desiderat Mart. *Ruarus* Epp. P. I. 225.
573. *Nicas*, Grammaticus, Etymologici M. autor existimatur.	*Mira huius Nicæ origo:* nam in fronte codicis Etymologici pictum erat labarum, cum hisce verbis: Εν τυτω νικα. Cumque priores duæ voces detritæ essent, ecce factum est, ut tertia auctorem indicari crederetur. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. vol. VI. 28.
577. Nicetas, *Dabrydensis.*	*Dadybrensis.* In *Gregorii Naz.* T. II 1406. & *Cave* P. I. 395.
576. Nigellus [*Wirecker*]	Wirecker (*Nigellus*) *Placc.* de pseudon. 576.
579. Noldius [*Chr.*]	(*Christianus*)
585. Oecolampadius (*Io.*) natus est *anno* 1482.	*Anno* 1488. *Cren.* Animadvers. P. XVI. 86.
Pag. 587. Olearius [Gottefrid.] edi curavit *Theologiam positivam, polemicam, exegeticam, moralem.*	Hæc scripta sunt Doctoris *Ioannis* Olearii, sereniss. Ducis Sax. concionatoris aulici primi. *Pipping* Memor. theol. T. I. 32.
Olearius (*Io.*) D. & Prof. lipsiensis, senior, publicavit *Oratoriam ecclesiasticam.*	Et hæc est *prædicti auctoris*. *Pipping* 30.

Fuit

P. 593. Osiander [Lucas] Andreæ senioris filius, *theologus tubingensis*, composuit *Enchiridion controversiarum*,	Fuit ille *Abbas & pastor aslingensis*. Enchiridion autem *Theologum tubingensem* habet auctorem. Io. *Moller* de homon. 709.
602. Palmerius [Iac.] *a Grentemesmil*.	*a Grentemesnil*. Steph. *Morinus* in eius vita [inter Vitas selectas] p. 191.
603. Pancirollus [*Guido*] obiit *anno* 1599.	[*Guidus*] Ob. *anno* 1591. Iac. Phil. *Tomasinus* Elog. T. I. 191. *Ghilini* P. I. 141.
608. Paris [Matthæus] *vel Parisiensis*.	Scribere volebat: *vel Parisius*. C. *Sand*. in Vossium de Histor. lat. 373.
612. Patinus [Carolus] *Guidonis* filius.	*Viti* filius. *Valesiana* 128.
Patrophilus S. *Scripturam hebraicam universam Græce translulit*.	Error hic natus *ex male intellecto Gregorio laodiceno*. Humfredus *Hody* de Bibliis eorumque versionib. l. 4. c. 3. [in *Actis erud*. A. 1705. 518.]
613. Paulinus [*Eutropius Meropius*.]	Paulinus [*Meropius Pontius Anitius*] *Moller* de homon. 601.
Paulus *brugensis*.	*Burgensis*.
Pag. 614. Paulus [Iulius] *patavinus*,	*Romanus*. Laur. *Pignorius* Symbol. epp. p. 164.
616. Peirescius [Nic. Cl. *Fabr*.]	*Fabricius* [Nic. Claud.] a Peiresc. Hæc appellatio ei data fuit a loco materno: a quo neutiquam formandum erat nomen *Peirescii*. I. F. *Reimmann* de libb. genealog. Sect. II. p. 34.
654. Philopater [Andr.] scriptis contra hæresin calvinianam *anno* 1663. pugnavit.	*Anno* 1593.
655. Philoxenus cytherius, *lyricus*.	*Tragicus*. I C. *Wolf* disp. de Carcere eruditor, museo 42.

P. 639. Picus (*Fran.*) reliquit tres libros de auro.

Io. Fran. Io. *Moller* in Hypomnem. poster. Tomi II. Polyhist. Morhofii p. 521.

Pierius (*Io.*) *Valerianus.*

Valerianus (*Io. Pierius*)

646. Platina (Barth.) alias *Sacchus.*

Saccus.

649. Plonius (Nic.) *Posnaniensis.*

Bloniensis.

650. Poggius [*Io. Fran.*] *anno* 1422. obiit. A quibusdam *Brandolinus*, ab aliis *Braccialinus* cognominatus est. Quintilianum *in salsamentarii taberna repertum* servavit, & ab interitu vindicavit.

Io. Franciscus erat filius Poggii, vir in legibus canonicis doctissimus. Ipse autem pater non aliud quam *Poggii* habebat nomen, idque ab avo, qui tamen *Podius* dicebatur. Male Brandolinus, recte autem *Bracciolinus* cognominatus est. Quintilianum reperit cum aliis scriptis *in monasterio S. Galli*, sicut ipse narrat in epist. ad Guarinum veronensem. I. A. *Fabricius* Biblioth. lat. 423. I G. *Krause* T. I. *der Bücherhistorie* p. 44.

Pag. 651. Politianus [*Angelus*]

Verum eius cognomen erat *Bassus.*

Politus [*Ambros.*]

Lancellotus [*Politus*] qui ordinem Dominicanorum ingrediens, nomen adscivit Ambrosii Catharini. *Du Pin* T. XVI. de la Biblioth. eccles. f. 3.

652. Polyander [Io.] obiit *anno* 1640.

Anno 1646. secundum *Witte* in Diar. biograph. V u

654. Pomponatius (Petrus) *anno* 1512. obiit.

Anno 1525. *Neuer Büchersaal* T. I. 413.

655. Pontanus (*I.* Iovianus) *Neapolitanus.*

Ioannes, postea Iovianus, *cerretanus* ex Vmbria. *Giorn.* de' letter. d' Ital. T. XX. 109.

659. Portus (*Franciscus*) Suidam latine *transtulit.*

Æmilius, filius eius. Io. *Moller* de homon. 712.

Anno

P. 660. Poſtellus (Guilh.) *centenario proximus* anno 1581. obiit.	*Anno ætatis* fere 72. Auctor des *Memoires de letterature* T. I. 22. (*Acta erud.* A. 1715. 517.)
662. Prætorius (*Chr.*) reliquit *Exercitationes ethicas.*	(*Chriſtoph*) reliquit *Ethicam.*
663. *Prieras* (*Silver.*)	*Prierias* (*Silveſter*)
665. Prodicus, *Ceus.*	*Cous.*
666. Propertius (Aurel.) *Mevanienſis.*	*Hiſpellas. Donnola* de patria Propertii §. 19.
668. *Puffendorf* (Sam.)	*Pufendorf.*
669. Puteanus (Erycius) obiit *anno* 1644.	*Anno* 1646. *Baillet* in Anti 258.
Pag. 672. *Quenſtadius* (Io. Andr.)	*Quenſtedt.*
674. Rachelius (Ioach.) *Danus*, emiſit ſatiras.	*Londino-dithmarſus* Io. *Moller* ad Bartholin. de ſcript. Danor. 260.
Rachelius (Sam.) *compoſuit librum, qui inſcribitur Novantiquitas doctrinæ de S. Trinitate.*	Liber ille eſt *parochi* alicuius *dithmarſi* cognominis. *Moller* de homon. 713.
674. Rabanus, *Magnentius Maurus.*	Rabanus, *ſive Maurus*, id eſt, corvus ſeu niger, *Magentius.* Magentius autem dicitur, quod archiepiſcopus eſſet moguntinus. *Leibnitius* Introd. in Collect. ſcriptorum hiſtor. brunſvic. T. I. 12. Dav. *Hoffmann* diſp. de Otfrido, p. 6.
680. *Ranpius* (Iac.) ſtruxit theol. pract. *anno* 1662.	*Rauppius — anno* 1663.
Raynaldus (*Odericus*)	*Odoricus.*
Raynaudus (Theoph.) Opera eius univerſa XX. *tomis* continentur.	XIX. *tomis.*
684. Reineſius (Thom.) ſcripſit *commentarium* in Inſcriptiones Gruteri.	*Supplementum.*
685. Remigius *Antiſiodorenſis* ſcri-	*Antiſiodorenſis* (d'Auxerre) in XI.

 pro-

psit Comment. in 12. prophetas.	prophetas posteriores. Labbe T. II. 282.
Remigius *Rhemensis* in Epistolas Pauli commentatus est.	Non hic, sed *prior*. *Moller* de homon. 618.
P. 688. *Rhodiginus* (*Cal. Lud.*)	*Richerius* (*Lud. Cœlius*) *rhodiginus.*
691. Richerius (*Emundus*)	Edmundus.
693. Rinuecinus (Alem.) philostrati IIX. libros latine transtulit, quos Aldus *postea* impressit. Hanc versionem Ph. Beroaldus *castigatiorem reddidit.*	*Post duas alias editiones.* Beroaldus autem non nisi *editionem curavit. Giornale de' Letter. d' Ital.* T. XXI. 369.
694. Rittangelius (Ioh. Steph.) *iudaeus conversus.*	*E romano-catholico reformatus.* Io. C. *Wolf* Biblioth. hebr. 475.
Pag. 695. *Robertellus* (Fran.)	*Robortellus.*
696. *Rocca* (*Ang.*) *Camers*	*Rochca* (*Angelus*) *a Camerino.*
699. Rollenhagius (*Gabr*) *Magdeburgensis*, libellum construxit, cui nomen dedit *Froschmeuler.*	*Georg. bernaviensis.* Libello suo nomen dedit Froschmausler. *Acta erud.* 1715. 540.
703. Rossius [Io. Victor.] sub nomine Iani Nicii *Erythai.*	*Erythrai.*
Ruarus [Mart.] Epistolæ eius *anno* demum 1677. in lucem prodierunt.	Hoc *de prima earum Parte* verum est; altera autem prodiit 1681.
707. Rufinus (Licinius) *Bertrandus collationem legum mosaic. & roman. ei tribuit.*	At *fallitur*: hic enim auctor II. sæculis illo est iunior. Io. *Moller* Hypomnem. ad Morhofii T. III. Polyh. 128.
708. Rupertus [Christ. Adam] natus est *anno* 1610. Obiit A. 1647. natus *annos* 37.	*Anno* 1612. obiit autem natus annos 35.
715. De Salas [*Ios.* Gonsalius]	*Ios. Anton. Gonsalus, Feller* Monum. ined. T. I. 570.
716. Salmasius [Claud.] Mortuus est *non sine veneni suspicione.*	Potius *ex mœrore*, cum videret, se Defensione sua regia plane non satisfecisse sæculo erudito.

	Placc. de anon. 209.
De Saliceto (Guilh.) compoſuit Practicam, *Guilielmicam* dictam.	*Guilelminam. Hyde* Catal. P. II. 128.
Pag. 722 Sandeſius, anglus.	*Sandys* [*Edmund.*]
724. Sarpius (Paul.) Tandem Venetiis *confoſſus eſt.*	Vulneratus quidem eſt a ſicariis; ſed ſanatus vitam protraxit, tandemque in lecto placide obdormivit. Io. Gottl. *Möller* in Additam. ad mutuas Sarpii & Caſauboni Epp.
725. *Saſcarida* (Gellius)	*Saſcerides* (Gellius) Sic & corrigendum in ſequente, videlicet Ioanne.
730. Schachtius (Val.) tractavit de cœna Domini, *Geneva anno* 1593.	*Ienæ, anno* 1591, G. H. *Gœtz* Elog. german. theol. p. 61.
732. *Schegbius* (Iac.)	*Scheckius.*
Schelvvegius (Sam.)	*Schelvvigius.*
733. *Schickhardus* (Wilh.)	*Shickardus.*
736. *Schonbergius* (Hulder.)	*Schœnberger.*
739. Schuppius (Io. Balth.) obiit *anno* 1668.	*Anno* 1661. *Witte* Memor. theol. 1404.
743. Scylax, *Darii Codomanni & Alexandri M. temporibus* floruit.	Temporibus *Darii Hyſtaſpis* Herm. *Conring* ep. ad Bunonem A. 1661.
Sebunde (Raymundus)	*De* Sebûnde.
744. Seduardus, *ICtus*, de Iurisprud. *commentatus eſt.*	Sedvardus eſt *titulus*, quem Ioach. *Hopperus* commentario ſuo de Vera iuriſprudentia præfixit, in memoriam filii ſui primogeniti Sedvardi, fato immaturo exſtincti. Io. *Moller* de homon. 12.
746. Semeca (Io.) decretum Gratiani *primus* gloſſare auſus eſt.	*Primus fuit Huguttio*, alter vero Semeca. I. *Strauch* Amoenit. iur. canon. ecl. I. c. 7. p. 15. G. *Calixt.* de numero libror. V. T. §. 83.

Pag. 752. *Sidonius* [Mich.]	*Heldingus* [Mich.] primum sidonius, deinde merseburgensis episcopus.
757. Simonius [Io.] *Rostochiensis.*	*Burgo-magdeburgensis.* Io. *Moller* ad Schefferi Suec. liter. 445.
760. Sluterus (Io.) confecit Animadvers. in Hippolytum a Lapide, *anno* 1633.	*Anno* 1653.
761. Smithus [Rich.] *Anglus.*	*Hibernus.*
Snepfius [*Theod.*]	*Theodoricus.*
764. Sophianus [*Nicol.*]	*Mich.* Vide *Colomes.* 293. & T. I. *Conlect.* libror. rar. 623.
765. *De Sorbiere.*	Hic *idem* est, *qui prior*, videlicet Sam. *Sorberius*, gallice, de Sorbiere.
767. Sozomenus --- definit in *anno* 1423.	*In anno* 1425.
768. Spangenbergius [Io.] natus est *anno* 1484.	*Anno* 1483. *Leuckfeld* in eius Vita §. 5.
Spanhemius [*Fran.*] de dubiis euangel.	Fridericus.
Spenglerus [Lazar.] Senatui norimb. persuasit, ut *publ. Scholam* aperirent: id quod etiam *anno* 1516. factum.	*Gymnasium.* Apertio autem eius incidit in *annum* 1526.
769. Spelmannus [Io.] emisit Psalterium Davidis *Saxonicum.*	Psalterium *Anglo Saxonicum*: scripsit quoque *Vitam Alfredi*, Vide *Acta erud.* A. 1698. 447.
770. De Spinosa [Bened.] Edidit tractatum de *libertate philosophandi*. Extat eiusdem tractatus de natura & conceptu Dei. *Contra eum scripsit Io. Bredenburgius.*	*Bredenburgius scripsit contra Tractatum theologico-politicum*, in quo de libertate philosophandi agitur.
772. Squarcialupus [*M.*]	*Marcellus.*
773. *Stanlaus* [Thomas]	*Stanleius.*
777. *Stevanus* [Ioseph.] de osculo	*Est idem*, *qui Ioseph. Stephanus*, de quo

pedum Pontificis commentatus eſt.	quo ſupra, hac in pagina, idem protulerat.
Pag. 781. Strigenicius (*Georg.*)	(*Gregorius*)
785. Suiſſet (*Roger.*)	(*Richard.*)
789. *Szegedinus* (Steph.)	*Kis* (Steph.) *Szegedinus* a loco nativitatis dictus. *Czvittinger* Hungar. liter. 364.
805. Thuanus. — Anonymus in Biblioth. polit. *curioſa*.	In Biblioth. polit. *contracta*, Bibliographiæ Bœclerianæ ſubiuncta. Io. Gottl. *Krauſe* præfat. in Bœcleri Bibliograph. crit. b 4. & in Animadverſ. in eand. 858.
808. Tilemannus (*Fr.*)	*Fridericus*.
Timæus, Locrus. *Compoſuit* vitam Pythagoræ.	*An hic eius auctor ſit*, (plures enim fuere Timæi) merito ambigunt viri docti. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. III. c. 1. p. 22.
816. Trapezuntius (Georg.) *natus eſt anno* 1396. *obiit anno* 1486.	Natus eſt *anno* 1395. Obiit *anno* 1483. *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. XVI. 410. 422. XVII. 275.
822. Turrianus (Fran.) *legionenſis*.	*Valentinus*. Paul. *Colomeſius* 711.
823. Tyardus vel Tyardæus (Pontus) *Briſianus*.	*Biſianus*.
826. *A* Valentia (Gregor.)	*De* Valentia.
830. *Vanninus* (Iul. Cæſar) *Neapolitanus*.	*Vaninus* (Iul. Cæſ. alias *Lucilius*) *natus Palma in Calabria*.
Vannius (*Valerius*)	*Valentinus*. G. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuev. 68.
831. Varrerius (Caſp.) *Hiſp.*	*Luſitanus*. Vide *Lexic. univ. hiſt.* T. IV. 604.
834. *Veielius* (Elias)	*Veielius*.
De Veil (*Caſp.* Maria)	*Carol.* Maria. *Acta erud.* A. 1690. 587.
839. *Verneretius* (Io.) *Diſp.* contra Marium Nizolium edidit.	*Verneretus*. Edidit *diſputationem unam* contra Mart. Nizolium.

Baco

Pag. 840. *Verulamius* (*Baco*)	*Baco* (Fran.) *Baro Verulamii*, & *Albania Vicecomes.* Thomas *Hyde* Catal. P. I. 58. auctor *Atrii nov. libror.* T. III. 431
843. De S. Victore (Hugo) *anno* 1140. obiit.	*Anno* 1142. Io. *Mabillon* Analect. T. I. 326. Cui consentit H. *Meibom* iunior T. III. Rer. german. 430.
846. *a Villavicentio* (Laur.)	*De Villavicentio.*
Vincentius, *Belluacensis*, quadruplex Speculum concinnavit, *Doctrinale* &c.	*Bellovacensis.* De Doctrinali quidem dubitatur, idque recentiori alicui Vincentio, qui vitula Thomæ Aquin. araverit, adscribendum videtur. *Moller* de homon. 641. *Placcius* de pseudon. 609.
849. *Virunnius* (*Pontius*) *tarvisinus.*	*Ponticus* (*Ludov.*) cognomine *Virunius*, (quo patriam Bellunum indicare voluit) *bellunensis.* *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. XXIV. 236.
Visorius (*R.*)	(*Robert.*)
850. Vives (Io. Lud.) *anno* 1541. obiit.	*Anno* 1536, vel 37.
854. Volaterranus (*Raphaël*) struxit Commentarios.	Qui Commentarios struxit, est *Iacobus* Volaterranus, secretarius & domesticus Cardinalis Papiensis, *dubium, an ex gente Maffeorum.* *Giornale* T. XV. 313.
855. Volscus (Ant.) Propertium notis *illustravit.*	*Homo vix sani capitis*? immo *fatuum caput*, indice Iano *Broeckhusio* in Notis ad Propertium p. 56. 167.
a Voragine (Iac.) obiit *anno* 1294. Biblia sacra *primus in italicum idioma* transtulit.	*De Viragine.* Obiit *anno* 1298. *Commentum* est, quod de eius translatione Bibliorum fertur.

	Bœrner in Fran. Le Long Biblioth. S. tom. II. 120.
Pag. 856. Vorstius (Ioh.) *Berolinensis.*	*Dithmarsus.* Io. *Moller* Biblioth. Septentr. erud. 318.
Vossius (Gerhard.)	Germanice, *Vosken. Moller* de homon. 729.
858. *Vrstisius* (Christ.)	Alias *Wurstissen* H.D. *Meibom* Orat. de gen. Hist. germ. font. 76.
859. Vsserius (Iac.) Condidit Annales *veteris Testamenti.*	Veteris *& novi* Testamenti.
860. *Vultejus* (Ioh.)	*Voulté Monatl. Auszuge* A. 1702. m. Febr. p. 5.
861. Wagnereckius (Henr.) *anno* 1657 obiit.	*Anno* 1664. *Baillet* in Anti T. I. 267.
864. Weigelius (Valent.) *Haynensis* natus est *anno* 1553.	*Haynensis*, Pastor tshopaviensis, natus *anno* 1533. *Unschuld. Nachricht.* A. 1715. p. 1075. & 23.
865. *Weissen* (Christ.)	*Weissius* (*Christian.*) Vide *Ludovici* Schul-Historie P. III. 1.
868. Wicelius (Georg.) *Fuldensis.*	*Vacha-Hassus.* V. L. a *Seckendorf* Lutheran. l. 3. p. 1802.
872. *Witakerus* (Guilh.)	*Whitakerus.* Et sic corrigendum in duobus sqq.
873. Witte (Henning.) *Theologus.*	*Prof. Eloq. & Histor.* in gymnasio rigensi.
874. Wolfius (Hieron.) obiit *anno* 1590.	*Anno* 1580. Vide M. *Adam* in Vitis philos. 304. & *Thuanum* lib. LXXI. p. 40.
Wowerius (Ioh.) *Edidit* polymathiam.	*Edita est post eius obitum.*
875. *Wren* (Matth.)	*Wreen*, episcopus eliensis. I. F. *Mayer* Biblioth. bibl. 156.
879. *Zamoscius* (Ioh. Sarius) *Quære Sarius.*	Quære *Samoscius*, p. 719. nam *Sarii* nomen non exstat.
880. Zannachius (Iac.) *Lubecensis.*	*Lubeca-lusatus.* Io. *Moller* in ep. (T. I. des Berichts von neuen buchern 704.)

P. 883. Zepperus (*Guilb.*) ſcripſit de LL. moſ. forenſ.	(*Philippus*)
a Zichenis (*Euſtath.*)	*Vander Rivieren* (*Euſtach.*)
886. Zoroaſtres Perſis *Zarduſt* dictus eſt.	*Zerdusht*, docente Thoma *Hyde* de relig. Perſar. (in Biblioth. Thomaſ. T. 214.)

Georg. Matth. *Kœnig*, Altorfio-Noricus, Georgii theologi filius, & in academia patria græcæ linguæ ac poëſeos profeſſor, Bibliothecæ præfectus, tandemque ſenior univerſitatis, civis, & cum Altorfi docerem, collega meus coniunctiſſimus, vir antiqua virtute & fide, in litteris aſſiduus, quemque *Dammius* Epp. T.I. p. 16. non male Noricorum Varronem, & *Omeiſius* loco mox nominando περιπατητικὴν βιβλιοθήκην ſalutat, præter alia ſcripta Lexico Garthiano græco & Tyrocinio poëtico græco clarus eſt, obiitque A. 1698. æt. fere 85. Vide de eo *Programma funebre*, & *Omeiſii* Gloriam acad. altorf. p. 150.

XXXII.

Vincentii PLACCII Theatrum anonymorum & pſeudonymorum. Hamburgi 1708. Cui Io. RHODII & Pet. SCAVENII Obſervationes immiſtæ ſunt. Primæ huius operis lineæ fuerunt Syntagma, editum A. 1674. 4. eiusque ſcribendi occaſionem petiit auctor a *Geiſleri* Larva detracta, ſicut ipſe fatetur lib. de Anonymis p. 31. Recognitam autem & auctam hanc editionem debemus benignitati venerandi Canonici & ſpectatiſſimi ICti hamburgenſis, D. Matthiæ *Dreyeri*, qui foetum in partu hærentem, atque ab aliis, qui ſumtus extrahendo facere poſſent, neglectum, liberali tandem manu adiuvit, excepit, & in dias luminis auras produxit. Operi huic quædam præmittuntur, aliaque ſubiunguntur. Et præmittuntur quidem 1) Io. Alb. *Fabricii* Præfatio, in qua partim rationes, cur auctores quidam nullo aut ficto nomine ſcripſerint, præclare exponit, partim ſcriptores, qui de anonymis & pſeudonymis ante & poſt Placcium egerunt, luculenter recenſet. 2) *Eiusdem* Deſcriptio vitæ Placcii. 3) Matthiæ *Dreyeri* Commentatio de ſumma & ſcopo huius Operis. Subiunguntur autem 1) Io. *Deckherri* Coniecturæ de ſcriptis adeſpotis, pſeudepigraphis, & ſuppoſititiis, ad editionem ultimam amſtelæ-

da-

damensem apud Isbrand. Haring 1686. 12. In quibus multa commemorat, a Placcio non adducta. 2) Pauli *Vindingii* ad Deckherrum Epistola de scriptis non nullis adespotis. 3) Pet. *Baelii* ad Theodor. Ianssonium ab Almeloveen Epistola de scriptis adespotis. In qua multa notatu digna. 4) Frid. *Geisleri* disp. de nominum mutatione & anonymis scriptoribus, scripta anno 1669. hic autem exhibetur iuxta exemplar anni 1671. 5) Io. Frid. *Mayeri* Epistola ad Placcium, ex editione hamburgensi A. 1689. in 4. qua anonymorum & pseudonymorum farrago indicatur. De hoc opere vide *Acta erudit.* A. 1709. 34. & *Struvii* Introduct. ad notit. rei literar. 412. Eiusdem argumenti dantur & alii libri, ut Petri *Dahlmanni* Theatrum retectorum & retectorum eruditorum, Lipsiae 1710. 8. quod est instar compendii praesentis operis Placciani: Christoph. Aug. *Heumanni* de libris anonymis & pseudonymis Schediasma, complectens observationes generales & Spicilegium ad Vinc. Placcii Theatrum anonymorum & pseudonymorum, Ienae 1711 8. ne dicam de Casp. Henr. *Starckii* ad Placcii Theatrum Epimetro, in quo deteguntur auctores Observationum halensium, quodque recensetur in *Narrat. innoc.* A. 1716. 705. Praeterea sciendum, C. *Rauscherum*, sicut Tollius in Epp. itiner. p. 163. memorat, Placcium de scriptis adespotis, MSStis auxisse annotationibus; D. Io. *Diecmannum*, teste Von Seelen in Stada literata p. 27. occupari in Theatro Placcii tum emendando, tum supplendo; idemque consilium esse litteratissimo ecclesiae ratisbonensis antistiti, D. *Serpilio*, uti legitur in Nova biblioth. T. II. 84. Nec silentio involvendum, de editione hac optime meritum esse Lud. Frid. *Vischerum*, Calva-wurtembergicum, philosophiae magistrum, quippe qui in recensendo, atque e schedis MSS. non satis digestis, nec bene exaratis eruendo opere Placciano singularem adhibuit curam, fidem ac diligentiam.

PARTE I. Quae agit de anonymis, p. 16. a. i. e. col. 1. Consensus orthodoxus, conscriptus a Christoph. Herdesiano, *Syndico* Reip. Norimbergensis.

Consiliario supremo Reip. Norimb. Syndicus autem inclytae illius Reip. longe inferioris est ordinis. *Quenstedt* de patr. illustr. viror. 239. & *Hist. hac biblioth.* P. II. 151.

37. a. Compendium Politices no-

Ista imputatio gravis est iniuria, qua

vum sub titulo Hominis politici impressum, atque a D. Christoph. Pellero impugnatum, sua se *manifesta impietate* facile refutabat ipsum, ac *atheismum aperte prodebat.*

Pag. 77. a. *Ars nihil credendi*, liber atheisticus, Gothofredo *a Valle* tribuitur a Spizelio. Confer p. 63.

86. b. *Idem iudicium* (videlicet de Calixtino desiderio) videtur innuere M. Rithmeier, dicens, autorem esse D. Tititum (sine dubio Gerhardum.)

89. a. Simile quid de Melanchthone vide in Pseudonymis sub nomine *Neri.*

99. a. Concordia rationis & fidei, liber atheisticus in summo gradu. De quo eiusque auqua auctor afficitur, quippe qui non sui sensa animi prodit, sed, uti titulus habet, *Politicum secundum praxin describit hodiernam.* C. A. *Heumann*, de libris anon. ac pseudon. 95.

Gothofredus *Vallu* (gallice *Vallée*) scripsit librum *deisticum*, (agnoscit enim Deum, sed quem non metuas, neque etiam poenas aeternas post mortem) sub titulo *Flean de la foy*, i. e. Flagellum fidei; de quo cum *Maldonatus*, in comment. in 26. caput S. Matthaei, scripsisset, libertinum quendam edidisse parvulum libellum de Arte nihil credendi, complures id litteraliter acceperunt, sibique & aliis non adeo peritis titulum libri sub his vocibus, *Ars nihil credendi*, confinxerunt. *Menagiana* T. IV. 416.

Immo *aliud*, auctore D. Ger. Titio, in defensionem Calixtini desiderii, cum alterum Calixto fuisset oppositum.

Sub nomine *Terra nigra*: Melanchthonis enim Loci communes praefixum in Italia habebant nomen *di Messer Filippo di Terra nera.* Vide *Placcium* de pseudon. 581.

Sagittarius unde provocat ad novellas illius temporis; *neque etiam nomen auctoris exprimit.* Auctor

ctore quid actum fuerit Berolini A. 1694. m. Ianuario, *fuse docet Sagittarius* Introd. in Hist. eccl. P. I. 881. *Vnde* curiosi facile nomen auctoris & plura addiscent.	ctor vero libri, non atheistici, sed incauti, erat Frid. Wilh. *a Stosch*, berolinensis, Elect. Brand. Secretarius cameralis & Consiliarius aulicus, qui errorem deprecatus est, obiitque Berolini anno 1704.
107. a. Diallacticon alios tribuere Iohanni *Pogneto*, episcopo wintoniensi.	Io. *Poneto*. Gul. *Forbesius* Consid. controvers. p. 382. secundum edit. veterem.
113. b. Conringius ad Boineburgium: Carolum M. sive per Paulum Aquilegiensem Diaconum (*lege Paulinum*) sive Alcuinum Anglum Ecclesiis usitatas pericopas sacris diebus aptavisse.	Vana censura: nam *Paulus*, diaconus aquilegiensis, & Desiderii Regis cancellarius, cum eoque captus, CAROLI Victoris gratia aliquam diu floruit. G. Io. *Vossius* de Histor. lat. l. 2. c. 30 Paulinus autem fuit diaconus mediolanensis sæculo V.
135. a. Prodierunt per Adamum *Widefeld*.	*Widenfeld*.
138. b. Liber de natiuitate Mediatoris ultima nunc futura, & toti orbi terrarum in singulis ratione præditis manifestanda, *inter anonymos* refertur a Scavenio, & Gesneri fide *Guil. Postello tribuitur*.	Immo *cum eius nomine* prodiit *Morhof* Polyhist. T. I. 324.
158. b. Corpus Prutenicum, sive symbolicus liber ecclesiarum Borussiæ, confectus a Io. Morlino & Chemnitio. Sed non exprimitur, *patri ne an filio* Martino, vel *Christiano* Chemnitio tribuendus sit.	Corpus prutenicum emissum est *anno* 1558. Christianus autem Chemnitius demum *natus anno* 1615. defunctus 1666. *Witte* in Mem. theol. p. 1553.
161. a. Dan. *Benius*.	Dan. *Brenius*.
181. b. Epistola de Tolerantia,	Auctor illius est Io. *Lockius*, te-

scripta a P. A. P. O. I. L. A. tribuitur modo *Bernardo*, modo, quamquam dubie, *Rozelio Beaumont*, ste *Heumanno* 95.

P. 187. b. Iam olim inimici FRIDERICI *Barbarossa* famam violarunt, librum de III. impostoribus eius iussu scriptum esse adfirmantes. Fridericum *Secundum* ita calumniati sunt. *Conringiana* epistol. 70. *Colomesius* 819.

Scriptum illud *possideri nunc a D. Io. Frid. Mayero*, oppido *est falsissimum*. In *Bibliotheca* tamen *Mayeriana* p. 719. iactatur eius possessio.

262. a. Annales Bavarici, quibus præfationem suam præmisit Ioannes *Adelreizerus*, auctorem habent P. *Warfug*. Præfator est *Adlzreitter*, auctor *Forquevaulx*, iesuita lotharingus. *Acta erud.* A. 1710. 252. & A. 1711. 58.

269. a. Colomesius in Biblioth. sel. p. 199. recenset Historiam archiepiscoporum cantuariensium, additque *eius auctorem Io. Iosselinum*. Colomesius ait librum *duabus constare partibus*, quarum prioris, Antiquitates continentis, auctor sit D. *Arevvorth*; posterioris, Vitas archiepiscoporum tradentis, Io. *Iosselin*, secretarius Matth. Parkeri archiepiscopi. Nihil autem illuc contulisse Parkerum, nisi quod ordinem secretario monstraverit suo, & memorabilia quædam liberali manu cum illo communicaverit.

276. b. Posterior pars Compendii Historiæ ecclesiasticæ, in usum Gymnasii gothani compositi, a Io. Christoph. *Artopoeo*, *prior a Seckendorfio* congesta est: *utriusque consilio & opera adiutor fuit Boeclerus*, testibus Slutero & Fechtio. Seckendorfius V. T. Historiam, *nec sciente nec adiuvante Boeclero*, composuit; Historiæ autem N. T. elaborandæ curam, cum ipse aliis distringeretur negotiis, commisit Boeclero, qui *socium opera sibi ascivit Artopoeum*. *Heumann*. 125.

Mini-

290. a. Iudicium viri docti, sed anonymi de Ioanna Papissa Maresii, *est Curcellai*.	Minime, sed Dan. *Zwickeri*. Christoph. *Sandius* Biblioth. antitrinit. 152.
300. b. Ceremonialis & *Pontificialis* romani Augustinus, episcopus *picentinus*, primus auctor est.	Auctor *Pontificalis* est Augustinus *Patricius*, Episcopus *pientinus*. Vide il *Giornale de' letter. d' Ital.* T. XIIX. 341.
303. b. De suburbicariis regionibus & ecclesiis prodiit Coniectura Francofurti *anno* 1618. in 4.	*Anno* 1617.
350. a. Liber ipse (videlicet Bibliographia curiosa Boecleri, edita Germanopoli 1677. 8.) nec paginas habet numeratas aut inscriptas osternionibus, *ad literam usque Q*.	Immo *etiam per* (Io. Andr. Bosii) *Bibliothecam polit. contractam*, quæ ei adiuncta est.
351. a. Honoratæ memoriæ civis meus *Iacobus* Gronovius prof. lugdun. Batavorum, *in filio* nunc etiam successore superstes.	*Io. Fridericus* Gronovius, in filio (*Iacobo*) nunc etiam successore superstes.
354. a. Huldericum Eybenium, ex Professore *kiloniensi* Assessorem Cameræ cæsareæ factum.	Ex Professore *helmstadiensi*.
Ibid. a. b. Ephemeridum literariarum, quæ Hamburgi A. 1686. in 4. publicari coeperunt, auctorem esse Casp. Corberum, *Medicinæ Doctorem*, postea ad professionem in academiam Iuliam advocatum.	Cörberus *non fuit Doctor Medicinæ*, sed *Iurisprudentiæ* se se adplicuit, & elegantibus litteris. Vide *Programma* eius *funebre*.
381. a. Marii Nizolii Antibarbarum edidit G. G. L. L. Quæ literæ designant inclytum nomen *Georgii* Guilielmi Leibnitii lipsiensis.	*Godefridi* Guil. Leibnitii.

P. 385. b. *Scaligeriana.*	*Scaligerana.*
405. b. Martialem aliosque lascivos poëtas a Iesuita gallo Andr. Frusio expurgatos esse, ut legi ab adolescentibus citra noxam possint, memorat Alegambe: *Cuius intentionem sane non possum non etiam hoc loco laudare.*	Bene: *sed nec eidem sui defuere censores*, interque eos Laur. *Ramirez* de Prado, & *Morhofius.* Io. *Moller* in Hypomnem. ad Morhofii Polyhist. l. 4. c. 13. p. 397.
435. a. Welches von mir I. C. S. (i. e. Io. *Casp.* Sagittario.)	Io. *Christfrido* Sagittario.
441. b. Si credimus *Samueli* Dilgero.	*Danieli* Dilgero. *Charitius* de claris Gedanensibus 37.
461. Irenæus Philadelphus Laudum vocat *dogmatum & rituum papalium auctorem, vindicem, & instauratorem.*	Sed *falso*, secundum narrata Vitæ Laudi, a Guil. *Whartono* editæ. *Acta erud.* A. 1696. 140.
477. a. Froschmauseler, Magdeburgi *anno* 1595. 4. & ibidem *anno* 1608. in 8.	*Dedicatio libri metrica scripta quidem fuit anno* 1595. sed liber non prius in lucem prodiit, quam *anno* 1600. *Heumann* 89.
482. b. Librum Reineke Voss *composuit Nicolaus Baumann*, natus ad fontem Visurgis.	Potius *Henricus de Alcmar*; Baumannus autem eximiis illustravit notis moralibus & politicis. Frid. Aug. *Hackmann* Program. A. 1709. de morali Apologo poët. qui nostra vernacula de Reineke Voss appellatur B.
483. Morhofius im Vnterricht der teutschen Sprache und poësie *pag.* 360.	*Pag.* 333.
Ibid. b. Christophorus *Arnoldi*, *Pastor* & Professor norimbergensis.	Christoph. *Arnold*, *Diaconus* ad S. Mariæ, & prof. in urbe norimbergensi.
556. b. Quomodo controversiam (de immaculata conceptione dixit)	*Nullus Paparum decidit*: & forsan nominare voluit *Frid. Vl-ricum*

B. Virginis Mariæ) *tandem pro immaculata conceptione deciderit contra Dominicanos Papa*, docentibus nostris theologis cum *Georgio* Calixto, nunc non vacat enarrare.	*ricum* Calixtum, qui ea de re tractatum scripsit. Vide *Considerat.* nostram controv. cum Pontificiis p. 25.
P. 558. a. *Mayenburgiani* Calvinismi Critica generalis.	*Maimburgiani.*
595. a. Religionis reformatæ Historia auctorem habet *Basnagium.*	*Iacobum Basnagium.* Vide *Acta erud.* A. 1690. 392.
Ibid. b. Libelli, Le Ministére du Card. de Richelieu, auctor est *Dom Carolus de S. Paul.*	Patinus putat, esse P. *Vialar*, postea episcopum abrincensem. *Acta erud.* A. 1718. 518.
609. b. Dialogi de Mundorum pluralitate est Mr. *de Fontanelles.*	*De Fontanelle.*
650. b. Venetiarum notabilia (Le cose notabili della città di Venetia) *sunt Hier. Bardi.*	Sunt *di Nicolò Doglioni*, (Nicolai *Dolionis*) sicut docet editio anni 1671. in 12.
666. b. Il Vaticano languente videtur esse *illustris viri, qui amplissimus in Veneta Rep. honoribus, crebrisque legationibus functus est.*	Hic error tollitur p. 659. ubi *Gregorio Leti*, & recte quidem, adscribitur.
673. a. b. C. R. (id est, Cassiodori *de Reyno*) Biblia hispanica.	Cassiodori *de Reyna.*
707. b. מקנה אברים	מקנה עברים I. C. *Wolfius* Biblioth. hebr. 70.
PARTE II. Quæ agit de Pseudonymis, p. 60. b. Libri de iure ecclesiasticorum, auctor, qui nomen fingit L. Antistii Constantis, verus est *Bened. Spinosa.*	*Id nullo modo certum*; immo *videtur non esse*, quia in præfatione operum post obitum Spinosæ editorum, nulla eius fit mentio. I. *Clericus* Biblioth. sel. T. XXI. 37.
79. a. In libro *tertio* Veri christianismi Arndii a cap. 34. ex-	In libro *secundo.*

tant XII. alia capita de precibus, quæ revera sunt Valent. Weigelii.

P. 115. b. Mart. Bellii nomine Sebast. Castalio, *licet hoc eiuraverit*, contra Calvinum scripsit *Dialogum Lelium* de hæreticis *gladio coërcendis*.

Mart. Bellius, quis quis sit, *libellum* edidit *sive farraginem* testimoniorum de hæreticis gladio *non* coërcendis, eique præfixit *Præfationem* sive dedicationem ad Christophorum, Ducem wurtembergicum. Nescio autem, *an Castalioni, viro pio, obtrudi queat*, si eiuravit.

117. b. Didacus *Bernardinus*.

Bernardinus. Heumann. 92.

118. b. Berengarius Matthias. Eius *Hyperbolimaa* Mariæ *Camera-censis* Argentorati 1619. Berneggeri, *ut videtur*.

Male hic refertur ad pseudonymos: auctor enim, Matthias Berneggerus, argent. acad. professor, & nomen, & munus suum expressit. Titulus autem libri hic est: *Hypobolimaa diva Maria deipara Camera, seu Idolum lauretanum, eversis* Baronii Cardinalis, Canisii, Turriani ac Tursellini *Iesuitarum fulcimentis deiectum*.

141. b. (Lubienicius) is est, *quem Sandii Bibliotheca Antitrinitariorum Lutomirsium* nobis appellat, eiusque scripta ordine recenset p. 42. 43. *huiusce tamen non meminit*.

Lutomirscius plane alius est, quam Lubienicius, & *hunc eiusque scripta*, interque ea Morientis Poloniæ conservandæ Rationem certissimam, sub nomine Bruti emissam, & Vindicias pro Vnitariorum in Polonia religionis libertate, cum notis, *Sandius memoria tradidit* p. 165. & 166. Sed ne obliviscaris, Io. *Crellium* sub nomine Junii *Bruti* Poloni, Vindicias pro religionis libertate edidisse:

	se: quid, si eas notis illustrare suis Lubienicius studuit?
Pag. 146. Ionæ Le *Bur* nomine editi sunt commentarii in Apocalypsin.	Ionæ *Le Buy* nomine. Vide pag. 493. & *Ancillon*, Mel. crit. P.I. 167.
147. a. Nectarius Butyrolambius videtur esse D. Io. *Mollerus*, theologus hamburgensis.	*Müllerus*.
167. a. Dialogum de hæreticis iure gladii coërcendis, *puto esse Castalionis partum*.	Hoc *refutatur* p. 172. Et confer hic p. 146.
172. Minum Celsum, qui Disputationem scripsit de hæreticis capitali supplicio non afficiendis, quæque recusa est Basileæ 1584. *in* 4. auctorem habere *Faustum* Socinum, testatur Scavenius num. 70.	Recusa est *in* 8. eiusque auctor est *Lalius* Socinus, Fausti Socini patruus.
270. b. Eusebius *emissenus*, *Emissa* urbis Phoeniciæ episcopus.	*Emesenus*, *Emesa* episcopus.
296. b. Io. Funccius in præfat. Chronologiæ Andr. Osiandrum *ut conterraneum* suum laudat.	Funccius erat *Wehrda-norimbergensis*, Osiander *Gunzenhusa-Francus*.
Ibid. Andr. *Osiandrum* anno 1544. 4. Noribergæ edidit Coniecturas de ultimis temporibus.	Andr. *Osiander*.
302 b Io. Bapt. Gallus est Io. *Bapt de Machaud*.	Est *Io. de Machaut*, teste *Sothwellio*, & Io. *Mollero* de homon. 694.
303. a. Optatus Gallus est Carolus *Hersent*.	Car. *Hersan*. Rich. *Simon* in Actis erud. A. 1701. 124. & *Boehmer* in iisdem 1709. 490.
314. a. Theodosium Gibellinum *esse Esaiam Pufendorfium*, non minima est coniectura.	*Est Matthæus Gœbelius*, consul budissinensis. Vide *Narrat. innoc.* A. 1714. 347.
322. b. Orthuinum Gratium esse	Omnino ponendus *Io. Christopho-*

D. *Christianum* Becmannum, non nemo scripsit; sed vereor, ne in prænomine erratum, & pro Christiano Io. Christophorus ponendus sit.

rum. V. E. *Læscher* in Hist. motuum p. 9. *Heumann* 143.

P. 342. a. Der Helmstædtischen Theologen grundliche Widerlegung des unwahrhaften gedichts Statii Buscheri, *auctorem agnoscit Georg. Calixtum.*

Non solum Calixtum, sed *etiam Conr. Horneium*: hic enim tria capita elaboravit, de necessitate bonorum operum, de auctoritate antiquitatis ecclesiasticæ, deque studio concordiæ ac mutuæ tolerantiæ; ille duo, num mysterium Trinitatis ex solius V.T. libris demonstrari possit, et num eius temporis patribus Filius Dei in propria sua hypostasi apparuerit. Vide *Calixtum* in Refutat. Iac. Welleri D iiij. & Y iij.

439. b. Mehringi nomine *Christoph. Raselium libros* de baptismo & contra baptismum evulgasse, refert Henr. Kippingius.

At Christoph. *Raselius excitatur in S. Historia baptismi* (hic enim est titulus libri) p. 1067. ferturque, Io. Montanum eius esse auctorem, Iac. autem Mehringum interpretem & amplificatorem.

441. b. Mercurius Frondator est Emericus *Crucius*.

Cruceus. I. *Moller* in Hypomnem. ad Morhofii Polyh. 396.

442. a. Mercurii Relationes auctorem habent *Malzacum*, Principi oettingensi quondam a consiliis.

Io. Bernard Mulzium, noribergensem, Principis oettingensis Ministrum primum.

448. b. Francisci *de Monte* Trias mystica Iac. Boehmio adscribitur a Caveo.

Sed est Abr. *de Franckenberg*, ut videtur *Heumanno* p. 94.

461. b. Aulicum Cardinalis *Perretti*, nomine *Vittorio de Rossu*,

Aulicum Card. *Peretti*, nomine *Gio.* Vittorio *de' Rossi*, ut Lorenzo

uti Lorenzo *Graßi* libro italico, *Elogi* degl' Huomini litterati inscripto testatur.	renzo *Crasso* libro Italico, *Elogii* d'huomini letterati inscripto, testatur.
Pag. 469. b. De cardinalitio *gallico.*	*Galero.*
470. b. Opalenus, Lucas: Paulus *Naorellus.*	Dicere vult, Lucam *Opalenium*, scriptorem Officiorum, latere voluisse sub larva Pauli *Naocelii*. Vide p. 457. *Heumannum* p. 157. & Tomum II. *Supplem.* Actor. erud. (ubi quidem vocatur *Opalinius*) p. 150.
483. a. *Pietro de Parragone.*	*Pietra del paragone.*
Ibid. b. *Iani* Parrhasii.	*Auli* Iani Parrhasii.
489. a. (b) *Symbola Mastrichtiana.*	Hæc referenda est *ad numerum* (2051.) ubi de Paulo Servita veneto sermo est.
493. b. Ionas *Buici* Perieus.	Ionas *Le Buy* Perieus.
497. a. Eusebii Philadelphi Dialogi II. de Vita CAROLI IX. Reginæque matris. Sunt Bernaudi Delphinatis, *quem ideo colaphis cæcidit.*	Non Rex, sed Dominus *de Lafin*, & quidem Basileæ publica in platea *colaphum* ei *unum*, idque ingens impegit, propter falsum, & intolerabiles in Regem & Reginam calumnias. *Biblioth. Schrader.* T. I. Z
542. b. Iohannes *Rollegravius* est Iohannes *Graverollius.*	*Rolegravius — Graverolius.* Dav. *Ancillon.* Mel. crit. T. II. 86.
552. a. *Iesaia* Ecclesiasten *abiudicare videtur Capnio* de verbo mirif. *pag.* 44.	*Lib.* I. c. 5. *pag.* 885. Verba autem Capnionis hæc sunt: Adeone concionator noster desipuit, quis quis tandem ille fuit, qui Ecclesiasten conscripserit, *sive Salomon*, seu quod multi famant, *Esaias ipse?*
560 a. Christoph. Scheurlius *alio nomine dicitur Kreßi.*	*Diversissima sunt gentes* Scheurliorum & Kressiorum.
599. a. Ventura de Valentiis est *Georg. Winther.*	Georg. *Valentinus* Winther. *Biblioth. Schrader.* P. I. Z 2.

Pag. 599. b. Cyprianus *de Valeria.*	*De Valera.* Vide P. I. huius *Theatri Placciani* p. 673.
613. a. Sinceri Wahrenbergii Dialogus de polygamia *Polycarpo* Lysero tribuitur.	*Ioanni* Lysero. H. D. *Meibom* disp. de dispensat. §. 16.
614. a. *Wallonis* Messalini Dissertatio de episcopis & presbyteris.	*Walonis* Messalini.
In APPENDICE, & quidem in *Deckherri* Coniecturis p. 17. b. Iesuitæ Romano, qui controversiam Britannorum cum Pontifice maximo de iuramento fidelitatis subditis præscripto, respondit D. *Baclo*, episc. Lincolniensis: Torto vero *Andreas*.	D. *Thom. Barlovius*: Torto autem *Andrewus*. Vide *Vindingium* p. 56.
18. a. *Androsius.*	*Andrefius.*
25. a. Cæsarini Fürstenerii Dissert. de Iure suprematus ac legationis Principum Germaniæ auctor *vel est, vel videtur Ludolphus Hugo.*	Est G. G. *Leibnitius*. *Placcius* de pseudon. 297.
39. a. Lapidis lydii, scriptis Traiani Boccalini sæpe cum nomine *del Pietro de Paragone* adiecti, *Cardinalis Caietanus auctor est.*	Immo vero *Boccalinus* auctor est libelli, inscripti *Pietra del paragone politico*; eiusque nomen exprimit editio, facta in Cosmopoli A. 1640.
40. a. Catharinæ Mediceæ Vita conscripta est a Ioanne de *Serres*, sive Io. *Serrano*, vel *Serrario*.	Certe a Ioanne *de Serres*. p. 60.
Ibid b. Memoriæ regiminis reginæ Mariæ Medicææ scriptor est *Card. Richelius.*	Immo *Fran. Annibal d'Etrées* Par & Polemarchus Franciæ, *Baelius* p. 60.
Ibid. Ministerii Cardinalis Mazarini descriptio videtur esse	*Silhonius*, ut videtur, *nihil aliud scripsit, quam tractatum* haud ita crassum,

Sillonii ſive du Sieur de Silhon, Secretarii Cardinalis, quippe qui in *libre du Miniſtre d'Etat* ſua ſibi monumenta reddenda demonſtravit.	ſum, *Eclairciſſement de quelques difficultez, touchant l'adminiſtration du Cardinal Mazarin.* Et *liber du Miniſtre d'Etat longe ante* fuit vulgatus, quam Card. Mazarinus ad clavum ſederet. *Balius* p. 60.
Pag. 40. b. In Pauli *Vindingii* Epiſtola p. 56. b. Auctor de la Recherche de la verité eſt *Mailbranus, Pater Oratorii.*	*Malebranche, Presbyter* Oratorii Ieſu.
Ibid. Don Robert *de Galu* litem componere aggreſſus eſt per la Critique de la Critique de la Recherche de la verité.	Robert *des Gabets.*
Ibid. Tractatus contra Simonii Hiſtoriam criticam V. T. gallico idiomate conſcriptus, ampliſſimum *Fr.* Spanhemium, *SS. antiquit. profeſſ.* auctorem habet.	*Ezechielem* Spanhemium, *Regis Pruſſ. a ſanctioribus conſiliis, & Oratorem ad Regem Britanniarum.*

Monſtratis iam erroribus ab auctore commiſſis, fortaſſe non ingratum erit Lectoribus, ſi & ea, quæ ad opus Placcianum in meo annotavi codice, tanquam Addenda, ſubiunxero. Age igitur, in gratiam illorum, & futuræ forſan editionis novæ, neque huic operæ parcam, ſed fideliter, quantulacunque ſunt, in medium proferam. Et facile me credo veniam impetraturum, ſi quæ forte attulero, quæ iam apud auctorem noſtrum aliis exſtant in locis: quis enim in tanta rerum copia cunctas ſimul & ſemper ante oculos habere poteſt?

IN LIBRO DE ANONYMIS.

Ad pag. 14. Ad legem & teſtimonium, eſt Ad. BOREELI. *Sandius* Biblioth. antitrinit. 144. *Crenius* Animaduerſ. P. IIX. 151. *Vnſchuld. Nachricht.* A. 1701. 174. G. *Arnold.* Kirch. und K. H. T. I. 564. *Benthem.* de ſtatu eccleſ. & ſchol. holland. 895.

Admonitio Neuſtadiana, Zach. VRSINI. Melch. *Adamus* in eius Vita p. 537.

S. Ana-

S. Anastasii Sinaitæ Anagog. contemplat. in Hexaëm. librum XII. cum Chrysostomi epistola ad Cæsarium editor est Pet. ALLIX. *Ancillon* dans les Memoires 222.

Angelus pacis ad Legatos Bredæ congregatos, est Io. Amosi COMENII. *Cren* Animadv. P. IV. 97.

15. Apologia ad Acta conventus torgensis, Theodori BEZAE. Melch. *Adam* in eius Vita 244.

Apologia Confessionis Christophori, Ducis wurtenbergensis, est Io. BRENTII. *Franzius* de Interpret. Script. 136.

Apostasia christianorum, Lanceloti a BREDERODE. B. *Wissovvatius* in Notis ad Catechismum racov. 40.

Chiliasmus sanctus, Georg. Laur. SEIDENBECHERI. Casp *Sagittarius* Introd. in Hist. eccl. T. I. 917. Vide etiam *Placcium* de Anon. 92.

Concordia euangel. quæ Anglo cuidam tribuitur, & reperta dicitur in Iac. Vsserii bibliotheca, Christiani KNORRII a Rosenroth.

16. Considerations libres & charitables sur le Recueil des Actes authentiques, ramassés de Mr. Blondel, GAVTHERII. *Ancillon* T. I. 408.

Consilii Calixtini de Concordia ecclesiastica plenior repræsentatio, Gerh. TITII. Fr. Vlr. *Calixtus* in Via pacis p. 101.

Conuictio criminalis (contra sagas) Frid. SPE Soc. Iesu.

Cymbalum mundi, Bonavent. DES PERIERS. Vide hic p. 105. *Morhof.* Polyh. T. I. 79. *Menagiana* T. IV. 416. & *auctorem Præfat. atque Epistolæ crit.* dicto libello præmissarum.

Diallacticon de Veritate corporis Christi in S. cœna, Io. PONETI. Guil. *Forbesius* Consid. controv. 382. *Cassander* in Epp. p. 1558.

Dialogus inter Vaticanum & Calvinum (de hæreticis, an sint occidendi?) Lælii SOCINI. *Hoornbeek* Summæ controvers. p. 563. *Slüter* Propyl. hist. 273.

17. Historia calvinismi & papismi, Petri IVRIEV. *Acta erudit.* A. 1684. 356.

18. Enchiridion coloniense, Io. GROPPERI. *Gerhard.* Conf. cathol. 1509. 1512.

Epocha annorum incarnationis Christi, Pauli PETAVII. *Colomes.* 488.

Examen

Examen Animadversionum Arnoldi ad Præservativum contra mutationem religionis, Petri IVRIEV *Acta erud.* A.1684.177.

Excerpta ex Socini libro de Christo servatore, Prosp. DISYDÆI. *Ruarus* Epp. P. I. 128.

Pag. 19. Lutheri Autographa & coætanea, Hermanni VON DER HARDT. *Acta erud.* A. 1691. 423.

20. Observationes in Beveregii Annotationes in Canones apostolicos, Matth. LARROQVANI. *Ittig* de Pseudepigr. 171.

Prædestinati auctor est incertus. *Ittig* præf. Differt. de hæresiarchis. 10.

Præservativum contra mutationem religionis, eiusque Continuatio, Petri IVRIEV. *Acta erud.* A. 1684. 448. & confer *Placcium* de Anon. 436.

21. Puritanismus anglicanus, Wilh. BRADHAWI. *Hoornbeck* de Indepent. 27.

52. Libri de la Devotion à la Vierge, & du culte, qui luy est dû, Adr. BAILLETI. *Ancillon* Memoir. 296. 72.

Anticotonus, Io. DIODATI. *Ancillon* Mel. crit. P. II. 238.

75. Antilogia Schwenckfeldio opposita, Ioach. VADIANI. *Schwenckfeld* T. I. Opp. 138.

77. Consideratio generalis super articulis fidei necessariis, contra Walenburgios, Andr. OVERBECKII, symmystæ wolfenbuttelensis.

Liber de re beneficiaria, editus A. 1710, creditur esse abbatis BOILEAV. *Atrium nov. libror.* T. I. 417.

Bernardini, WILLERMVS, S. Martini tornacensis monachus. *Supplem.* Act. erud. T. I. 559.

79. Additamenta ad Balduini Casus conscientiæ, Georg. SELDII, tunc studiosi theologiæ. *Cren.* Animadv. P. VI. 145.

96. Philippi a Limborch Collatio cum erudito iudæo, i. e. Is. OROBIO de veritate relig. christianæ. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. vol. VII. 130.

Concordia rationis & fidei, Frid. Wilh. VON STOSCH, reformatæ addicti ecclesiæ, Elect[illegible] Brandenburgici a secretis cameralibus, & consiliarii aulici defuncti A. 1704. qui spinosismi accusatus, vel suspect[illegible]uit, eo, quod animam humanam materialem & mortal[illegible] statuisset; a qua tamen sententia postea

destitit, ut offensio tolleretur. Vide huius libri p. 141.

104. Corona regia, (quæ in contemptum Regis IACOBI & Casauboni scripta fuit) Casp. SCIOPPII. Christian. *Thomasius* Colloq. menstr. T. II. 588.

Cras credo, hodie nihil, Dan. HEINSII. Auctor *Præfat.* in Opp. Przipcovii * 3.

106. Destructorium vitiorum, ALEXANDRI, ord. S. Francisci. *Dionysius* werlensis Cathol. Ehrenretter 219.

Doctrina de Deo, Christo, & Spiritu sancto, Ier. FELBINGERI: cuius nomen etiam exprimitur in editione germanica A. 1667.

112. Epistola tractatui Spizeliano de atheismo subiuncta, God. Guil. LEIBNITII. *Serpilius* Epitaph. theol. suev. 162.

Epistola ad Iacobum de Misa de communione sub utraque specie, BRODAE. *Von der Hardt* Prolegom. in Tomum III. Concilii constant. 23.

116. Examen Concilii tridentini gallice conscriptum, Guil. RANCHINI.

Excitabulum iudæorum, Io. BETISONII. Ger. von *Mastricht* in ep. A. 1717. 30. Ian. ad me scripta.

118. Fiscus papalis, Thomæ IAMESII. *Heumann.* de anon. & pseudon. 189.

119. Tractatus de la Regale, Lud. AVBERII. *Ancillon* Memoir. 367.

Genius seculi & Gyges gallus, Zachar. de LIZIEV, capucini normanni. *Patin* (in Actis erud. 1718. 520.)

Vindiciæ Nominis Germanici, Io. Frid. CRAMERI. Io. *Moller* Hypomnem. 391.

Iudicium de S. M. (Sam. Maresii) Ioanna papissa restituta, excusum cum Curcellæi Quaternione Dissertationum in 8, Dan. ZWICKERI.

135. Methodus concionandi helmstadiensis, (sed falso sic dicta, dicendaque potius quodlibetaria & confusa) Iusti IDENII, einbecensis.

140. Observationes in Spondani Annales ecclesiasticos, Hieron. de MARINIS. *Tenzel.* Colloq. menstr. A. 1690. 344.

155. Libellus de pace & concordia ecclesiastica, anno 1628. editus, Sam. PRZIPCOVII. *Limborch.* in ... Episcopii 309.

157.

157. Præfatio opuſculorum Petavii, DV BOIS. Rich. *Simon* in Actis erud. 1701. 120.

Præfatio in Serveti libros VII. de erroribus Trinitatis, belgice editos, Reinieri TELLES. *Cloppenburg* de orig. & progreſſu ſocinianiſmi 27.

159. *Pſalterium Marianum* non eſt Bonaventuræ. *Crenius* Animadv. P. XIV. 98.

161. Religio Hollandorum, STOVPPA, chilarchæ helvetii, qui in gratiam Regis Gall. eam ſcripſit. *Ancillon.* Mel. crit. P. II. 439. *Narrat. innoc.* A. 1716. 640.

165. Liber de reprobatione abſoluta, *angli* alicuius. *Grotius* in ep. ad Curcellæum, T. V. Criticor. ſacr. 2082.

172. Servetus illuſtratus, Franciſci DAVIDIS. *Simler* præf. in lib. de æterno filio Dei, A 6.

Somnium viridarii conſcriptum fuit ſæc. XIV. *Heumann* de anon. & pſeudon. 180.

181. P. A. P. I. L. A. Epiſtola de tolerantia, eſt Io. LOCKII. *Heumann* 95.

182. Trias propoſitionum theologicarum, M. Io. GROSSII, ſymmyſtæ tunc hamburgenſis; quem refutavit Dan. *Wulferus.*

199. Vindiciæ contra tyrannos, Theod. BEZÆ. *Blumberg* Verit. myſter. tiaræ R. Pontif. 23.

206. Cautio criminalis, Frid. SPEE, Soc. Ieſu. *Heumann* 140. *Feller* T. I. Monument. inedit. 254.

217. Diatribe de receptione Iuris romani, I. C. HEYDELMANN. *Acta erud.* 1713. 495.

219. Ius Auſtriacum in Monarchiam hiſpanicam, Baronis VON SAILERN. *Bilderbeck* in Biblioth. iuris publ. german. 49.

225. Diſſertatio de libertate omnimoda, quatenus ea cum primis Germaniæ competit, Io. Bern. MVLZII.

256. Verſio latina Actorum & ſcriptorum controverſiæ inter Paulum V. & Venetos, Caſp. WASERI, ſi *Crenio* velis credere Animadv. P. IIX. 150. ipſe enim *Waſerus* ibid. p. 151. germanicæ tantum verſionis, eiusque non integræ, ſed ex parte duntaxat factæ, meminit.

Acta philoſophorum, ſeu declarationes ex hiſtoria philoſophica, C. A. HEVMANNI, Inſpectoris tunc iſenacenſis. *Bibliotheca nova* T. V. 82. 279.

279. Fatidicus ad Dolabellam Mercurius, Alex. Iul. TORQVATI. *Schurzfleisch* Epp. select. 85.

Florarium temporum. Nicol. CLOPPERI. *Cassander* 1095.

288. Translatio Historiæ philosophicæ Stanleii ex anglico in teutonicum, Gottfr. OLEARII.

Hispanica bibliotheca, Andr. SCHOTTI. *Colomes* 489.

295. Mercurius Gallo-Belgicus, D. M. IANSONII. *Crenius* Animadv. P. XV. 134.

Monothelitarum Historia. Parisiis A. 1678. edita, Io. Bapt. TAMAGNINI. Nat. *Alexander* in Veielii Dissert. Isagog. 126.

303. Descriptio Sueciæ, Mich. Vexionii GVLDENSTOLPE. Io. *Moller* in Hypomnem. ad Morhofii Polyhist. T. III. l. 2. p. 120.

305. Vanini Defensio, Pet. Frid. ARPE.

309. Vita Comitis de Dhona, Frid. SPANHEMII. *Ancillon* Mel. crit. P. II. 451.

312. Vita Phil. Mornæi, partim Dav. LIXII, partim ipsius Mornæi AMANVENSIVM; Præfatio autem est CONRARTI. *Ancillon* P. II. 242.

320. Dissertatio de arte ditescendi, Balth. SCHVPPII. *Heumann* de libris anon. & pseudon. 171.

322. Pl. reverenda Metaphysica, Gnostologia, Noologia, Fiscologia, Pneumatica, latine & germanice, in 8. Io. Gotofr. ZEIDLERI.

337. Consolatio, Car. SIGONII. *Morhof* Polyh. T. I. 86.

338. Δωρον βασιλικον ad filium, IACOBI VI. Regis Britan. *Krause* in Hist. libror. 144.

Εικων βασιλικη GAVDENI, exon. episcopi. I. C. *Wolf.* disp. de carcere, eruditorum museo, p. 22.

Euphormio, Io. BARCLAII. *Bosius* de compar. prud. civ. §. 94.

351. Burmanniana, Io. CLERICI. *Heumann.* 183.

358. Exercitationes subsecivæ francofurtenses, Andr. Ottomari GOELIKE, Bern. REINOLDI, Arn. WESENFELDII, Iac. HERMANNI, & Iusti Christ. DITHMARI, Professorum in alma academia viadrina. *Nova Biblioth.* T. VII. 748.

363. Holmia literata, Richardi VON DER HARDT.

368. Bibliotheca iesuitica, Petri RIBADENEIRÆ, Phil. ALEGAMBE, & Nathan. SOTVELLI. Io. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. 12.

373. Miſcellanea antiquæ lectionis in Lege Ludovici & Lotharii auguſtorum, Io. Henr. BOECLERI. Io. Georg. *Eccard* præfat in Leibnitii Collectan. etymolog. 57.

374. Nova librorum rariorum Collectio, Henr. Auguſtini GROSCHVPFII. *Heumann.* 189.

377. Explicatio nummorum Croyacorum, Alb. RVBENII. Io.Georg. *Grævius* præfat. in Tomum VI. Antiqq. roman. ** 2.

379. Antiquitates etruſcæ, Curtii INGHIRAMI. *Morhof* Polyh. T. I. 84.

380. Panegyricus poſthumus Iacobo I. dictus, non eſt Caſauboni. *Morhof.* Polyh. 83.

381. Præfatio in Panvinii Antiqq. veronenſes, eſt Octavii FERRARII, ſicut ipſe fatetur Oper. varior. P. II. 352.

383. Centuriæ IV. variarum quæſtionum, germanice ſcriptarum, Mart. ZEILERI. Frid. *Geisler* de Mutat. nominum & ſcriptor. anon. 82.

389. Selecta hiſtorica & literaria, M. Mich. LILIENTHALII. *Germanica Acta erud.* T. III. 863.

390. Commentarius de Vocabulis regionum & gentium apud Tacitum, Io. BRENTII. *Serpilius* Epitaph. theol. ſuev. 130.

405. Margarita poëtica, Alb. EVBII. *Vossius* lib. I. Inſtitut. 302.

411. Notæ in Sannazarium, editionis hollandicæ, Iani BROVCKHVSII. *Menagiana* T. IV. 441.

413. Reſolutio (Abhandlung) aliquot quæſtionum, Io. Chriſtoph. BECMANNI, theologi francofurtenſis ad Viadrum.

S.K. Reſponſio & N. T. Exceptio de ſegregatione malorum & bonorum, Sam. KOENIGII, & Nicol. TSCHERNII.

421. Scrupulus conſcientiæ ſuper communione, A. 1707. Regiomonti celebrata, I. D. S. id eſt, Io. David. SCHWERTNERI.

430. Exceptio contra humillimum ſcriptum, (wider die Allerunterthaenigſte Addreſſe) Io. Chriſtoph. BECMANNI.

438. Catechiſmus pietiſticus, Seb. EDZARDI. *Dippelius* in Cogitation. contra ſuecici cuiusdam theologi Narrationem de pietiſtis, p. 89.

Abominanda pietiſtarum Trinitas, Io. Frid. MAYERI. *Dippel* ibidem.

Turbæ Pietiſtarum, Vnfug der Pietiſten, Io. Bened. CARPZOVII. *Dippel* ibidem.

440. Caduceator ſive fecialis ratisbonenſis C. H. L. P. I. G. Regenſpurgiſcher Herold, Chriſtiani HOBVRGII, lotumenſis paſtoris in Geldria. *Narrat. innoc.* A. 1715. 207.

441. Conſideratio ſtatus medii animæ a corpore ſeparatæ, Godofr. ARNOLDI. *Eadem* A. 1703. 833.

Syngramma ſuevicum, Io. BRENTII. Georg. *Calixtus* de Tolerantia reformat. §. 58.

M. L. Fr. Coniecturæ de eo, quod ante diem extremum eſt futurum, M. Laurentii FRISII. *Moller* Iſag. in Hiſt. cimbr. P. II. 170.

459. Relatio de præſente ſtatu Regni ruſſici, Chriſtiani STIEFFII, iam profeſſoris eloquentiæ & hiſtoriarum in celebri gymnaſio vratislavienſi. *Acta erud* A. 1706. 415.

460. Obſervationes halenſes, Chriſtiani THOMASII, STAHLII, STRVVII, BVDDEI & aliorum. *Gottvvalt* in Defenſ. Buddei contra Seb. Edzardum 40.

468. Vita Romuli, Frid. GLADOVII, conrectoris inclyti gymnaſii Reformatorum apud Halenſes in Saxonia, A. 1716. defuncti.

483. Veſta chriſtiana & Flora terreſtris, Chriſtophori FVRERI ab Haymendorf in Wolckersdorf, eminentiſſimi Electoris Moguntini aliorumque S. Rom. Imperii Principum a conſiliis ſanctioribus, & Duumviri noribergenſis, litteras nobilitate, & nobilitatem litteris mirifice ornantis.

502. Chriſtianæ explicationes, Chryſtelyke uitbredingen over verſcheidene ſchriſturlyke texten, Iac. DENNERI. *Narrat. innoc.* A. 1706. 114.

510. Diſcurſus de Cogitandi libertate, A diſcurſe of freethincking, Ant. COLLINI. *Acta erud.* A. 1715. 488. *Pfaff* Diſſert. de Præiudic. theolog. 628. 535.

511. Narratio de Dania, An account of Denmarck, (en Suede) MOLESWORTHII. *Acta erud.* A. 1699. 204.

519. Rationalitas religionis chriſtianæ, POCKII. *Acta erud.* A. 1696. 463.

521. Theologia myſtica I. P. M. D. Ioannis PORDAGE, Med. Doctoris: quam in germanicum tranſtulit Loth *Fiſcher*.

530. Animadverſiones, Remarks on Dr. Bentley's Sermon upon

pon papery, Io. COMMINS. Vide *Bentleii* Concionem de papatu p. 33.

Animadversiones, Remarks on the state-anatomy of Grait Britain, FIDDESII, Comitis oxoniensis a sacris. *Acta erud.* 1718. 432.

533. Avis important aux Refugiés, Pet. BAELII. *Narrat. innoc.* A. 1709. 653.

557 Histoire des ceremonies & des superstitions, qui se font introduites dans l'Eglise, Ionæ PORREE. *Spicileg.* Novæ biblioth. T. I. 723.

La Conformité du christianisme avec la raison, Io. LOCKII. *Acta erud.* A. 1711. 477.

544. L'abregé des Conciles generaux, P. Fel. BVY. *Auter extr. menstr.* an. 1702. m. Febr. p. 3.

Considerationes liberiores Collectionis Actorum authenticorum a Blondello congestorum, GALTHIERI. *Ancillon* Mel. crit. P. I. 404.

547. Entretiens sur la religion, Iac. BASNAGII. *Narrat. innoc.* an. 1709. 460.

556. Tractatus de ieiunii quadragesimalis dispensatione, HECQVETI, medici. *Acta erud.* an. 1713. 535.

558. Dissertatio de Kainan, CORDESII. *Cren.* Animadv. P. XVI. 58.

559. Mysticæ annotationes ad N. Ttum, GVIONIÆ. *Acta erud.* an. 1713. 489.

564. Preiugez legitimes contra les Iansenistes, abbatis DE VILLE. *Pfaff* de præiudiciis theolog. 540.

565. Tractatus de precibus publicis, abbatis DV GVET. *Acta erud.* an. 1709. 212.

566. Liure de la puissance ecclesiastique & seculaire, Lud. El. DV PIN.

568. Exposition du sacrement, Io. Bapt. THIERS. *Narrat. innoc.* an. 1709. 462.

571. Essais de Traduction ou Remarques sur les traductions Françoises du N. T. CHIRONIS. *Nov. atr. libror* T. I. 64.

573. Le jugement sur la Theologie mystique, Pet. IVRIEV. *Colloq. menstr.* an. 1682. m. Ian. p. 25.

575. Augmentum exceptionis contre la Requête des amans, nobi-

nobilissimæ virginis DE SCUDERY. *Wagenseil* Memorabil. noriberg 562.

Projet pour rendre la paix perpetuelle en Europe, ABBATIS S. PETRI, antehac Academici gallicani. *Clericus* Biblioth. anci. & moder. T. X. 462.

580. Les bagatelles, quæ singulis hebdomadibus Lugduni Batavorum imprimuntur, VAN EFFEN.

593. Mercurius helveticus, Frid. SPANHEMII. *Ancillon* Mel. crit. P. II. 451.

Historia oraculorum, FONTANELLI.

Notæ historicæ ad dissertationem Rambervilleri de morte ac miraculis S. Liberii, Pauli FERRII. *Ancillon* 269.

Histoire de la paix aux Pyrenées, COURTINI. *Acta erud.* an. 1713. 102.

595. Les Interets & Maximes des Princes & des Etats souverains, DUCIS ROTOMAGENSIS. *Wagenseil* Præf. in Tela ignea satanæ, 92.

Abregé de l'Histoire romaine de la traduction de Mr. le Duc d'Anjou, MOTHII VAYERII, Ducis informatoris. *Patin* (in Actis erud. 1718. 520.)

Commentarii de statu religionis & reip. in Gallia, Theod. BEZÆ & Nic GALLASII. *Crenius* Animadv. P. IIX. 161.

596. Defense de la Monarchie de Sicile, Lud. El. DU PIN. *Spicileg.* Biblioth. novæ T. I. 128. 842.

604. Considerations politiques sur les coups d'Etat, Gabr. NAUDÆI. *Colomes.* 326.

618. Arlequiniana, COTORENDII. *Wolf* præfat. in Casauboniana 38.

627. Methode pour étudier la Geographie, Paris. 1716. en 12. IV. volum. LANGLETI. *Nova Biblioth.* T. VII 693.

635. Melanges d'Histoire & de Letterature, Bonav. D'ARGONNE, carthusiani. *Kraus* Bücher-historie T. I. 297.

Mercure galant, ut *Baluzio* videbatur, VISSETI. Sed ille nec librum, nec auctorem magno habebat in pretio.

642. Auuiso piaceuole dato alla bella Italia, PERROTI. *Colomes.* 402.

644. Gli scrupoli cauati ad un anonimo, Romæ 1696. Card. DE NORIS. 658.

658. Auuertimenti grammaticali per chi ſcriue in lingua italiana, Sfortiæ PALLAVICINI. *Giornale* de' Letter. d' Italia T. XX. 448.

665. Il regno d' Italia, Valeriani CASTILIONII. *Villani* Pentecoſte de' ſcrittori maſcherati 134.

674 Relation des juros d' Eſpagne, chiliarchæ STANHOPE. *Schluſſel* zur heutig. Hiſtorie T. I. 1031.

IN LIBRO DE PSEVDONYMIS.

Pag. 17. Andr. Agaſone eſt GVARINVS veronenſis *Giornale* T. XVI. 416.

Sub hiſce verbis, Animi Grati Debitum, &, Antecedit Gloriam Depreſſio, latitat Abr. GOELNITZ Dantiſcanus. *Cren.* Methodor. T. III. 394.

21. A. I. id eſt, Aulicus innocens, eſt Io. Georg. ECCARDVS. *Acta erud.* 1718. 422.

28. Theoph. Alethæus, auctor der Erlauterung der dunckelſten und ſchwereſten Oerter des A. und N. Teſtaments, M. Laurent. MVLLER. *M. P. H.* in Nachrichten von den Iournal-Quartal-und Annal ſchriften p. 5.

Theophilus Alethinus, qui Petavii Dogmata theologica Antverpiæ (Amſtelodami) A. 1700. edidit, & Præfationem compoſuit, Io. CLERICVS. *Moller* Hypomnem. ad Morhofii Polyhiſt. 125.

29. Alethophilus, qui Veritatem lacrymarum produxit, Euphormioni Barclaii P. V. ſubiunctam, Cl. Barthol. MORISOLVS. *Acta erud.* 1718. 516.

32. Fran. Allæus, IVO, pariſienſis capucinus. *Miſcellanea Leibnitiana* 154.

39. Amator veritatis cæleſtis, P. Andr. FREYBERGER, S. I. Sacerdos prof. Pragæ.

70. Sincerus ab Arbore, auctor der freymuthigen gedancken einiger Severambes, Oſw. Henr. ERMELING, Medicinæ cultor, qui poſtea ad Anabaptiſtas tranſiit. M. I. C. M. D. B. *Thorheit der Klugen* 8. 10.

105. G. Bachet, DE MEZERIAC. *Extract. Ephemerid.* 52.

Hartwich Bambinus, Seb. EDZARDVS. *Pezron* Vindic. tradit. pro pane ἐπιούσιῳ 9.

119. Theodoſius Berenicus, Chriſtoph. FORSTNERVS. *Gryph.* in Act. erud. an. 1710. 253.

126. Ianus Gregorius Betulius, Io. Georg. BVRCHARDVS. *Nova biblioth.* T. I 895.

127. Theodorus Bibliophilus, qui ſcripſit contra Rud. Mart. Mehlfuhrerum, dicitur eſſe STVBNER. *Meelfuhrer* Warnung an D. Wernsdorf, 26.

Auguſtinus Le Blanc, Hyacinthus SERRIVS, dominicanus. *Ientchen* diſp. de Bulla antiquenel. 6. *Acta erud.* an. 1717. 1.

139. Bourdelot, auctor Præfationis in Petronium, Mich. HADRIANIDES. Pet. *Burmann.* præfat. in Petron. 28.

141. Iunius Brutus, Philippus MORNÆVS. Cren. de furib. librar. 45.

144. M. Io. Buchler, M. Ioſua CREPHELD a Moſbach. *Placc.* de anon. 355.

145. Thom. de Burgillos, Lopez DE VEGA.

146. I. B. de antiqua libertate eccleſiarum britannicarum, eſt Io. BVRNETVS.

147 Matth. Butingius, Franc. SAGONVS.

Hannibal Butturinus, qui ſcripſit Thraſonem macedonicum, Henricus NORIS.

148. Comes de Cabalis, auctor des Entretiens ſur les ſciences, abbas VILLARS. *Struve* Biblioth. philoſoph. 92.

157. A. CANDIDVS, qui iudicium formavit de Anonymi Memoires ſur la pretendue Declaration de l'Vniverſité de Helmſtad, editum anno 1710. 8, Io. FABRICIVS.

160. Criſtoforus Cardielectus, Io. Chryſoſt. SCARFO, monachus baſilianus. *Acta erud.* an. 1713. 144.

164. Irenæus Carpenterius, auctor Centuriæ eruditorum cœlitum, M. Godofr. WAGNER. *Atrium nov. librar.* T. III. 147.

175. Rob. Cheimerinus, Rob. WINTER, typographus baſilienſis. *Giornale* de' letter. d'Ital. T. XIX. 119.

185 Civerius, Card. XIMENES. *Simon.* Hiſt. crit. N. T. part. III. 884.

Severinus a Clamoribus, Mart. Ern. PLARRE.

Adolphus Clarmundus, M. Io. Chr. RVDIGER. F. C. *Hagen* præf. in Memor. philoſ. *Struve* Supplem. Introd. in notit. rei liter. 82. *Acta erud.* an. 1708. 377. *Heumann.* de anon. & pſeudon. 170. & *Nova biblioth.* T. I. 148.

187. Thom. du Cleſier, Bonaventura DES PERIERS. *Monogiana* T. IV. 416.

192.

192. Hippolytus a Collibus, HELVETIVS Electoris palatini a Consiliis, & Dicasterii heidelbergensis Præses. *Crenius* Methodor. T. I. 553.

194. Consiliarius regius, qui scripsit contra Papebrochium, Carolus DV FRESNE. *Acta erud.* A. 1696. 500.

204. Thom. Crenius, Theodorus CRVSIVS, marchicus, qui primum pastor fuit in suburbio Cellensi, deinde rector scholæ Epericensis in Superiore Vngaria, multis scriptis celebris.

Nicetas Critopulus, qui Censuram scripsit Eclogarum D. Io. Frid. Mayeri, Pet. ZORN.

205. Lotharius Maria a Cruce, auctor Catalectorum contra Ittigii Dissertat. de hæresiarchis ævi apostolici, iterum Pet. ZORN. I. C. *Coler* Prolegom. in Hist. vitæ G. Arnoldi p. 24

223. Angelus Decembrius de Politia literaria, Bonaventura VVLCANIVS, *Cren* Animadvers. P. II. 192.

225. Christianus Democritus, Christoph. DIPPELIVS. *Fecht* in Crit. contra God. Arnoldum §. I.

239. Doctor theologus, auctor epistolicæ Disquisitionis de licito concubinatu, quem improbat, D. Sam. Christian. TEVBER, R. M. Pruss. Consiliarius consistor. & ecclesiast. ecclesiarumque in Principatu halberstadiensi Superintendens generalis.

Dulodurus de numis Cretensium serpenti feris, Laur. BEGER. *Acta erud.* A. 1703. 158.

250. Stanisl. Elvidius, Ioach. CAMERARIVS. In *Append.* ad Mureti Orationes p. 11.

257 Gustavus ab Ersckhein, cuius est Relation von leichtfaertigen haendeln und pasquillen, Frid. Vlricus CALIXTVS.

260. Sincerus Evangelicus, D. Paulus ANTONIVS, theologus & professor halensis.

273. Eusebius Romanus, Io. MABILLON. Acta erud. 1699. 108.

276. T. Fa. Sebastianus CASTALIO. *Scaligerana* 55.

Ant. Faber, editor der Staats Canzley, Christian. Leonh. LEVCHT. *Nova biblioth.* T. V. 36. *Grundmann* in Offib. & ciner. 69.

Iac. Cosmas Fabricius, auctor Notarum stigmaticarum contra Richerium, Iac. SIRMONDVS. *Du Pin* Tom. XVII. 203.

Mich. Fabricius, qui Resp. ad Bezam scripsit, Fran. BALDVINVS, *Crenius* Animadv. P. VI. in Addendis.

283. Benedetto Fiorentino, Benedetto MENZINI. *Giornale* T. III. 521.

290. Franciſcus Rotomagenſis, Franciſcus DE HARLAY, illius patruus, qui magna cum laude eccleſiæ pariſienſi præfuit.

Euſebius Francoromanus. Io. HARDVINVS. *Acta erud.* an. 1704. 32.

309. Gery, Paſchaſ. QVESNELIVS. *Ienichen* Diſp. de Bulla antiqueſnel. p. 7.

320. Philoxenus Gonæus, Caſp. BARTHIVS. *Morhof* Polyh. T I. lib. IV. c. 9. §. 5. *Schenrl* Stat. mercur. 69. 153.

Theodorus Gorallus, qui Corn. Severi carmen in necem Tullii edidit, Io. CLERICVS. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 223. 735. *Heumann* 55.

Frid. Gottwalt, refutator Animaduerſionum Seb. Edzardi in Buddei diſſertationem de Moderam. inculp. tutelæ, Gottlieb STOLLE, Philoſ. tunc magiſter, & Iur. candidatus.

Claudius Gouſtanus, Iſ. CASAVBONVS. *Sagittarius* Introd. in hiſt. eccleſ. P. I. 730.

322. Pet. Graſſinus, qui de Polonia ſcripſit, Car. SIGONIVS. *Von Stoecken* Thuani enucl. P. V. 62.

332. Aegid. Gutmannus, Henr. AMMERSBACH. *Placc.* de anon. 426.

333. Habite en Sion, Io. BETISON.

364. Hodevillius, DE SALLO, Conſiliarius Curiæ pariſienſis. *Cren.* Animadv. P. XII. 85.

371. Theodorus Hypſelius, Matthias HOE. *Heumann* 169.

173. Rob. Ianſſonius Campenſis, Andr. VOIDOVIVS. *Sandius* Biblioth. antitrinit. 92.

374. Io. Iavolenus, auctor Cogitationum de reconciliatione religionum lutheranæ & reformatæ, D. Henr. Ern. KESTNER, I. C. rintelienſis.

390. De I. auctor des Lettres critiques ſur divers ſuiets importans de S Ecriture, eſt IONCOVRT, Miniſter eccleſiæ wallonicæ Hagæ-Comitum. *Hiſtoire critique* de la Rep. des lettres T. IX. 386.

395. Io. Irenæus, Io FREDER. *Grabe* in Teſtimon. & iudiciis de Vrb. Regio, p. 28.

Irenæus

Irenæus Philalethus, Sam. PRZIPCOVIVS. *Sand.* Biblioth. antitrinit. 123.

397. Philaletha Irenophilus, auctor der Vnterſuchung contra Strimeſium, Dan. Severin. SCVLTETVS.

Irenophilus, qui excerptum orationis de Ludovici XIV. faſtu mirandum in modum depreſſo edidit, Georg. Paul. ROETENBECK, profeſſor altorfinus.

412. Alphonſus Laſor a Varca, SAVONAROLA. *Germanica Acta erud.* 453.

Carus Larebonius, Pet. BAELE. *Atr. libror. novor.* T. III. 504.

Chriſtianus Lauterwahr, Matth. FLACIVS. *Placc.* de anonymis. 430.

413. L. M. P. auctor des Memoires touchant les Ambaſſadeurs, eſt Miniſtre priſonnier, WIQVEFORT. I. G. *Burchardi* in Epiſt. contra Erndl. p. 55.

Theoph. Lebeus, Dav. CHYTRAEVS. *Biblioth. Schrader,* P. I. Y 8.

418. Alethophilus Liberius, Io. ZEISOLDVS, prof. ienenſ.

419 Thomas de Lypſia, Thomas ITTIGIVS.

421. Iſidorus Chariſius Logotheta, Io. Chriſtian. LANGE, prof. gieſſenſis. *Dippelius* 871.

424 Lucius, continuator des Hofmaenniſchen Munz-ſchluſſels, C. L. LEVCHT. *Grundmann.* in Off. & cinerib. 70.

425. Pacificus Lugenfeind, Dan. LOSSIVS, Conſiliarius aulicus hildeſienſis.

Varemundus Luitholdus, auctor libri de optima ratione componendæ religionis, W. FABRICIVS Capito. *Fecht* in Faſcic. theſium ex univ. theol. th. 27.

431. Richardus Maleus. Rich. SMITH ſive Smithæus, *Vſſerius* in Epp. Ignatii c. 17. p. 226. (T. II. Patrum apoſtolicorum)

433. Octavius Maranta, Blaſius GAROFALVS. *Narrat. Innoc.* an. 1711. 238.

436. Vigneul Marville, Natalis d'ARGONNE, carthuſianus. *Societ. colligens* Apparat. literar. T. I. 388. *Menagiana* T. IV. 19.

437. Nathan. Aelianus Matthania, Dieter. DORSCHIVS. Mart. *Raarus* Epp. T. I. 217.

439. Hulder. Meiersbach, Valent. WEIGELIVS. G. *Arnold* Kirch. und Ketz. histor. P. II. 617.

Mea Christum Habere Summa Felicitas qui Admonitionem scripsit super reunione Protestantium argentorat. Deziana, Magister Caspar HEVNISCH, Svinfurto-francus. Io. *Cyprianus* orat. init. de methodis convertendi hæreticos pontificiis C 3.

440. Melisander, auctor Delitiarum biblicarum M. Io.Sam. ADAMI, pastor pretschendorfensis, non procul a Freyberg in Misnia. *Vulpius* in Magnificentia magdeburg. 68.

Melissantes, Io. Georg. GREGORII.

441. Menantes, Christianus Frider. HVNOLD. *Acta erud.* an. 1713. 336.

449. Io. Wilh. Montgallus, auctor der Theolog. Correspondenz, HOPHAHN, pastor hohen-memmingensis in Ducatu wurtenbergico, postea weidlingensis.

451. M. P. M. A. V. M. N. Ernestus Frider. HESS, exiudæus, Med. Doctor. *Wolf* Biblioth. hebr. 139.

Hubert. Mosanus, qui duos scripsit libros de doctrina Reformatorum, Io. Christoph. BECMANNVS. *Ab Elswich* de Form. concord. num in Dania sit combusta. p. 17.

454. Moses Germanus, Io. Pet. SPEETH, ex christiano factus iudæus. *Arnold* K. und K. Hist. P. IV. in Additam. 21. 24.

459. L. Neocorus, Ludolph. KVSTERVS.

465. Vulturius Novocomus, Georgius NOVIOMAGVS. *Cren.* Animadvers. P. XIV. 100.

466. Christianus Obadias, qui dissertationem scripsit de discrimine inter christianismum & orthodoxiam, Io. Mich. LANGIVS. *Heumann* 169.

468. Conradus Oligenius, qui de primariis commentatus est precibus, Iul. FONTANELLVS. *Narrat. innoc.* an. 1708. 864.

477. Oufle, abbas BOVRDELOT. *Erudita Fama* T. II. 317.

478. Amadeus Pacificus, Pet. MONADVS. *Papebroch.* (in Actis erud. an. 1696. 505.)

Pa. P. Paulus PETAVIVS, Senator parisiensis. *Colomesius* 488.

Zephyrinus de Pace, Georg. Christoph. a RÆSEWITZ, dictus PASSEL, Hereditarius in Mogelhof.

479. Iuſtus Pacius, auctor Reviſionis iudicii, eſt *pontificius* quidam. Io. *Moller* Hypomnem. ad Polyh. Morhof. T. III. 127.

482. Xaverius Paranus, Conr. Sam. SCHVRZFLEISCH. Theodorus *Cruſius* præfat. in Acta Sacrkmaſ. p. 5. & 155.

484. Pet. Parvus, auctor Reviſionis Calumniarum Io. Magni, Io. SVANINGIVS. *Moller* de ſcriptis Danor. 42.

490. Perefixius, ſcriptor vitæ Henrici Magni, MEZERAEVS. *Ancillon* Mel. Crit. P. II. 149.

496. Iuſtus Pezron, qui Vindicias ſcripſit pro perpetua veteris eccleſiæ traditione de Chriſto pane *ἐπιουσίῳ* contra Gottl. Wernsdorfium, Petrus ZORN.

Agricola Phagus, Georg. WICELIVS. *Seckendorf* Lutheran. l. 3. p. 1802.

497. Io. Phereponus, Io. CLERICVS. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 735. *Heumann* 55. *Supplem.* Act. erud. T. VI. 506.

Philaletha contra Croeſum & Io. Winckleri Conciones, eſt KOHLHANS, Med. Doctor. *Heumann* 166.

Irenæus Philalethes van den Broeder-tvviſten, Iac. RHENFERD.

499. Philaretus, qui A. 1696. Ethicam dedit, Io. CLERICVS. *Heumann* 168. *Struve* Biblioth. philoſ. 114.

500. C. Veratius Philellen, Io. CLERICVS. *Heumann* 185.

501. Phileleutherus lipſienſis, Richard. BENTLEIVS. *Acta erud.* A. 1714. 313.

505. Elias Philyra, Io. TILIVS. *Dalleus* de uſu Patrum 109.

517. Porphyrius, qui Panegyricum ſcripſit, PVBL. OPTATIANVS PORPHYRIVS, chriſtianus. Ger. Io. *Voſſius* in Epp. p. 3 6.

520. Io. Presbeuta, HENNIGES, Regis Pruſſ. a Conſil. ſanct.

Io. Arnold. Pragemann, contra L. C. Sturmium, Seb. EDZARDVS. *Nova Biblioth.* T. V. 675.

Lamindus Pritanius, Lud. Ant. MVRATORIVS, ſer. Ducis mutinenſis bibliothecarius.

525. Guil. Puteanus, qui contra Mornæum ſcripſit. Arn. PONTACVS. *Scaligerana* 320.

530. Vlr. Raiter, Abr. CALOVIVS. F. V. *Calixtus* in Append. Refutationis Harmoniæ cretico-ſycophanticæ Calovianæ, 351.

R.

R. H. S. editor Hygini & Polybii de castris Romanorum, cum annotationibus, Rab. Herm. SCHELIVS. *German. Acta erud.* T. IV. 808.

537. I. Richard, Prieur de Beaulieu St. Avoye, Dominus DE St. AMOVR. *Acta erud* A. 1716. 430.

540. Reimundus Rimandus, Dan. Guil. MOLLER. *Czvittinger* Hungar. litter. 264.

547. Io. Rolegravius, GRAVEROLIVS. *Ancillon* Mel. crit. P. II. 86.

550. Monf. de Sainjore, auctor de la Bibliotheque critique, P. Richardus SIMON. *Clericus* Biblioth. choif. T. XIIX. 159.

554. Claviculæ Salomonis sunt libellus, sive ab Andr. LVPPIO, sive ab *alio* impostore novitio suppositus. *Thryllitsius* in Actis erud. A. 1715. 373. *Conlectio* rar. libr. T. I. 747. *Atrium* nov. libror. T. V. 142. *Historie* d' Oufle 17.

556. Christoph. SANDIVS, auctor Interpretationum paradoxarum, non est filius, sed *pater*. Io. Henr. *Maius* Exam. Hist. crit. N. T. Simonianæ c. 110.

559. Andr. Sauberlich, Christianus HOBVRG. *Nova biblioth.* T. I. 339.

567. Sideraltus, HOCHEISEN, prof. linguar. orient. wratislaviensis.

Dorotheus Sicurus, qui de Prudentia theologica Dissertationem edidit, Thomas CRENIVS.

Horalector Siegmann, qui refutavit Casp. Mundlii Heimbgarten, Ioh. Wilh. HOPHAHN.

Georg. Paul. Siegvolck, Georgius KLEIN-NICOLAI.

569. Aaron Sincerus, Ern. Christoph. AB HOCHENAV.

Catholicus Sincerus, God. Guil. LEIBNITIVS. *Acta erudit. germanica* T. II. 957.

Christianus Sincerus, ERNESTVS, Landgravius Hassiæ. *Baillet* des auteurs deguisez 542.

Innocentius Deodatus Sincerus, auctor Examinis professionis tridentinæ, Io. Dav. SCHWERDTNER. *Zephyrinus a Pace* Abriss der Cathol. Kirchen 854.

570. Pet. Siringus, Iustus SPRINGER *Acta erud.* A. 1710. 253.

Sis organon Iesu, auctor Commentarii in Apocalypsin, Stephanus

phanus GROS. *Acta erud. A.* 1698. 289. *Ancillon* Melange critique P. I. 166.

571. Sclerander, HARTMANN. *Nova biblioth.* T. I. 321.

Nicol. Sobæus, cuius est Panacea apostasiæ, Nicol. VEDELIVS.

Anselm. Solerius de Pileo qui scripsit, Theophil. RAYNAVDVS. *Morhof* Polyh. T.I. lib. V. c. 2. n. 9. *Acta erud.* A. 1697. 442.

575. Strefo, Georg. Philippus HARSDOERFER. Daniel Guil. *Moller* Disp. de Senatore illo §. 21.

576. Gabr. a Stupen, Claud. Barthol. MORISOT. Menagiana T. IV. 24.

577. Conon Superantius Vasco, Plessiacus MORNÆVS. *Cren.* de furib. librar. 43.

Surlecob, BOECLERVS. *Acta Sarcmasiana* 278.

I. G. Sulpicius, de studio iuris publici, est CVLPISIVS. Vide *Iuditia* de Conringio, eius Epistolis præmissa ****** 2.

578. Io. Sylverius, Christian. Henr. KREBS, supremi appellationum in Electoratu brunsv. & luneb. Iudicii secretarius.

579. Audomarus Talæus, in Rhetorica, Petrus RAMVS. *Cren.* Animadv. P. IIX. 148.

Lud. Tansillus, Pet. ARETINVS. Menagiana T. IV. 242.

592. *Tiberiani* Epistola ad Traianum, suspecta videtur. *Acta erud.* an. 1686. 65.

597. Theophil. Trabutius, Augustinus FVHRMANN. G. *Arnold* K. und K. H. part. III. 122.

Agellius Tranquillus, M. G. Fr. THRYLLITSCH. *Atr. nov. libror.* T. V. 734.

599. Vaglio Critico, Angelus Aprosius VINTIMIGLIA. *Crassus* Elog. P. II. 240.

Pierius Valerianus, Petrus VALERIVS.

601. Varimadus, MARIVADVS, sectæ arianæ diaconus. *Fabricius* Histor. bibliothecar. P. I. 380.

604. Laurent. Venerius, (Veniero) Pet. ARETINVS. *Menagiana* T. IV. 238.

Renatus Verdasius, Andr. RIVETVS. *Narrat. innoc.* an. 1711. 395.

605. Cordesius a Verimund, Iac. DORNKRELL ab Eberherz.

Veri promus custos, Pet. MORSCOVIVS. *Baillet* 447.

Pacificus Verinus, Henr. Ludolf. BENTHEM.

Simplicius Verinus, auctor iudicii de Hug. Grotii libro posthumo, Cl. SALMASIVS.

610. Vindicianus, qui G. Franci de Franckenau elogium scripsit, Christianus THOMASIVS.

Io. Warnefried, Io. FRICK, ecclesiastes & prof. ulmensis.

* *

PSEVDONYMIS HISCE ADIVNGI ETIAM POSSVNT, QVI LITTERIS TANTVM INITIALIBVS NOMINA SVA INDICARVNT.

A. V. D. M. D. Ant. VAN DALE, Med. Doctor. *Heumann* 175.

B. D. H. E. M. auctor Dissertationum ex Iure publico & feudali contra Wenc. Neumann de Pucholz, Henricus DE BVNAV, Eques misnicus. *Acta erud.* 1718. 425.

C. F. G. G. T. I. E. GLASSIVS, medicus erfurtensis. *Narrat. innoc.* A. 1714. 165.

G. D. T. M. D. editor novi Testamenti græci, Amstelodami apud Wetstenium A. 1711. 8. excusi, est Gerhardus *Von Mastricht*, Syndicus bremensis, vir eruditione multisque meritis illustris.

G. W. E. M. qui Demonstrationem dedit evidentem (Augenscheinliche Erweisung) G. Arnoldum Fragmentum Theodoti neque intellexisse, neque fideliter transtulisse, est G. WACHTER, ecclesiastes memmingensis. *Serpilius* in Epitaph. theol. suev. 77.

H. G. M. D. P. P. Hector Gottfried MASIVS, Doctor, prof. publ. *Heumann* 175.

H. P. D. L. D. E. D. De LIMIERS, I. V. D. *Acta erud* A. 1718. 346.

I. D. S. scriptor Scrupuli conscientiæ super communione, celebrata Regiomonti d. 10. Iul. A. 1707. in regio orphanotropheo, Io. David SCHWERDTNER, superintendens pirnensis.

L. P. Z. qui edidit schediasma de Thomæ Sagittarii obitu, & Henningi Witte Diar. biograph. A. 1717. in 8. est Liebmann Philippus ZEISOLD.

M. G. K. M. D. M. qui A. 1719. edidit Ostensionem de restitutione omnium rerum ex *Act.* 3, 21. M. Georgius KLEINNICOLAI, verbi diuini minister apud Zeilenrodenses.

R. B. qui Vitam Hobbesii edidit A. 1681, Radulphus BATHVRST. Io. *Moller* Hypomnem. Tomo II. Polyhist. Morhofiani subiunctorum, p. 524.

S. M. E. F.

S. M. E. F. auctor Exhortationis (der Aufmunterung) ad constantiam in pura doctrina euangelii, Phil. Iac. SPENER. Vide Catalogum librorum Speneri p. 47.

S. S. S. auctor Hypomnematis de fide, observantia ac benevolentia Pontificum romanorum erga Imperatores germanicos, Simon SCHARDIVS, Saxo.

W. W. qui emisit Doctrinam (den Bericht) de iustificatione fidei, Wolfg. WALDNER. *Grabe* in Testimoniis & iudiciis de Vrb. Regio ß.

Vincentius *Placcius*, hamburgensis, in patria Ioach. *Iungii*, Pet. *Lambecii*, Mich. *Kirsteni*, in academia Iulia *Schraderi* & *Conringii*, in Tusculano neukirchensi prope Halam Ioannis *a Felde*, atque in lipsiensi lyceo Amadei *Eckolti* discipulus, confectis per Italiam, Galliam, Belgium & Germaniam itineribus, & impetrata in aurelianensi phrontisterio ad utriusque Iuris honores licentia, cum patriae redditus esset, primum caussas in foro egit, deinde moralem philosophiam artemque dicendi profiteri iussus, singulari hoc munus fide & industria multos annos administravit, & cum coelebs liberos relinquere non posset, variis ac praeclaris ingenii monumentis foecundum se exhibuit, inter quae sunt Carmina iuvenilia, de ICto perfecto, de interpretatione legum disputatio inauguralis, Accessiones ethicae & rhetoricae, de philosophiae moralis insufficientia ad solidam beatitatem, de augenda morali scientia ad Fr. *Baconis* de Verulamio librum VII. tractatio de actionibus, Institutiones iuris reconcinnatae, Demonstratio de immortalitate animae humanae, Typus medicinae moralis, Diaeta moralis philosophico-christiana, & liber de arte excerpendi. Neque ei non fuit disceptatio cum V. C. Christiano *Thomasio* de favorabilibus & odiosis in iure, multa etiam reliquit opuscula affecta. Statura erat mediocri, neutiquam firma valetudine, gracili habitu corporis ac membrorum, forma oris latiore & pallente, capillis prolixioribus & subcrispis, paululumque exstantiore nasu. Quae formae descriptio supplere potest defectum imaginis viri, qui aetate provectior non potuit adduci, ut oris sui habitudinem aere describendam permitteret; ea vero effigies, quae ipsi in memoriam optime gesti muneris consiliarii & vicesyndici ab inclyta Natione germanica patavino in athenaeo posita fuit, nihil simile ha-

bet cum illa forma, quam in virili ætate præ se ferebat. In incessu erat meditabundus, & credidisses, morosum esse, sed propius accedens, philosophum humanum & affabilem expertus esses, atque ad officia promtissimum. Bile dominante facile quidem excandescebat, & contradicentem ægre patiebatur, æquus tamen erat alienorum meritorum æstimator, apertus & candidus, iustitiæ amantissimus, in pauperes beneficus, & doctor fidelissimus, quique dilucidius informabat discipulos, quam animi sensa, rerum multitudine quasi obrutus, scripto exprimere valeret: est enim, si verum fateri velis, stilus eius aliquando obscurior. Morbo arthritico, quem sævissimum expertus est tortorem, sobrietatem & abstinentiam opposuit, diuque solo victitavit lacte. Philosophiæ practicæ doctrinam ad usum & exercitium, cuius gratia sic dicitur, transferendam statuit, & sedulo ursit: Ethicæ aristotelicæ imperfectionem agnovit, & candide professus est: de astrologia iudiciaria sic iudicavit, eam potius expurgandam esse, quam contemnendam, tandemque, supellectile sua libraria 4000. amplius voluminum Bibliothecæ ioanneæ patriæ legata, & liberali stipendio studia litteraria hamburgensi in gymnasio tractaturis constituto, quod diu optaverat, placide obiit anno 1699. æt. 57. Defunctum elogio celebrauit clariss. vir, Georgius Eliefer *Edzardi*, vitamque eius descripsit celeberrimus Io. Alb. *Fabricius*, cui hanc recensionem acceptam referimus. Quibus adde *Kœnigium* 645. *Acta erudit.* 1709. 34. *Morhof.* T. I. 200. & III. 5. & *Struvium* Introduct. ad notit. rei liter. 412. ac Supplem. p. 135.

Io. *Rhodius*, hafniensis, Med. Doctor, præclaras functiones, cum Patavii, tum in patria ipsi oblatas, amori vitæ privatæ liberæque studiorum tractationi postposuit, & coelebs Patavii vixit usque ad annum 1659. quo fatis cessit a. d. 24. Febr. ætatis 72. Fama autem eius conservatur ac propagatur in variis, quæ etiam nunc exstant, scriptis, quæ sunt: Libellus de natura Medicinæ, Observationes medicæ, Annotationes ad *Scribonium Largum*, Epp. X. ad Casp. Hofmannum, Dissertatio, &, si certa est Placcii coniectura, Apologia sub schemate Rhamnulii Satyromastigis Severini, contra Fortunium *Licetum*, ut de affectis perditisque nihil dicam. Alb. *Bartholinus* de script. Danorum p. 87. & *Moller* in Hypomnemat. p. 300. Apud eundem Mollerum reperies elogia, quibus eru-

 diti

diti in orbe litterario meritissimum de publico extulere Rhodium; quo & sequentia referenda, quod a *Gassendo* in Vita Peirescii p. 186. non minus literis ingenuis, quam artis (medicæ) peritia clarescens; ab Ol. *Borrichio* de var. linguæ lat. ætatib. (in *Crenii* T. I. Methodor. p. 353. 362.) vir sine controversia & doctus & laboriosus, deque litteris humanioribus universim, & præcipue de Scribonio Largo præclare meritus; a Severino *Lintrupio* Præf. in Falsteri Supplem. linguæ lat. p. 27. singulare arctoi orbis in hesperio ornamentum, nec scientiæ magis medicæ, quam literaturæ humanioris gloria celeberrimus; a *Mollero* Præf. in Biblioth. septentr. erud. p. 43. antiquitatum medicarum peritia nemini secundus, & in Hypomnemat. ad Bartholinum de scriptis Danor. p. 300. medicinæ & literarum pene omnium, severiorum atque elegantiorum peritia admirabili, & ingenii iudiciique acumine, clauditatis vitium abunde rependens; denique a Io. Alb. *Fabricio* præfat. in opus Placcianum (c) scriptis pereruditis, & præclara illa Scribonii Largi editione notissimum inter doctos nomen dicitur.

Petrus *Scavenius*, Roeskildia-seelandus, Laurentii episcopi Seelandiæ filius, a peregrinatione iterata ac duodecennali I. V. D. ac professor hafniensis, deinde etiam procurator generalis, Iustitiæque ac status consiliarius regius, inclaruit disputatione de Sponsalibus, Disquisitione de re militari veterum, & Designatione bibliothecæ regiæ hafniensis, cui ipse præfectus erat, atque una cum aliis Codici iuris danici novissimi Christianeo congerendo ac revidendo operam iussu Regis impendit, tandemque obiit A. 1685. æt. 62. *Bartholinus* de script. Danor. 122 & *Moller* Hypomnem. 386.

Io. *Deckherrus*, I. V. Doctor, & Imperialis Cameræ Iudicii spirensis advocatus & procurator, anno 1681. edidit Relationum, votorum, & decisionum Cameralis Iudicii spirensis librum singularem, qui recensetur in *Act. erud.* A. 1682. p. 300. Consultationibusque suis forensibus adiecit Dialogum, quo modo Vindingio & Baylio respondet, modo sua emendat.

Paulus *Vindingius*, danus, Regis consiliarius status, & professor græcæ linguæ, animum induxerat edere N. T. græcum cum observationibus ex profanis auctoribus, & Glossarium novi foederis; sed anno 1712. morte præventus absolvere non potuit.

Pet. *Baylius*, Carlato-gallus, Ministri ecclesiæ reformatæ filius, ad religionem paternam post transitum VI. mensium reversus, philosophiam docuit Sedani, ac in Hollandiam profugus, philosophiam & historiam apud Roterodamenses, multosque utroque in loco composuit libros, quos inter sunt Cogitationes de cometis, eos nihil portendere mali, Critica generalis Historiæ calvinismi P. *Maimburgii*, Nouvelles de la Rep. des lettres; quibus tamen Reginæ Suecorum CHRISTINAE iram incurrit, usque dum placabatur: Commentarius philosophicus in hæc Christi verba *Luc* 14. 23. *Compelle intrare*, Responsio novi conversi ad epistolam profugi, Caroli *Larebonii* (sub quo nomine ipse latitabat Bælius) Ianua cœli reserata cunctis religionibus a D. Petro *Iurieu*, & Dictionarium historicum & criticum, pugnavitque, præter dictos Maimburgium & Iurieum, implacabilem ipsius hostem, etiam cum abbate *Renaudot*, *Clerico* & *Iaquelotο*, atque ad plures abiit 1707. æt. 59. Vitam eius descripsit anonymus dans l'Histoire de Mr. Bayle & de ses ouvrages, a Geneve 1715. 12. recusa in Hollandia; quæ recensetur in T. V. Atrii novor. libror. 112. Cui adde *Nova Bibliotheca* Tomum III. 501. & *Menagianorum* T. III. 221. Fandem sibi condendam sumsit dominus *des Maizeaux*. Denique Io. Alb. *Fabricius* Præfat. in opus Placcianum (e) Baylium vocat acutissimi virum ingenii & vastissimæ lectionis.

Frid. *Geisler*, Reussendorfio-silesius, Philos. & I. V. D. huiusque in academia lipsiensi prof. publicus, maioris Principum Collegii collegiatus, in publicum emisit Actionem iniuriarum ad palinodiam, Disputationes de publicis iudiciis, de vi publica & privata; de modestia, de iure cœmeteriorum, de titulo Principis *Nos Dei gratia*, & temperamentis pœnarum, atque Orationem de angelo clypeo, defunctus anno 1679. æt. 43.

Io. Frid. *Mayer*, lipsiensis, Philos. magister & Grimmæ pastor, deinde impetratis in academia patria honoribus ac privilegiis doctoralibus Wittebergæ professor theol. postea Hamburgi ad S. Iacobi pastor, & scholarcha, ac professor kiloniensis honorarius, Regisque Suecorum, atque Abbatissæ quedlinburgensis consiliarius ecclesiasticus, ac tandem professor theol. in academia gryphiswaldensi primus, Consistorii præses, Superintendens Pomeraniæ & Rugiæ generalis, ad D. Nicolai pastor, subito atque inopinato obiit

obiit A. 1712. multa autem post se reliquit scripta, videlicet praeter Praefationes, quas variis libris atque operibus addidit, Conciones, Programmata, & Disputationes, (e quibus Operum gryphicorum, disputationum scilicet, concionum, casuum conscientiae, orationum, librorum repetitorum, aliorumque tractatuum exstant tomi IX. ab anno 1701. ad 1712. inclusive, in 4) Catechismum pontificium, Lutheranum in loca Pontificiorum abeuntem, ibique commorantem, (in quibus tamen *Kanckelius* in Lilio inter spinas p. 378. 896. perpetuae eum ignoratiae elenchi accusat, ut qui doctorum sententias oppugnet, non autem romanae credenda ecclesiae) Museum ministri ecclesiae, Eclogam de fide *Baronii* & *Bellarmini* ipsis Pontificiis ambigua, Logicam Pontificiorum ἀλόγων, Commentarium de romani Pontificis electione una cum accessionibus, libellum de nimia *Melanchthonis* lenitate, Historiam versionis germanicae Bibliorum D. Mart. *Lutheri*, & plura alia. Erat disputator acer & vehemens, nec tantum bella gessit cum viris diuersae religionis, sed etiam nostratibus, Io. Henr. *Horbio*, Io. *Winckler*o, Abr. *Hinckelmanno*, Io. *Vacke*, Io. Henr. *Maio*, Phil. Iac. *Spenero*, Aug. Her. *Franckio*, & Pietistis in genere; expertus tamen etiam acerbos adversarios Godefr. *Sittarzium*, iesuitam, & Io. *Rempen*, cum adhuc esset monachus. Interim ille apud Collectores *Actor. erud.* A. 1714. 436. audit theologus magni nominis, & apud Io. Alb. *Fabricium* praefat. in Opus Placcianum (c) 2. Pomeranorum Chrysostomus. Adde Ioach. *Meieri* Antiqq. villar. & villicor. p. 149.

XXXIII.

Mart. LIPENII Bibliotheca realis theologica. Francofurti 1685. Vocatur realis ob res sive materias theologicas, ordine alphabetico exhibitas, quibus auctores, qui de illis scripsere, etiam iuxta ordinem alphabeticum annotantur, in eorum usum, qui, quis de hac vel illa materia scripserit, nosse cupiunt. Index auctorum alphabeticus adiectus est. Ad eundem modum dedit auctor tres alias Bibliothecas reales, Iuridicam, Medicam, & Philosophicam: sed Theologica & Philosophica, *Morhofii* iudicio, quod legitur Polyhist. lib. I. c. 18. p. 218. reliquis praestare videntur. *Vtilissimus*, pergit ibidem Morhofius, *labor esset, si omnes auctores veteres & novos secundum materiarum titulos accurate dispositos haberemus. Sed fieri vix potest, ut in ipsis argumentis, omnibus absolutum*

numerio

numeris haberi opus possit: nam δευτεραι φροντίδες novique labores semper hic locum inveniunt. Et Christianus *Thomasius* Colloq. menstr. T. II. 271. optat, ut vir præstans in singulis Facultatibus (unum enim ad hoc omnibus in ordinibus præstandum non esse sufficientem) scribat Historiam litterariam de ortu & progressu suæ Facultatis, eiusque præclaris scriptoribus.

Parastatæ hoc in opere auctori nostro fuerunt Christianus & Christian. Valerius *Zeisii*, pater ac filius, nec non Daniel *Springinsgut*. Cumque tam varium illud ac diffusum sit, mirum non est, multos errores esse commissos, quorum nos quidem aliquot notabimus.

In Ind. auctorum, v. *Io. Fabricius*.	Confunduntur *parens meus*, & alter *danciscanus*.
v. Sam. *Rachel*.	Confunduntur *ICtus* & *pastor* ditmarsus.
v. *Tenzelius*.	Confunduntur *pater* & *filius*.
P. I. p. 58. a. *Io. Gerh.* Vossii.	*Gerh. Io.* Vossii.
Pag. 112. a. Io. Fabricii CCLXXXIII. Predigten uber die Augspurg. Confession.	XXIIX. Predigten.
443. b. *Georg. Calixti* Matæologia papistica confutata.	*Abrahami Calovii*. Io. *Moller* de Homon. 659.
P. II. pag. 395. b. Ios. *Stephani* de Adoratione pedum Pontificis.	Auctor hic nomen habet *Stevani*. Christian. *Helvvich* in Vindiciis Discuss. 193.
Pag. 615. b. Lud: *Capelle* Arcanum punctationis *revoluta*.	Lud. *Capelli* Arcanum punctationis *revelatum*.
741. b. Alex. Mori Causa Dei, sive de S. Scriptura. *Mediolani*.	*Medioburgi*.
—— *Exercitationes* de S. Scriptura. *Mediol.*	Est *idem liber* cum priore.
742. b. Andr. *Pinti* Ramirez S. Scripturæ Selecta.	Cognomen viri est *Ramirez*, adeoque is ponendus esset inter auctores litteræ R.
878. Sam. *Rachelii* Nova antiquitas doctrinæ de SS. Trinit.	Auctor hic fuit *parochus ditmarsus*, distinguendus a cognomini

gnomini ICto. Io. *Muller* de homon. 713.

Mart. *Lipenius*, Gorza-marchicus, parentibus natus rusticis, *Hülsemanni*, *Scharfii*, *Calovii*, *Io. Meisneri*, *Kunad*, *Quenstedii*, *Deutschmanni*, *Zieglers* & *Lyseri* discipulus, Facult. philosoph. witteberg. adiunctus, ac primum scholæ halensis saxonicæ conrector, deinde pædagogii stetinensis rector & professor, ac tandem gymnasii lubecensis conrector, scripsit de Nauigatione Salomonis ophiritica, & libros VI. Strenarum civilium & ecclesiasticarum, quadripartitum autem Bibliothecarum opus ad exemplum *Draudii*, instruens non particularem, sed universalem bibliothecam, vir integre probus, probeque integer, pacis ac concordiæ amantissimus, a litibus & rixis alienissimus, motusque omnis indecori abstinentissimus, ac vivere inter mortales desiit A. 1692. æt. 62. Adponam adhuc de Lipenii Bibliothecis iudicium *Struvii* Introduct. in notit. rei liter. p. 34. *Utilitatem quidem*, ait ille, *suam habent, suos aeque naevos, & quidem, quod* in disponendis libris *non adeo sint accurata*; extantiores atque meliores libri *saepe vel omissi, vel perperam adducti; in recensendis vero disputationibus & librorum saepe* quisquiliis *refertissima*. Vide & *Mayer*. Biblioth. bibl. p. 44.

EIVSDEM Bibliotheca realis philosophica. Francofurti 1682. E bibliotheca Niemeieriana. Tam late autem capit *philosophia* vocem, ut omnem etiam linguarum, antiquitatum, ac sententiarum notitiam, omnem item veterum & recentiorum criticam, omnem historiam, philologiam, oratoriam, poëticam, & quidquid πολυμαθιας aut πανσοφιας nomine venit, includat.

P. I. 632. b. Nic. *Reimerus* de Civitatibus hanseaticis *in Dithmarsia*.	Nic. *Raimerus Ursus* de Civitatibus hanseaticis. Io. *Moller* Isag. ad Histor. cimbr. P. II. 517.
786. b. Ant. *Scori* Thesaurus.	Ant. *Schori*: quod italice scriberetur ac pronunciaretur *Sciori*.
923. a. *Olympiodori* Comment. in libros Meteororum & *Metaphys*. Aristotelis.	In Meteora quidem, *in Metaphysica* vero *nunquam exstat* Olympiodori commentarius. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 5. c. 6. p. 149.

XXXIV.

Guilielmi CAVE scriptorum ecclesiasticorum Historia literaria. Genevæ 1694. A Christo nato usque ad sæculum XIV. qua de illorum vita ac rebus gestis, secta, dogmatibus, elogio, stilo, scriptis genuinis, dubiis, supposititiis, ineditis, deperditis, fragmentis, variisque operum editionibus agitur. Accedunt scriptores gentiles, christianæ religionis oppugnatores, & cuiusvis sæculi Breviarium. In Prolegomenis agitur de huius operis ortu & progressu, materia & methodo, mediis & subsidiis in eo condendo adhibitis, Regulis criticis ad discernenda gemina Patrum scripta necessariis, Regulis generalibus in seligendis Patrum editionibus adhibendis, libris ad ecclesiasticæ antiquitatis studium quasi manu ducentibus, cum parænesi ad illud studium. Recusa est Historia hæc literaria Genevæ A. 1705. primum autem impressa Londini A. 1689. De qua editione vide *Acta erud.* A. 1690. 76. *Cave* in Præfatione alterius Partis contra mendas editionis genevensis, gravissimos, ut F. V. *Calixtus* in Via ad pacem p. 188. indicat, effundit querelas, sed in nostra illius Partis editione verba illa sunt omissa.

Henr. WHARTONI Appendix ad Historiam literariam Guil. Cave. Genevæ 1694. In qua de scriptoribus ecclesiasticis ab anno 1300. ad annum 1617. pari methodo agitur.

Guil. CAVE Pars altera Historiæ literariæ scriptorum ecclesiasticorum. Genevæ 1699. A sæculo I. usque ad sæculum XIV. Qua plusquam DC. scriptores novi, editi, MSS. deperditi recensentur, prioribus multa adduntur, breviter aut obscure dicta illustrantur, recteque asserta vindicantur. Accedit ad finem cuiusque sæculi Conciliorum omnium, tum generalium, tum particularium, historica notitia, & p. 269. Roberti GERII ad alteram hanc Partem Appendix, in qua scriptores ecclesiastici & concilia sæculorum XIV. & XV. recensentur: ad calcem vero operis Dissertationes III. 1) de scriptoribus ecclesiasticis incertæ ætatis. 2) de libris & officiis ecclesiasticis Græcorum. 3) de *Eusebii* Cæsariensis arianismo, adversus Io. *Clericum*. In Præfat. alterius huius Partis, quæ primum lucem adspexit Londini A. 1698, differit auctor de felicitate nostrorum temporum, quibus meliorum literarum, & purioris antiquitatis studium refloruit, deque *Centuriarum Magdeburgensium* conditoribus, de Luca *Osiandro*, *Panvinio*, *Baronio*, scriptoribus vitas descri-

describentibus, Casimiro *Oudino*, & conciliorum notitia. Geriana hæc Appendix & Dissertationes Cavii III. recensentur in *Actis erud.* A. 1699. 153.

In Partis I. Prolegomen. sect. V. p. 9. *Editiones SS. Patrum, quæ sunt vetustiores*, eo sunt ut plurimum fideliores, quia 1. *ex optimis quibusvis MSS. expressæ sunt.* 2. nondum natis de ecclesia reformanda controversiis, *nulla erat causa, cur in excudendis Patrum operibus fraude uterentur.*	Generaliter loquendo, *sunt minus accuratæ* & exactæ. Nec valent rationes adductæ: non 1. quia comparatio editionum vetustiorum cum recentioribus contrarium testatur; nec 2. quia ostendendum esset, Patrum editiones post reformationem corruptas esse. Mr. *de Sainjore* Biblioth. crit. T. I. 256. 259. 264.
Pag. 10. Opera SS. Patrum, *quæ ex Rob. Stephani officina græce prodierunt*, cæteras editiones *emendationis cura, & typorum nitore* facile vincunt.	Certe Stephanorum editiones græcæ laude dignæ sunt, sed libere dico, *recentiores Græcorum Patrum editiones*, saltem maximam partem, *illis preferendas* esse. *Idem* 264.
11. Patrum editiones *Frobenianæ* iure merito magni æstimantur, utpote quæ *summa fide*, nec minori, pro ea ætate, *venustate* prodierunt.	Sint bonæ & venustæ, *non tamen preferendæ* posterioribus. *Id.* 264.
16. Iamesius retulit, in Bibliotheca vaticana non paucos *pingendi artifices quotidie ali*; quorum erat, conciliorum acta, & antiquorum Patrum opera exscribere, idque *literis vetustissimos codices, quantum fieri poterat, imitantibus.* Qua *mente id factum fuerit*, ipsi norunt.	*Nihil hic mali subest*; scriptorum enim illorum, qui *Scholastici* dicuntur, officium erat, revidere MSS. & libros ex iis imprimendos, eorumque caput erat *Morinus. Id.* 267.
Ibid. In editione Augustini veneta de A. 1584. dicitur: *Curavimus removeri ea omnia*, quæ fideli-	Hoc non intelligendum *respectu* textus sancti doctoris, sed *Summariorum* & *Scholiorum*, quæ

um mentes hæretica pravitate possent inficere, aut a catholica & orthodoxa fide deviare.	quæ ad marginem erant præcedentium editionum. *Idem* 260.
Parte I. Histor. liter p. 2. *Non adeo temere abiiciendum esse censeo* tam venerandæ vetustatis monumentum, h. e. epistolam christi ad Abgarum edessenum.	*Suppositititiam* esse, evincere laborat Io. Chr. *Frauendorf* disp. de hac Epistola contra Guil. Cave, habita Lipsiæ A. 1693.
Pag. 16. Fl. Iosephus *anno Christi* 93. Romam petiit, causam sacerdotum quorundam acturus.	*Fuit annus* 63. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. IV. c. 7. p. 228.
17. Addit Hieronymus, (Dial. adv. Luciferian.) *balneum statim corruens* Cerinthum *ruina subita oppressisse*.	*Nihil ibi de illa balnei ruina*. Thom. *Ittig* differt. de hæresiarch. p. 155.
24. Quadratus, Episcopus atheniensis, *anno Christi* 123.	*Anno* 160. vel 170. *Frauendorf* disp. prædictæ Corollar. V.
31. Theophili antiocheni librum contra Marcionem, crasso satis errore, *adhuc extare scribit* Io. Conr. *Danhauerus* Christeid. act. I. p. 604.	*Dannhauerus* illud non asserit, sed *verba* tantum *Hieronymi*, cuius ætate liber ille exstabat, *allegat*, ipsumque Hieronymi locum indicat. *Ittig* de Hæresiarchis p. 155.
57. Origenis *Homiliæ* in Exodum XII. a Rufino versæ.	Sunt *numero* XIII.
58. XIIX. Homilias Origenis græce sub Cyrilli nomine edidit Balth. Corderius *Parisiis* 1648.	*Antverpiæ*. Io. Alb. *Fabricius* B. gr. l. V. c. I. p. 217.
67. Gregorius Thaumaturgus studiorum causa Alexandriam se contulit, mox Athenas, *deinde Berytum*, legum romanarum emporium celeberrimum.	A. C. 231. studiorum caussa Berytum se conferre voluit, sed incidens Cæsareæ Palæstinæ in Origenem, *per octennium hoc usus est doctore, antequam Berytum tenderet*. Iac. *Hasæus* de Berytensi ICtor. acad. (in Conl. libr. rar. T. I. Fasc. V. p. 53.)
93. Viri clarissimi (Henr. *Valesii*,	Respice, quæso, te ipsum, vir clarissime,

uno loco, Historiam Eusebianam ante concilium nicænum, post paucas vero paginas; aliquot post illud annis absolutam esse scribentis) *ἀσυςασίαν* sive *inconstantiam merito miramur.*

rissime, in eadem, qua hoc scribis, columna. Hæc enim tua sunt verba: *Finivit* hanc historiam Eusebius in pace, Synodum nicænam immediate præcedente; *scripsit* vero non nisi post aliquot annos. Quod si dicis, hæc bene consistere posse, idem etiam de se Valesius affirmaverit.

94. Eusebii V. libri, videlicet II. ad Marcellum & III. de ecclesiast. theologia, cum versione & notis Rich. Montacutii, libris *de Praeparat. euang.* Parisiis A. 1628. editis subiuncti sunt.

Sunt subiuncti libris *de Demonstratione euangelica.* Phil. *Labbe* de scriptor. ecclef. T. I. 307.

95. Fl. CONSTANTINUS *Britanniam* ortu suo nobilitasse dicitur.

Naisum potius Daciæ mediterraneæ urbem. C. A. *Rupertus* in Besoldi Synops. min. 378.

107. *In Bibliotheca Patrum* Tomo IV. p. 85. habentur, sub Antonii, monachorum patris, nomine, *Sermonum libri duo.*

In Bibliotheca Patrum *unicum* tantum brevem Antonii Sermonem reperies de vanitate mundi & resurrectione mortuorum. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. vol. IIX. 345.

131. Prodierunt opera Epiphanii latine Basileæ anno 1533. 1540.

Anno 1543. C. *Sagittar.* Introd. in Hist. eccles. P. I. 794.

132. Omnes alias Optati milevitani editiones superat tum typorum elegantia, tum notarum fere omnium editarum mole *parisiensis illa, quam Phil. Priorius adornavit.* A. 1679.

Potius *Du Piniana* A. 1700. *Acta erud.* A. 1701. 193.

225. Plurima suadere videntur, *Commentarium in Canticum canticorum non esse Theodoriti.*

Aliter sentit, atque evincere studet Lud. El. *Du Pin* Novæ Bibl. autor. eccles. T. IV. p. 90. (in T. II. *Supplem. Act. erud.* 418.)

255. Victor cartenensis scripsit *librum de poenitentia publica*.	Alii eum tribuunt *Victori tunnenensi*. At *Ruinartus* tamen stat a parte Cavii. *Gundlingiana* T. IV. 320.
359. *Amalarii* metensis *Ecloga* in Canonem missæ, *Epistolæ* aliquot ad Episcopos, *Regula* seu institutio canonicorum.	Hæc tria scripta *sunt alterius*. Io. Gottfr. *Olearius* Biblioth. script. eccles. P. I. 40.
376. Paschasius Radbertus A. 844. *praefecturam coenobii Corbeiensis* obtinuit.	Non nisi *Prioratum*. Io. *Letzner* Chron. corbei. E. Q 2.
414. De ætate Olympiodori, monachi græci, laborant eruditi, his illum sæculo *quinto*, aliis nono, aliis undecimo collocantibus. Nos eum deponimus *ad annum* 990.	*Ad saeculum sextum* refertur a *Grabe* T. II. Spicileg. Patr. 245.
430. Testem profero ipsum Xiphilinum, *cuius verba a nemine quod sciam antea animadversa*, alibi a me prolata, hoc etiam loco describere non gravabor.	*Ad eundem modum* loquitur *Kœnig* in B. V. & N. p. 877. qui decennio prius scripserat, quam Cave. Vide & *Moller*. de homon. 528.
473. Helmoldus, *presbyter Lubecensis, & canonicus prope Lubecam* Bosoviensis.	Fuit *presbyter ecclesiae ruralis bosoviensis*, lacui ploenensi conterminæ. Io. *Moller* Introduct. in H st. cimbr. 70. Io. Christ. *N. n* in Mantissa ad Deg. Whear. 130.
499. *Vincentii Bellovacensis* Speculum morale.	I. G. Doctor sorbonicus *alii iuniori* id tribuit. *Acta erud*. A. 1717. 257.
505. Inter XVII. Opuscula *Bonaventuræ* sunt *Psalterium B. Mariæ* maius, & minus.	Illud *non est Bonaventuræ* Wolfg. *Mayer*, theologus basileensis, disp. I. de vulnerib. eccl. rom. nec dum sanatis p. 11. (apud Crenium Animadv. P. XIV, 9. 8.)
506. Bonaventura Brocardus, pa-	Bonav. Brocardus fuit *saxovvestphalus*

tria *argenteratensis*, monachus *Montis Sion.*	*phalus*, ab eoque *diversus monachus ille Montis Sion.* I. G. *Olearius* P. I. 140.
In *Whartonii* Appendice ad I. Partem Cavii, p. 20. Nicephorus *Callistus.*	Nicephorus *Callisti.*
P. 27. Inter scripta Nicephori Gregoræ est Passio *Cordati* Corinthii.	*Quadrati* corinthii Io. Alb. *Fabricius* B. gr. vol. VI. 346.
65. Henricus de Hassia, seu de Langenstein, vixit *anno* 1418. & obiit A. 1528.	Iam claruit scripsitque anno 1381.
68. Theodor. Engelhusius, *ecclesiæ Hildesheimensis Canonicus.*	*Presbyter einbecensis.* G. G. *Leibnitius* præf. in T. I. scriptor. rer. brunsv. 55.
84. Ambrosius Camaldulensis obiit *valde grandævus.*	*Annos natus* 53. *Giorn. de Letter. d' Ital.* T. IX. 199.
101. Petrus Natalis, seu de Natalibus, claruit *anno* 1470. superfuit *anno* 1482. Eiusdem est Catalogus *venetorum Senatorum* & gestorum eorum.	Claruit *anno* 1370. superfuit *anno* 1382. quo Catalogum suum *Sanctorum* ad finem perduxit. Eiusdem est Catalogus *venetorum Sanctorum*, & gestorum eorum. *Idem* T. XVI. 459. 466.
103. *An Oporinus ediderit* Historiam Platinæ Mantuanam, haud invenio.	*Edidit Lambecius* Viennæ A. 1675.
106. Hermolaus Barbarus claruit anno 1480. *quadriennio* ante scribere exorsus. *Pater* (ob promotionem filii ad patriarchatum aquileiensem) *magistratu* exuitur, & in cassum tentatis rebus omnibus *dolore animi absumitur.* Hermolaus inopem Romæ vitam traduxit, donec *anno* 1494. *ætatis* suæ 59. plebeio exstinctus morbo interiit.	*Sexennio* ante pater *obiit senex septuagenarius, magnaque cum constantia* sese præparavit ad mortem. Hermolaus autem *anno* 1493. *ætatis* 39. *Giornale de' Letter d' Ital.* T. XXIIX. 163. 242. 220.

Steph.

Pag. 108. Stephanus *Brulifer.*	Stephanus *Brulefer* (Brenneisen.) Herm. *von der Hardt* in Memoria Stephani Bruleferi, celebrata A. 1718. 15. Octobris. p. 3.
115. Augustinus Patricius, *alius ab Augustino Patricio senensi*, Episcopus Poientinus.	Est *unus idemque*, Augustinus Patricius de Piccolominibus, senensis, episcopus *pientinus* & ilcinensis. *Giorn.* T. XIIX. 341. 342.
In Rob. *Gerii* Append. ad Part. alteram, p. 314. Iac. Zenus, Episcopus patavinus, vir *utriusque Palladis* artibus instructus, & *tam militia* quam literis illustris, obiit *anno* MCCCCLXXVI.	Elogium a militiæ artibus videtur per errorem a *Carolo Zeno*, fratris Iacobi filio, transferri ad Iacobum. Iacobus autem obiit apoplexia *anno* 1481. *Idem* T. XIIX. 415. 417.

Guil. *Cave*, S. theol. D. & canonicus windesoriensis, anglice scripsit tractatum de Christianismo primitivo, dissertationem de Regimine veteris ecclesiæ, Vitas Apostolorum, Apostolicos seu vitas Patrum primi, secundi, tertii & quarti sæculi; latine Tabulas ecclesiasticas, quibus scriptorum ecclesiasticorum a Christo nato ad annum usque 1517. patria, ordo, ætas & obitus breviter exhibentur, & Chartophylacem ecclesiasticum, e quo, quod nimis brevis esset, præsens deinde opus formavit, ac vivere inter mortales desiit A. 1713. æt. 84 Sunt quidem, qui præsens opus non adeo magni æstimant, (ut *Sainjore* T. I. de la Biblioth. crit. c. 17. p. 255.) & varia in auctore notant: e. g. ut *Clericum* Biblioth. chois. T. IIX. 419. prætereamu, Io. *Moller* de Homon. p. 518. observat, Caveum sæpe homonymos confundere; nec minus *Thomasius* in Cautelis circa hist. eccles. notat, eum in Vitis Patrum, item in primo christianismo, sæpe papizare, affectibus indulgere, panegyristam agere, non historicum, atque in aliis, quasi crimen, taxare, quod nævos Patrum non dissimulaverint. p. 98. 104. 110. 143. Sed nec desunt ei fautores ac laudatores insignes: nam præstantissimi *Actorum erudit.* collectores ad A. 1690. 77. Historiam istam literariam, incomparabilem vocant ecclesiasticæ eruditionis thesaurum, & A. 1699. 154. auctorem eius inter eruditos nostræ ætatis, qui de

de antiquitatibus ecclesiasticis, ac in primis de notitia scriptorum ecclesiasticorum praeclare meruerunt, principem facile locum tenere, immo laudibus suis maiorem esse iudicant. *Pritius* in Introd. in lectionem N. T. p. 13. eundem rerum ecclesiasticarum peritissimum appellat; &, si *Buddeo* credendum praefat. in Olearii Biblioth. script. eccles. a. 2. ut omnium ille, qui ante ipsum in hoc argumento versati sunt, longe superavit industriam, ita reliquis, qui post eum in idem se daturi essent, pauca reliquisse videtur, quae non ab ipsomet iam sint delibata. Atque hisce encomiastis accedunt Io. Alb. *Fabricius* praef. in librum V. Biblioth. gr. item in Biblioth. lat. 725. *Moller* de Homon. 428. & *Colerus* Prolegom. in Vitam G. Arnoldi 31.

Henr. *Wharton*, reverendiss. Archiepiscopi cantuariensis a sacris domesticis, dedit Notas atque Auctarium in Iac. Vsserii Historiam dogmaticam controversiae de scripturis & sacris vernaculis, Vitam Guil. Laudi, Historiam de episcopis & decanis londinensibus, Angliamque sacram, & obiit A. 1694. aet. 31. doctissimus, ex Io. Frid. *Mayeri* in Biblioth. bibl. p. 52. elogio, vitaque longiore dignissimus iuvenis.

Rob. *Gerius*, Cavii socer doctissimus, (verba sunt Collectorum *Actor. erud.* A. 1699. p. 161.) praeterquam quod scriptores bene multos a Whartono praetermissos observavit, in eo praecipue assiduum se praestitit, ut delitescentes passim in bibliothecarum forulis ineditos scriptorum illius aetatis foetus indicaret, atque Conciliorum synopsin utriusque seculi scriptoribus subtexeret.

XXXV.

Thomae HYDE Catalogus impressorum librorum bibliothecae Bodleianae in academia oxoniensi. Oxonii, e theatro Sheldoniano, (de quo vide *Benthem.* de statu eccles. & schol. in Anglia p. 328.) 1674. Prius aliquis a Thoma *Iamesio* editus fuerat A. 1629. 4. sed imperfectus; locupletior igitur hic est Hydeanus, opus novem annorum, a *Struvio* in Introd. p. 105. vocatus thesaurus locupletissimus. Sed neque hic adeo perfectus est, ut augeri nequeat: nunc excuditur cura & studio Io. *Hudsoni*, divisus in III. Tomos in folio, atque spes est, hanc editionem non modo copiosiorem fore, sed etiam correctiorem, meliusque dispositam, quam

priores. *Giorn.* de' Letter. d'Ital. T. XIIX. 401. Præsens hic dispositus est ordine alphabetico secundum cognomina auctorum; quod tamen *Morhofius* cum *Bailleto* factum mallet secundum seriem materiarum: in Præfatione autem rationem instituti sui auctor pluribus describit. Comparent etiam multæ icones, ut, Theatri sheldoniani, in fronte libri: Insignium academiæ oxoniensis P. I. p. 1. Insignium archiepiscopi. 56. EDVARDI regis. 121. Walteri *de Merton*. 196. Guil. *de Wainflete*. 221. Thomæ *Pope*. 239. Nic. *Wadhami* & Dor. *Wadi*. 271. Guil. *Smithi* & Rich. *Suttoni*. 316. Thomæ *White*. 351. ELISABETHAE reginæ. 374. Thomæ *Tesdalli* & Rich. *Wightvvicke*. 381. Guil. *de Wikeham*. P. II. p. 1. Rob. *Eglesfeilds*. 15. Rob. *Flemmingi* & T. *Rotherhami*. 26. Ricardi *Fox*. 87. & Henr. *Chichley* 266. sicut autem Thom. *Smith* Catalogum MSStorum bibliothecæ Cottonianæ A. 1696. in fol. dedit, de quo *Acta erud.* dicti anni p. 441. loquuntur, ita clarissimo viro Eduardo *Bernardo*, & post eius fata ultimam manum imponenti Humfredo *Wanley* debemus Catalogos librorum manu scriptorum Angliæ & Hiberniæ, itidem Oxonii editos A. 1697. f. atque in *Actis erud* A. 1699. p. 225. recensitos. Fatendum tamen, vitiosissime impressos esse. *Giorn* de' Letter. d' Ital. T. XXIIX. 401.

P. I. p. 6. *Melch. Adami* Historia ecclesiæ Hamburgensis & Bremensis.	Est illa M. *Adami*, Bremensis ecclesiæ circa annum 1072. canonici. Io. *Moller* de homon. 645.
Pag. 36. *Matthæus* Aquarius.	*Matthias* Aquarius. *Zeifold* in Biblioth. Schrader. P. I. A a 5.
41. Aelii Aristidis Orationum tomi III. græce cum lat. versione Canteri, *Parisiis* 1604.	*Geneve*. I. G. *Krause* Animadv. in Bœcleri Bibliograph. crit. 840.
47. Rogeri Aschami Epistolarum libri IV. cum aliquot poëmatis, cumque oratione de vita & obitu Aschami per *E G*, Londini 1581. 8.	Per *Ed. Grant*.
58. *Lucæ Bacmeisteri* Dispp. theol. oppositæ Decretis Concilii Tridentini: & quæstio, an Mini-	Hæc scripta sunt *filii* cognominis. *Moller* de homon. 649.

Quid

ſtris verbi liceat fugere tempore peſtis?	
85. Betlemi *liber de Horis plantarum, & de Significat. triplicitatum ortus.*	Quid, ſi ſunt *partes Centiloquii? Placc.* de pſeudon. 126.
197. *Calebi Dalecampii* Annotationes ad Plinii Hiſtoriam naturalem.	Sunt *Iacobi Dalechampii.*
232. IanusNicius Erythræus. is eſt I. Nic. *Rusſi.*	*Rosſi.*
249. *Octav.* Ferrarius. Clavis philoſophiæ peripatet. Epiſtola de cryptica vet. philoſophor. diſciplina. De Origine Romanorum. *De re veſtiaria Libri III.*	Sunt *Octaviani* Ferrarii. Sed libri de Re veſtiaria auctorem habent *Octavium* Ferrarium.
266. Andr. FRICIVS Modrevius.	And. MODREVIVS. Ita hoc nomen, omiſſo Fricio, effert *Satrovolſcius* in Centur. ſcriptor. polon. p. 81. Vt adeo cognomen viri fuerit *Modrevius*, non Fricius.
272. *Guil.* Gailkircheri Quadriga æternitatis, carmine, cum iconibus.	Ille autem in dedicatione eam tribuit *patri* ſuo. *Biblioth. Schrader.* P. I. Y 7.
318. *Hadrianus Caſtellenſis* cornetanus, tit. S. Chryſogoni Presb. Card. *Hadrianus* VI. Papa.	*Eſt unus idemque. Morhof* Polyh. T. I. lib. 4. c. 9. n. 20.
424. Malchi *Philadelphenſis* Vita Pythagoræ.	Eſt Malchi *tyrii.* I. A. *Fabricius* Bibl. gr. lib. IV. 183.
439. Hiſtoire des regnes de Henry III. Henry IV. & Louïs XIII. en 2. tomes. Montbeliard 1625. 8.	Editio *in octavo* eſt incompleta. Prodiit autem Pariſiis A. 1631, f. II. tomis.
463. *Henr. Molleri* Carmen in nuptias Dav. Chytræi.	Hoc non fuerit Henr. Molleri, theologi wittebergenſis, ſed *rectoris ſcholæ dantiſcanæ*, qui

 felix

	felix erat poëta. *Moller* de homon. 703.
P. II. 54. Philo iudæus *de Genealogia Christi.*	Videtur esse *Breviarium temporum.* I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 4. p. 116.
Pag. 80. Non bene liquet, an *Prosper Aquitan.* & *Prosper Tyro* sint diversi.	Est unus idemque, *Tiro Prosper*, natus in Aquitania. I.F. *Mayer* de script. anon. & pseudon. 93.
138. Ioh. SARIVS Zamoscius.	*Io. Sarius* ZAMOSCIVS.
144. Christoph. Scheurlius, *al. Kresßi.*	Quid Scheurlio cum Kressiis? Sunt duæ distinctæ Patriciorum familiæ, Noribergæ florentes.
232. *Vetus Vigellus.*	Id est, Nigellus *Wirecker. Placc.* de pseudon. 607.
235. *Vincentii Hispani* sermones. *Vincentius*, ord. Prædicatorum, de vita spirituali.	Est *unus auctor*, Vincentius *Ferrarius.*
241. *Gerardi* Vossii Notæ ad Vell. Paterculum.	Sunt *Gerardi iunioris*, nepotis videlicet Gerardi Ioannis. *Moller* de homon. 729.
Io. Gerard. VOSSIVS, dedit *Versionem & Scholia* ad opera Gregorii Thaumaturgi, & *Miscellanea aliquot* Patrum Græcorum & Latinorum cum Notis.	*Gerardus Ioannes* VOSSIVS. Versio autem & Scholia illa, nec non Miscellanea sunt *Gerardi Vossii.*

Thomas *Bodleius*, Exonia-anglus, sub MARIAE regimine cum parentibus adolescens in exilium abiit, & annos natus XII. idoneus reputatus est, qui professores Geneuæ docentes, *Chevalerium*, *Calvinum* & *Bezam* audiret. Postea, quum imperante ELISABETHA parentes in Angliam rediissent, Laur. *Humfredi* informatione per quadriennium usus est, susceptoque Baccalaurei in artibus gradu græcæ linguæ in aula publica collegii Mertonensis, cuius erat socius, prælectiones instituit. Artium magister factus procuratorem

ratorem egit, annosque V. continuos in ſtudio variarum artium & ſcientiarum transegit, inde, poſt quadriennem in Gallia, Italia, & Germania peregrinationem patriæ redditus, & Reginæ ſomatophylax conſtitutus, Equitisque aurati ſplendore fulgens, ab ea diverſis vicibus legatus miſſus eſt in Germaniam, Galliam & Provincias Belgii fœderatas; ac poſtea iterum ablegatus fuiſſet, niſi vitam privatam publicæ, & ſtudia, eorumque promotionem aulicis præferre negotiis maluiſſet. Neque enim in otio vixit, poſtquam a publicis receſſit muneribus, ſed bibliothecam univerſitatis oxonienſis, miſere tunc deſertam, reficere ſtuduit, atque ædificio pro ea aptato ſatis ſplendido, ante obitum, qui ſecutus eſt anno 1612, legibus eam prudentiſſimis munivit, amplisque locupletavit reditibus. Ad hanc bibliothecam acceſſerunt & aliorum libri, videlicet Guil. *Herberti*, Kenelmi *Digbyi*, Guil. *Laudi*, & Io. *Seldeni*. Vide *Acta erud.* A. 1699. 228. item A. 1702. 284. 285. & *Benthem.* de ſtatu eccleſ. & ſcholar. anglican. p. 320.

Thom. *Hyde*, bibliothecæ Bodleianæ quintus ab eius ortu præfectus, atque orientalium linguarum peritiſſimus, immo ebrææ & arabicæ linguæ in academia oxonienſi profeſſor, ſcripſit etiam de Ludis orientalibus, de Religione turcica, item Notas ad R. Abrahami Perizol Itinera mundi, & Hiſtoriam religionis veterum Perſarum, præmature defunctus A. 1703. atque a Io. *Mollero* elogio viri *πολυμαθεστάτου* cohoneſtatus, in lib. de homon. p. 171.

XXXVI.

PLATONIS Opera omnia, quæ exſtant, Marſilio *Ficino* interprete, quippe qui græcum textum cum emendatioribus exemplaribus contulit, & latinam interpretationem repurgavit, argumentisque perpetuis & commentariis opus illuſtravit. Lugduni 1590. Hæc editio, & Francofurtenſis de A. 1602. ſunt optimæ, longeque præferendæ Serranianæ, quæ Pariſiis prodiit A. 1578. Præmiſſa eſt Platonis vita, auctore *Diogene Laertio*. Libri autem Platonis, eo ordine collocati, quo in hoc opere comparent, ſunt ſequentes: 1) *Hipparchus*, ſive de lucri cupiditate, dialogus moralis. p. 1. In quo Socrates cum Hipparcho, iuvene athenienſi, unde dialogo nomen, colloquens, docet, quemlibet lucripetam lucro, velut bono alicui, inhiare, ſed illud demum laudandum eſſe lucri ſtudium,

 quod

quod non falſam lucri ſpeciem amplectatur, ſed eiusmodi lucrum quærat, quod vere ſit utile ad ſummum bonum, tanquam finem obtinendum. 2) *Amatores*, Ἐρασταὶ, (apud *Laërtium* autem, & ipſo in dialogo legitur Ἀντερασταὶ, Riuales) moralis, p. 4. De philoſophia, quod non ſit proletaria cognitio variarum artium, ſed cognitio divinorum, & gubernatio humanorum : ad illam conducere ſapientiam, ad hanc prudentiam & iuſtitiam. 3) *Theages*, ſive de ſapientia, obſtetricius. p. 7. Quo Socrates Demadoco eiusque filio Theagæ, in diſciplinam ſibi tradendo, oſtendit, ſapientiam eſſe rem omnium præclariſſimam, atque in hoc verſari, ut ſocietas generis humani contineatur rationibus & inſtitutis iuſti & moderati imperii, atque adeo evitentur intemperies, hominum peſtes ; iam vero illam quidem civilem ſapientiam diſci ſapientum hominum uſu & conſuetudine ; veram tamen efficacemque illius conſequendæ rationem pendere a Deo, qui unus efficiat, ut illa etiam hominum prudentum conſuetudo poſſit eſſe fructuoſa. 4) *Meno*, de virtute, tentativus ſive exploratorius. p. 12. Socrates hoc dialogo docet, quid & quotuplex ſit virtus, nullamque earum ſuccedere, niſi divini efficacia numinis acceſſerit, qua nimirum homines virtute inſtruantur. 5) *Alcibiades primus*, de natura humana, obſtetricius. p. 25. Nimirum in perſona Alcibiadis humanæ naturæ vitia eorumque remedia, quorum illa ſunt Negligentia, Ignorantia & Arrogantia, hæc, Cura noſtri & Seria cognitio, oſtenduntur. Curam noſtri in eo verſari, ut maximam diligentiam adhibeamus in nobis excolendis, id eſt, animo noſtro, quem vere nos ipſos cenſere debeamus, non vero inutilem operam in alienis, corpore videlicet, & iis, quæ ad corpus pertinent, e. g. robore, diuitiis, cum corpus ſit inſtrumentum animi, id eſt, non ipſe homo, ſed id, quo homo utitur, hæc autem ſint plane extra hominem. Seriam vero noſtri cognitionem eo ſpectare, ut pudeat nos arrogantiæ noſtræ, cum nihili ſimus, ſi bene nos norimus: tum ut ab uno Deo pendeamus, qui ſit verum & ſolidum felicitatis noſtræ firmamentum, & illa proinde remedia reddat in hominibus efficacia. Pietatem igitur in primis commendari, ut quæ honeſtæ ac beatæ vitæ, ſive in privatis perſonis, ſive in Rep. caput exiſtat. 6) *Alcibiades ſecundus*, de precatione. p. 38. A non nullis quidem *Xenophonti* tribuitur; (vide *Placcium* de Anon. 511. & I. A. *Fabricium* B. gr. lib. 3. c. 1. p. 15.) ſed *Laërtius* e Thraſyllo omnino Platoni vindicat

dicat. Scilicet Alcibiadem ad ſacrificium proficiſcentem monet Socrates, difficile & periculoſum eſſe Deum precari, cum ſæpe homines, dum arbitrantur ſe bona a Deo petere, mala petant, quia ignorent ea, quæ noſſe & neceſſarium ſit & utile. Huius ignorantiæ quædam profert remedia, non ut doceat, quæ ſit legitima precatio, ſed ut minus abſurde, minorique cum periculo homines Deum precentur. 7) *Minos*, ſive de lege, politicus. p. 44. Eſt hic dialogus velut introductio in libros de Rep. in quo exponitur, quid lex ſit, quæ eius origo, quis uſus & finis, defenditurque Minos, celebris ille legiſlator, quem alii tanquam tyrannicum & violentum deſcribant. 8) *Euthyphro*, de ſanctitate, explorandi cauſſa inſtitutus. p. 47. Eſt falſæ religionis, id eſt, ſuperſtitionum in cultu ethnicorum divino, refutatio, ex ore hominis ethnici, qui tamen & ipſe veram religionem ignoravit, quamvis religionem ſtatueret verum ſolidumque, & univerſæ vitæ, ac ſocietatis humanæ fundamentum. 9) *Parmenides*, ſive de ideis. p. 54. Parmenidis, celeberrimi philoſophi pythagorei, ſententia de ideis explicatur; nec loquitur in hoc ſermone Socrates, ſed auditor eſt, & res iam pridem acta commemoratur: ut non tam ſuam, quam alienam ſententiam Plato voluiſſe commonſtrare videatur; quamquam a Parmenide non omnino diſſenſerit. Intendit autem Parmenides generatim hoc aſſerere, quod unum omnium principium ſit, eoque poſito ponantur omnia, ſublato autem interimantur. Notandum etiam, in hoc dialogo per *unum* intelligi Pythagoreorum quamque ſubſtantiam a materia penitus abſolutam, ut Deum, Mentem; per *aliud* autem & *alia*, tam materiam, quam illa, quæ in materia fiunt. 10) *Philebus*, de ſummo bono. p. 72. Vbi Socrates docet, humanam felicitatem per ſe & ſeorſum neque in voluptate conſiſtere, neque in ſapientia, ſed in utriusque communicatione cum τῳ αυτοαγαθῳ ſive ſummo bono, videlicet Deo. 11) *Hippias maior*, de pulchro, ad Sophiſtarum nænias evertendas. p. 95. Socrates non tam hic laborat oſtendere, quid pulchrum ſit, quam quid non ſit, videlicet non pulchram virginem, nec aurum, nec corpore bene valere, nec divitem & honoratum eſſe, nec ſenem mori, nec ſepeliri a filiis, nec ſepeliſſe parentes, nec cetera huiusmodi. 12) *Lyſis*, de amicitia, obſtetricius. p. 106. In hoc dialogo traditur diſcrimen veræ amicitiæ a falſa, atque illius conciliatorem eſſe Deum ipſum, neque illam reperiri, niſi inter

inter bonos. *Laërtius* lib. 3. fegm. 35. narrat, Socratem, cum Platonis Lyfidem audiffet recitari, *Proh dii immortales*: dixiffe, *quam multa de me mentitur adolefcens!* fcripfiffe quippe non pauca virum illum, quæ Socrates non dixit. 13) *Theætetus*. de fcientia, exploratorius. p. 114. Non autem oftenditur Theæteto adolefcenti vera fcientia in hoc dialogo, fed falfæ Sophiftarum de fcientia opiniones refutantur. 14) *Io*, five de poëtico charactere, vel de poëtarum exponendorum ratione, ad orationem five rationem fpectans. p. 143. Philofophus docet, nec Poëticam ipfam, nec eius interpretandæ vim & facultatem, artis cuiusdam principio & induftria conftare, fed impetum effe quendam, five divinum furorem, quo & poëtæ, & ipforum interpretes rapiantur. Apud *Athenæum* lib. XI. perftringitur Plato, quod in hoc dialogo & poëtis & aliis viris non paucis, per populi præcipue fuffragia ad honores evectis, ex invidia detrahat. 15) *Sophifta*, de eo quod eft, ad rationem five orationem fpectans. p. 148. De ente hic agitur, ut evincatur, Sophiftam effe imaginarium artificem, qui in falfarum rerum commentis verfetur, id eft, ea, quæ minime funt, doceat, tanquam vera, atque illo modo hominum animos falfis opinionibus irretiat atque involvat. 16) *Politicus*, de regno, ad orationem feu rationem fpectans. p. 169. Summa huius dialogi eft, Politicam effe fcientiam feu difciplinam ad hoc inftitutam, ut regat cœtum & frequentiam hominum: huius fcientiæ cuftodem effe Regem feu paftorem populorum, eumque debere ingenio effe ad imperandum apto, neque eius imperium infinitum, ut pro arbitratu quidvis agat, fed oportere pie, iufte, fapienter imperare, ex legum præfcripto, habitaque rerum, perfonarum, locorum & temporum ratione, legum mentem finemque moderari. 17) *Protagoras*, de Sophiftis, ad oftentationem comparatus. p. 192. Agitur hic contra inanes Sophiftarum, qualis Protagoras erat, fpeculationes, atque oftenditur, virtutem non poffe doceri aut difci, fed effe boni ac veræ voluptatis fcientiam divinitus datam. Ceterum hæc dantur documenta: Sapientiā non effe nudam aut imaginariam rerum cognitionem, aut quæ perperam & vitiofe agat: Non effe quidquam iucundum, quod non fit bonum: Veræ fcientiæ caput effe, ut vitam ex virtute componamus: Adulterinæ & fucatæ fcientiæ notam effe, quum verba tantum adhibentur, nulla utilitas ad vitam bene agendam redit. *Athenæus* lib. XI. refert, Protagoram lecto hoc dialogo

dialogo dixiſſe: *Platonem optime noviſſe ιαμβίζειν* i. e. *criminari.* 18) *Euthydemus*, ſive contentioſus. p.214. Hic dialogus eiusdem ac prior eſt argumenti, ita ut Sophiſtarum vanitates detegantur, negetur virtutem doceri poſſe, & doceatur, Sophiſtarum odium atque invidiam non debere transferri ad veram philoſophiam, quæ certo ſolidoque utilis cognitionis fructu ſatis ſe tueatur adverſus omnes omnium Sophiſtarum impoſturas; nec boni rationem habere divitias, libertatem, eruditionem, honores, potentiam, immortalitatem, ſed ſapientiam recte his utendi. 19) *Hippias minor*, de mendacio, ad evertendum comparatus. p. 229. Generalis theſis eſt eadem, quæ duorum præcedentium dialogorum, ſpecialis autem de præpoſtero Sophiſtarum in diſputando more & in ipſa materia, & in illius explicandæ modo: Hippiam enim ſophiſtam Plato loquentem introducit nihil non arrogantiſſime ſibi tribuentem, eumque ut irritet, contendit, Achillem eſſe deteriorem Vlyſſe; hinc tranſit ad ſermonem de mendacio, oſtendens, ex eius doctrina ſequi, nullum inter mendacem & veri ſtudioſum eſſe diſcrimen, & minus peccare, qui mala ſciens ac prudens faciat, quam qui invitus. 20) *Charmides*, de temperantia vel modeſtia, tentativus. p. 235. Fingitur dialogus hic cum Charmide adoleſcente & Critia habitus poſt pugnam ad Potidæam, in quo diſſeritur de temperantia, eiusque variæ deſcriptiones adferuntur, ſed nulla definitio. Hæc tamen doctrina poteſt elici, temperantiam per omnes vitæ partes late patere, rerum cognitionem opportuno & fructuoſo iudicio munire, ne ſit inefficax quædam & inanis theoria, ipſam denique in actione totam verſari, colendamque ab iis, qui cupiant vitam traducere felicem. Sunt & hic dialectica quædam theoremata: Non eſſe, quis dicat, ſed *quid dicatur*, attendendum: *Artibus* certa eſſe & definita ſubiecta, in quibus verſentur: Non dari huiusmodi ſcientiam, quæ proprie dicatur *ſcientia ſcientiarum*, id eſt, quæ per ſe & vera omnium ſcientiarum ſubiecta & fines regat; cum unaquæque ſcientia ſuis ſe principiis tueatur. 21) *Laches*, de fortitudine, obſtetricius. p. 245. Agitur quidem de fortitudine in præſente dialogo, non tamen hic eſt primarius eius finis, ſed oſtendere, civiles ſive politicos, ignorare veram inſtituendæ iuventutis rationem, quippe quæ non conſiſtat in externis exercitationibus, veluti armorum tractandorum, rei equeſtris, aliarumque huiusmodi rerum peritia, ſed in

virtute, quæ fons & caput sit veræ institutionis. 22) ***Clitopho.*** exhortatorius. p. 255. Est imperfectus, pro platonico tamen agnoscitur a *Laërtio* lib. 3. segm. 50. Atque in eo prædictus Clitopho, Aristonymi filius, rogatus a Socrate, cur Thrasymachum præferat, respondet, se quidem ab ipso, videlicet Socrate, præclaras ad virtutem exhortationes, sed nullam eius definitionem, neque etiam modum feliciter in ea progrediendi audivisse: hoc igitur si vel ignoraret Socrates, vel docere nollet, merito se ad Thrasymachum, aut alium quemcunque discendi caussa accedere. Et hic abrumpitur sermo, nec, quid Socrates responderit, additur. 23) ***Cratylus,*** de recta nominum ratione, ad orationem sive rationem spectans. p. 257. Disputatur, utrum nomina rebus imposita fuerint a natura, an ex hominum pactis & conventis? quorum illud *Hermogenes* asserit, Parmenidis & Pythogoreorum cultor, hoc *Cratylus*, sectator Heracliti; in cuius sententiam *Socrates* quoque inclinare videtur. Ceterum Aegid. *Menagius*, teste I. Alb. *Fabricio* B. gr. l. 3. c. 1. p. 11. observat, Platonem in etymologiis non raro infeliciter versatum esse. 24) ***Gorgias***, de rhetorica, refutandi sive evertendi causa institutus. p. 281. Damnatur hic Rhetorica, non omnis, sed ea, quæ a Sophistis tradebatur, ut ars persuadendi in foro, cum potius rhetorica ad bonum & iustum finem adhiberi, & cum virtute coniuncta esse debeat. Clauditur hic dialogus insigni descriptione iudicii divini, cui post mortem anima cuiusque hominis subiiciatur. *Aristides* ei opposuit Orationes suas platonicas, & Hier. *Cardanus* Antigorgiam. 25) Convivium de amore, metaphysicus, siue theologicus. p. 315. Convivæ sunt duo de triginta, qui inter se disputant de amore, (unde & inscriptio nata; quamquam *Lambecius* lib. VII. de Biblioth. vindobon. c. 2. verum titulum esse *περὶ ἀγαθοῦ de bono*, contendat) atque evincitur, amorem per se nec bonum, nec malum esse; bonum autem reddi, si feratur in bona ac divina. *Diophanes* scripsit Defensionem Alcibiadis, contra hunc dialogum; nec alio consilio Plato crebram turpissimæ *παιδεραστίας* mentionem videtur fecisse, quam ut eam detestandam commonstraret; sicut in primo *νομοθεσίας* flagitium illud abominatur, & *τὸ παρὰ φύσιν τόλμημα* vocat. 26) ***Phædrus***, de pulchro. p. 336. Disputatio hæc Socratem inter & Phædrum, est, veluti prior, tota mystica, & argumentum illi adfine complecti-

plecti-

plectitur: utraque enim de amore agit, sed in varium tamen finem; illa quippe amoris naturam explicat, hæc illius passiones, inter quas præstantissima & efficacissima est pulchritudinis appetitio. Sed quoniam in hac appetitione varie ab hominibus peccari solet, rerum umbras, non veritatem persequentibus, iccirco accuratius differitur de vera pulchritudine, doceturque, eam esse rationem, qua cum Deo homo coniungitur; rationis autem interpretem esse orationem. Videndum igitur, ne vera illa pulchritudo impotenti cupiditatum & libidinum intemperie perfœdetur. Hunc dialogum dicit *Laërtius* fuisse primum, quem Plato scripsit, & *Dicaarchus* apud illum reprehendit dicendi characterem, ut φορτικὸν sive vehementiorem; non nullas etiam descriptiones, ut alienas & supervacuas, taxat *Plutarchus* in Erotico. Non tamen anachronismi accusari Plato poterit, quod Phædrum, qui Socratis ætate non erat vivus, cum Socrate colloquentem sistit, quum id non ex errore, sed studio & consilio faciat. 27) *Apologia Socratis*, ad mores pertinens. p. 358. Scripta est a Platone nomine Socratis ad Iudices athenienses contra accusationem Anyti, Meliti, & Lyconis, criminantium, Socratem curiosius investigare ea, quæ sub terra & in cœlo sunt, & sublimiorem quandam scientiam alios docere. Neque vero hæc Apologia eadem est, quæ *Polycratis*, quippe quæ pluribus post Socratis mortem annis scripta fuit. 28) *Crito*, de eo quod agendum est, moralis. p. 359. Erat Crito intimus Socratis, qui eum in carcere invisens, hortatur ut se inde patiatur educi amicorum opera; sed Socrates negat se id prius permissurum, quam certis sibi constet argumentis, an recte fieri possit. Ceterum docet, vulgi opiniones esse contemnendas, calamitates ferendas patienter, inimicos non ulciscendos, animoque oportere esse erecto ad sola honesta & æterna. 29) *Phædo*, de animo, partim moralis, partim theologicus seu metaphysicus, p. 375. A Phædone in hoc colloquio refertur, Socratem eo die, quo veneno hausto in carcere extinctus est, multis hominibus præsentibus disseruisse de morte contemnenda, & animi immortalitate. At Phædo tamen, uti *Athenæus* lib. XI. scribit, lecto hoc dialogo negavit se ea dixisse, quæ Plato sub eius persona in medium producit. 30) *Menexenus*, sive funebris oratio, moralis. p. 402. Orationem hoc in dialogo contentam, qua laudantur illi, qui

pro salute patriæ pericula mortemque intrepide subiverunt, composuit *Aspasia*, rhetoricæ informatrix, *Pericles* autem dixit, & *Menexenus* repetit. Atque hæc oratio ita fuit probata, ut quotannis in panegyri Athenis recitaretur. 31) *De Rep.* sive *de iusto* libri X. politicus. p. 409. Docetur in iis, qua ratione opportune ac fructuose constituenda sit Resp. & quibus eam legibus munire consentaneum, ut hominibus constet vera ratio societatis colendæ. *Cren.* Animadv. P. IX. 227. Epitomen horum librorum fecit *Theophrastus*, sed quæ, temporum iniuria, ut *Ciceronis* de Rep. VI. libri, e Platone magnam partem repetiti, amissa est. Ea, quæ Aristoteles adversus Platonis Remp. scripsit, ad examen revocavit *Eubulus*: legenda quoque est Vberti *Folieta* Diatriba, Romæ edita A. 1574. & repetita in Tomo I. Thesauri antiquitatum rom. Græviani. *Axiothea* autem philosopha, lecto uno illorum libro, tanto philosophiæ studio inflammata fuit, ut Athenas proficisceretur, sumtaque virili veste Platonem auscultaret. *Schurzfleischius* tamen Epp. select. p. 276. non dubitat scribere, Platonem in libris suis de Rep. nihil nisi ideas & nomen Dei ingeminare, ut vix bene operam posuerit *Foxius* hispalensis, quod eum annotationibus illustraverit. 32) *Timæus*, sive de natura, vel universitate, physicus. p. 522. Differitur de rerum natura, id est, de universi creatione, caussis & facultatibus, contra sententiam de mundi æternitate, ac præterea singulatim agitur de homine, omnium animantium præstantissimo. Nomen hic dialogus habet ab uno collocutorum, *Timæo*, philosopho, quem Plato in Italia docentem audiverat. Exstat libellus eius de anima mundi i. e. natura, dorice scriptus, atque hic subiunctus p. 553. e quo, iuxta *Timonis* sillographi sententiam, præsens colloquium fuit concinnatum. Vide etiam *Cren.* differt. II. de furib. librar. §. 62. Estque hic dialogus, in primis ob numerorum harmonicorum rationem, unde proverbium natum, *Numeri platonici*, si de re obscura sermo est, omnium obscurissimus, ideoque plurimos nactus interpretes græcos, quorum tamen scripta periere. 33) *Critias* sive *Atlanticus*. Est hic dialogus Timæi appendix, in quo fit primævi sæculi commemoratio; speciatim autem agitur de Atheniensibus, qui sese αὐτόχθονας esse gloriabantur, deque Atlantide, quam Olaus *Rudbeckius* Sveoniam, alii Americam esse interpretantur. Neque vero ille absolutus est,

sed

ſed ob intervenientem Platonis mortem imperfectus relictus, & tota eius narratio ex Aegyptiorum monumentis, qui præ ceteris nationibus antiquitatis ius atque dignitatem ſibi arrogabant, depromtus videtur. 34) *De legibus* libri XII. In quibus ſermo eſt de legum cauſſa, ſubiecto, origine, & præfationibus ſeu procemiis, de animi cultu, magiſtratuum creatione, matrimonio, liberorum educatione, religione, iudiciis, & pactis ſive contractibus. Libri hi, quorum diuiſio non eſt a Platone, ſed Phil. *Opuntio*, ſeorſum prodiere cum notis Edm. *Maſſey*, Cantabrigiæ A. 1713. 8. de quo vide *Acta erud.* A. 1714. 453. Sunt, qui eos, eorumve auctorem reprehendunt, & quidem *Athenæus* lib. XI. in fine p. 508. quod Plato leges ſcripſerit hominibus, non quales ſunt, ſed quales ipſe ſibimet finxerit; L. Ann. *Seneca* Ep. 94. p. 394. quod legibus adiecta ſint principia, ſive præfationes; *Georgius* trapezuntius in Comparatione Ariſtotelis & Platonis; alii, quod legem tulerit de communione uxorum: ſed obſervandum, Platonem conſideraſſe homines, quales eſſe debeant, ſimulque philoſophi partibus fungi voluiſſe, cardinalem *Beſſarionem* legum platonicarum defenſionem ſuſcepiſſe libro peculiari contra Platonis calumniatorem, & legem de communione uxorum purgari ab eodem *Beſſarione* lib. IV. c. 3. *Moſellano* ad Gellii XVIII. 2. Liv. *Galante* in Comparat. theol. chriſtianæ cum platonica, lib. I. & *Cotelerio* ad PP. appoſtolic. p. 582. Quibus adde *Crenium* Animadverſ. P. IX. 227. 35) *Epinomis*, ſive Philoſophus, dialogus prioris operis decimus tertius. p. 697. In quo oſtenditur, omnem legum vim & efficaciam, ac proinde Reip. utilitatem, cuius cauſſa illæ inſtituuntur, a Deo, tum rerum omnium, tum humanæ ſocietatis auctore & conſervatore, plane pendere. Cum autem leges nullo modo prodeſſe poſſint, niſi optimi & ſapientiſſimi earum curam habeant, ac prouideant, ut ſerventur, ideo & de ſapientia verba fiunt, & quænam ſit, quæque illius comparandæ ratio & via, luculenter docetur. *Suidas* tradit, Philoſophum opus de Legibus in XII. libros diſtribuiſſe, & XIIIum h. e. Epinomidem de ſuo addidiſſe. Sed quis ille philoſophus? an voluit dicere, *Philippus Opuntius?* 36) Platonis *Epiſtola* XIII. p. 105. Plato in hiſce Epiſtolis ſolet præfigere votum verbo *ευ πραττειν*, ut alii *χαιρειν*, vel *ευ διαγειν*, vel *υγιαινειν*, vel *ευλογειν*. Mer. *Caſaubon.* in Notis ad Diog. Laert. lib. III. ſegm. 61. 37) Dialogi, qui pro

nothis habentur, & quidem (1) *Axiochus*, siue de contemnenda morte. p. 728. Putatur esse *Aeschinis* socratici; Marsil. autem *Ficinus* tribuit Xenocrati platonico. Vide *Placcium* de pseudon. 511. (2) De *iusto*. p. 732. Traditur quid sit. Quamquam Isidorus pelusiota l. 4. ep. 91. scribat, Platonem plures composuisse dialogos, quibus conetur demonstrare, quid sit iustitia; neque tamen quid perspicui proferre sciuisse. (3) *De virtute*, an doceri possit. p. 734. Hic dialogus est compendium Menonis, & *Aeschini* tanquam auctori tribuitur, contendenti, virtutem neque natura, neque disciplina parari, sed Dei dono inesse illis, qui ea praediti sint. *Placc*. 511. (4) *Demodocus*, siue de consilio dando. p. 735. Monstratur, quinam ad consilium dandum idonei, & fide digni sint habendi. (5) *Sisyphus*, vel de consultando. p. 739. Traditur esse *Simonis*. (6) *Eryxias*, vel *Erasistratus*, de divitiis, videlicet veris & falsis. p. 741. A *Suida* refertur ad *Aeschinem* socraticum. Inscribitur autem modo Eryxias, modo Erasistratus, quia hi duo cum Socrate fabulantes introducuntur. *Placc*. 712. (7) *Definitiones*. p. 748. Collectae ex Platone a *Speusippo*, eius sororio. *Placc*. 711. (8) Particula Timaei Platonis, a M. Tullio conversa. p. 751. 37) Marsi. *Ficini* in Platonis libros argumenta & commentaria. p. 754. Atque haec hactenus pluribus recensere voluimus, secuti Marsil. *Ficinum* in Summis, & Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. gr. l. 3. c. 1. ut plenius constaret, quidnam contineatur in eximii Platonis praestantissimis atque utilissimis operibus.

Plato, Aristonis filius, natus in pago atheniensi Colytto, anno ante Christi adventum 423, primum athleticae, pictoriae, musicae & poësi operam dedit, deinde autem annum agens vicesimum coepit audire Socratem philosophum, ab eodem, aut Aristone argivo palaestrita dictus *Plato*, dubium, ob humerorum ne, pectoris, frontisve latitudinem, an ob bonam corporis habitudinem, vel ob copiosum atque apertum dicendi genus, ab aliis Platonibus probe distinguendus, & Socrate defuncto sectatus est *Cratylum*, Heracliti discipulum, & *Hermogenem* Parmenidis philosophiam tuentem, natusque duo de triginta annos varias regiones adiit, & *Euclidem* megarensem, *Theodorum* mathematicum, atque e Pythagoricis *Archytam*, *Philolaum*, *Eurytum*, *Timaeum* locrum, *Echecratem*, *Acrionem* aliosque, immo & Aegypti prophetas, eo tempore, quo Ebraei denuo

nuo patria pulsi, Persis dominantibus, in Aegypto degebant, docentes attendit, indeque reversus Deliis sensum oraculi, delicam aram cubica ratione duplicare iubentis, exposuit, Siciliam varia ter fortuna adiit, Remp. gerere noluit, consiliis tamen Dioni aliisque viris principibus fidem atque industriam probavit suam, Deo gratias, ut aiunt, egit, quod homo, non bestia, quod Athenis, & quod tempore Socratis natus esset, ab uxore & congressu muliebri abstinuit, neque in urbe vixit, tandemque, cum in numero longævorum esset, supremum diem obiit anno 1. Olympiadis CVIII. annum ætatis agens 81. *Diog.* laërt. lib. III. Io. Alb. *Fabricius* B. gr. l. 3. c. 1. *Kœnig* 647. Io. *Moller* de homon. 773. Dictio eius erat suavis & peramoena, adeo ut ferretur, Iovem ipsum, si attice verba facere vellet, non aliter locuturum. Et *Cicero* eum vocat omnium, quicunque scripserunt aut locuti sunt, & copia dicendi & gravitate principem, & quasi quendam deum philosophorum: certe a sapientibus Aristoteli præfertur. Vide Rol. *Mares*. ep. 46. (apud Cren. Animadv. P. IX. 269.) Et *Calvinus*, acris vir iudicii, Institut. l. 1. c. 5. Platonem laudat, ut inter omnes philosophos religiosissimum & maxime sobrium. Θεῖος autem sive *divinus* appellatus est, quia de Deo & animis nostris tam præclare scripsit, & scientiam rerum divinarum cum vitæ puritate copulavit. *Georgius Trapezuntius* tamen cæco amore Aristotelis abreptus, Platoni inimicissimus fuit, eiusque dogmata & mores peracerbe, famoso edito volumine, proscidit: cui *Bessarion* opposuit Apologiam, qua calumniator ingenio & memoria privatus est. *Tollius* de infelicit. litterat. 423. Sed & philosophia eius pro præstantissima agnoscitur a Pagan. *Gaudentio* de philosophia apud Romanos c. 18. (Tomo II. Conlect. libror. rar. Fascic. II. 136) & *Schurtzfleischio* in Biblioth. Schrader. P. I. K 7. Ceterum de Platone vide *Magirum* 670. & *Pope-Blount* 26.

Marsil. *Ficinus*, florentinus, quo minor corpore, (nam vix ad lumbos viri solitæ staturæ pertingebat) eo maior animo & eruditione, valetudinem diligenter curans, huiusque regiminis præcepta, in primis in libro de triplici vita tradens, utriusque linguæ peritissimus, philosophiæ platonicæ instaurator, eiusque caussa non Platonem duntaxat, sed aliquot etiam platonicos latine reddens, nominatim *Plotinum*, *Iamblichum*, *Proclum*, *Synesium* & *Psellum*,

lum, ac præterea librum de Sole & lumine, Apologiam de astrologia medicinæ iungenda, Epistolas & alia relinquens, inter magos autem immerito relatus, febri abreptus est A. 1499. æt. 66. & statim post obitum, si Balth. *Bonifacio* Hist. ludicr. l. 15. c. 5. fides adhibenda, in forma equitis currentis, terque ostium pulsantis, clamantisque, *O Michaël, Michaël, vera, vera sunt illa*, amicum suum, Mich. *Mercatum*, cum inter ipsos conveneniffet, ut, qui prius moreretur, alteri aperiret, num sit animæ immortalitas, certiorem reddidit. Omnia eius opera edita sunt Basileæ A. 1561. & Parisiis 1641. *Kœnig* 303. *Du Pin* T. XIV. 111. *Lex. univ. histor.* T. II. 123. If. *Bullart*, Acad. scient. & art. T. II. 71. *Magirus* 349. *Pope-Blount* 492. Quibus adde Octav. *Ferrarium* Opp. var. T. I. 516. qui eum eruditionis ac sapientiæ, quæ postea ad exteros migravit, auctoribus ac principibus annumerat, *Lansselium* Disp. apologet. de S. Dionysio, 1. b. & *Cinellum* nelle Bellezze di Firenze f. 49. qui non tantum memorat, statuam viro positam esse in ecclesia cathedrali florentina, sed eum etiam mactat elogio di filosofo marauiglioso e singolare, e nella dottrina di Platone per tutto tenuto in sommo onore.

XXXVII.

ARISTOTELIS Operum nova editio, græce & latine, per Isaac. *Casaubonum*, Lugduni, 1590. volum. II. Græcus contextus quam emendatissime est editus, adscriptis ad oram libri & interpretum veterum recentiorumque, & aliorum virorum emendationibus, latinæque interpretationes adiectæ sunt, quæ græco sermoni melius responderent. Accedunt ex libris Aristotelis, qui hodie desiderantur, fragmenta quædam. Prodiit etiam hoc opus Coloniæ Allobrogum, sive Genevæ A. 1605. quam excepit nobilis editio Guil. *Du Vallii* A. 1619. & auctior A. 1639. cuius alia quidem exempla præferunt annum 1654. Casaubonus præmisit hic Præfationem, in qua dolet, paucissimos hodie inveniri philosophos, qui iustam omnibus philosophiæ partibus, quæ mirifice inter se coniunctæ connexæque sint, operam navaverint, & ex limpidissimis purissimisque eius fontibus, seu veterum sapientum monumentis scientiam hauserint, darique non nullos, qui odio prosequantur Aristotelem, & calumnias in eum evomant; neque omnes eius

&

& *Platonis* libros ita a nostris hominibus tractatos & conversos esse, ut nullam eruditi alicuius & industrii navique interpretis operam manumque desiderent. Se quidem ait ad emendationem Aristotelis contulisse, quantum per temporis brevitatem & alias occupationes licuerit, sed optandum, ut literati alicuius Principis liberalitate & auspiciis, viris quibusdam eruditis perficiendum commendetur, sicut triumviri anglicani, quamvis irrito consilio, novam Aristotelis versionem adornare decreverint. Nolo iam singulos Aristotelis libros recensere, cum hoc a nobis fiat in editione *Sylburgii*, quæ in serie librorum eius formæ, qua singulæ plagulæ in quaterna maiora complicantur folia, continetur.

Aristoteles, Nicomachi medici in Macedonia regii filius, natus Stagiræ, Platonis discipulus, & ALEXANDRI magni præceptor, *Battus* antea dictus, sectæ peripateticæ conditor, atque ab aliis cognominibus distinguendus, ob pæanem, quem in Hermiam socerum suum scripsit, iudicum sententiis condemnatus, cicutæ poculum hausit, atque ita mortem obiit anno III. olympiadis CXIV, ætatis 63. ante N.C. 322. Moller de homon. 287. *Fabricius* B. gr. lib. III. c. 6. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Laudatur a *Cicerone*, *Quintiliano*, *Augustino*, *Hieronymo*, *Pellissonio* P. IV. des Reflexions 119. 131. *Cunæo* apud Cren. de Singular. scriptor. 30. *Erasmo*, Lud. *Vive*, *Lipsio*, Ger Io. *Vossio*, *Piccarto*, *Conringio*, & quidem ob scientiam rerum, philosophiam planam & apertam, bonam methodum seu dexteritatem in tradendis artibus, & brevitatem rerum ac sententiarum; culpatur autem ob gloriæ aucupium, compilationes, studium carpendi alios, eorumque auctoritati officiendi, porro ob malignas interpretationes, minutiloquium, subtilitates circa quæstiones, & versutias, a *Tertulliano*, *Irenæo*, *Gregorio naz.* *Luciano*, Laur. *Valla*, *Agrippa*, *Bacone* de Verulamio, I. C. *Sturmio* P. I. philos. eclect. G. *Arnoldo* Kirch. u. Kez. Hist. P. III. 86. 91. Sebast. *Bassone* ap. Cren. differt. I. de furib. librar. 24 & Ioach. *Langio* in Medic. mentis p. 179. male tamen atheis adscribitur, iudice I.A. *Fabricio* 177. Pro philosophia aristotelica sunt doctores superiorum temporum *regiomontani*, *helmstadienses*, *altorfini*, *colonienses*, *parisini*, item *Ruarus* Epp. P. I. 454. at contra eam *Lutherus* in Operib. germ. ienens. & Postill. eccles. epist. Domin. II. Advent. p. 18. (apud Arnold. P. IV. 118.) Pet. *Ramus* in suis scriptis, auctores der *Unschuld. nachrich.* A. 1702. 907.

Fabulæ autem hæ de Ariſtotele, eum *iudæum hieroſolymitanum* fuiſſe e tribu Beniamin: Omnem *ſcientiam furtim abſtuliſſe* e Sapientia ſalomonis: In extremo vitæ conſtitutum *retractaſſe* univerſam ſuam philoſophiam: Quotidie ſummo mane *hac precum formula*,

Terribilis, cuius dominio me ſubiiciam,
Et Aeterne, qui nunquam (regnare) ceſſas,
Et auctor omnium rerum,
Libera me ab igne tuo magno,

uſum eſſe, explodendæ ſunt. Vide *Lutherum* T. I. Opp. ien. germ. 310. I. A. *Fabricium* l. c. 144. *König.* 61. *Magirum* 70. *Pope-Blount.* 32. *Morhof.* Polyh. T. II. l. 1. c. 8. & de Ariſtotelis impugnatoribus p. 65.

XXXIIX.

Io. PICI, & Io. Fran. PICI Opera quæ extant omnia. Baſileæ 1601. Liber alioquin rarus, uti *Morhof* ſcribit Polyh. T. II. 39. Editio ultima, ſuperioribus multo correctior, & locupetior. Illius operibus præmittuntur a) ALEXANDRI VI. Pontif. max. Cenſura de eius Concluſionibus; cum enim quædam illarum cenſoribus INNOCENTII Papæ VIII. viſæ eſſent ſuſpectæ & hæreſin ſapientes, atque earum auctor periurus, ALEXANDER, re melius cognita, ab utroque eum crimine motu proprio abſolvit. b) Io. Pici Vita, per Io. Fran. *Picum* conſcripta. c) Elogia Io. Pici, celebrata a Paulo *Iovio*, Leandro *Alberto*, Io. Iovin. *Pontano*, Luca *Gaurico*, Herc. *Stroza*, Mich. *Marullo*, & *Latomo*. Huius autem, a) LEONIS Papæ X. Privilegium de edendis utriusque operibus, in quo eos ab eruditione & virtute maximopere laudat. b) Vitæ eius ex variis auctoribus deſcriptio. c) Elogia Io. Fran. Pico dicta a *Iovio*, *Myrteo*, *Latomo*, & Iac. *Rytero*. Ecquæ igitur ſunt partes horum operum? *Ioannis* quidem *Pici* 1) Heptaplus, id eſt, de Dei creatoris ſex dierum opere geneſeos libri VII. 2) Concluſiones nongentæ, Romæ publice propoſitæ, præcipuos theologiæ locos, & pleraque, in quibus Philoſophorum omnis labor & ſtudium cernitur, continentes. 3) Apologia adverſus eos, qui aliquot propoſitiones theologicas carpebant. 4) De ente & uno opus. In quo plurimi loci in Moſe, Platone & Ariſtotele explicantur. 5) De hominis dignitate. 6) Ad chriſtianæ vitæ inſtitutionem Regulæ ſive præcepta, quibus adiutus homo poſſit

vincere mundum & tentationem. 7) In psalmum XV. (secundum alios, XVI.) *Conserva me, Domine*, commentarius. 8) De Christi regno & vanitate huius mundi. 9) Orationis dominicæ expositio. 10) Epistolarum liber. Quem Christoph. *Cellarius* Cizæ A. 1682. denuo excudi fecit, Notulis quibusdam atque Indice adiectis. Eas vero non destitui flore eloquentiæ purioris latinæ, refertasque esse rebus mysticis, fatetur *Morhofius* Polyhist. T. I. 304. 11) de astrologia disputationum libri XII. In quibus vanitatem & superstitionem astrologicarum prædictionum argumentis & theologicis & philosophicis profligare laborat. Ac Disputationibus hisce immortuus est vir illustrissimus, nec eos extrema lima tergere atque expolire potuit, aut epilogum addere; qui tamen, si ad operis splendidius ornamentum, certe non ad lectorum sufficiens emolumentum deesse videtur. An autem irato contra astrologos dimicaverit animo, eo quod præproperam ipsi mortem, qua non visurus esset annum ætatis sextum & trigesimum, vaticinati essent, sicut Lucas *Gauricus* tradit, quis dicere sustineat? 12) In Platonis convivium libri III. 13) Elegiæ aliquot, sive Commentatio in Hier. *Benivenii* Oden de amore Dei, ad mentem Platonicorum, cum Elegia ad Florentiam in laudem prædicti Benivenii, civis florentini: omnia italice, excepta Elegia illa; quæ tamen & ipsa in tuscam translata est linguam. Io. Fran. *Pici* autem, 1) de studio divinæ & humanæ philosophiæ lib. II. Repetiti Halæ saxonum A. 1702. 12. cum præfatione Io. Fran. *Buddei*. In quibus auctor ostendit, quantum divinæ litteræ sint expetendæ, quantumque philosophastri quidam exorbitent, qui eis contemtis humanas adorant. 2) de morte Christi & propria cogitanda libri III. In hisce monstratur, operæ pretium esse, ut anima Christum crucifixum meditetur, eumque sibi pro amussi constituat, qua cuncta dirigat opera, ne in appetendo deliret; deinde ut irascentiæ vim debitos intra limites coërceat; postremo, quoad potest, ex iugi utriusque mortis cogitatione vitia cuncta speciatim singulatimque explodere, virtutes autem arcessere atque inserere enitatur & contendat. 3) Defensio de uno & ente. Videlicet, unum ente non esse superius, sed duo illa sibi invicem respondere. Et hæc quidem Defensio est responsio ad *Antonii Faventini*, egregii philosophi, epistolam IV. nam Io. *Picus* priores tres iam diluerat. 4) de Imaginatione seu ea animi vi, quam Græ-

ci *Φαντασίαν* vocant. 5) Libri II. physici, alter de appetitu primæ materiæ, alter de elementis. 6) de Imitatione, ad Pet. *Bembum*. 7) Theoremata de fide & ordine credendi. In quibus inter alia asserit, in controversiis christianæ fidei perniciose neminem errare, qui recto sit corde, & pro veritate noscenda preces ad Deum indesinenter fuderit: nec eadem semper fuisse necessario credenda, neque eundem servatum ordinem. 8) Declaratio capitis, *In Christo Pater, & Christus in nobis*. Quod ex *Hilarii* libro IIX. de Trinitate sumtum, atque a *Gratiano* positum in Decretis de Consecrat. Distinct. II. 9) *Iustini* philosophi & martyris liber ad gentes, in latinum a Io. Francisco nostro conversus. 10) Heroicum carmen de mysteriis dominicæ crucis, iam dudum in Germaniam delapsis. 11) de Rerum prænotione sive præscientia libri IX. quos *Morhofius* T. II. Polyhist. lib. I. c. 7. § 16. vocat egregios. De variis hic prænotionibus verba facit, ut morientium, prophetarum, vulgi & prudentum, agricolarum, pastorum, nautarum, & medicorum, ac disputat contra superstitionem, idololatriam, falsam prophetiam, divinationem, & speciatim contra astrologiam, chiromantiam, geomantiam, auguria & auspicia, ac omina gentium; item contra ostenta, monstra, sortes, fulgura ac terræ motus, quibus gentes divinabant, nec non magiam illicitam; qua occasione refutat *Proclum* platonicum, *Alchindum*, Rogerium *Baconem*, *Albertum* dictum magnum, Petrum *de Apono*, *Ebraos* magiæ deditos, *Brachmanes* & *Gymnosophistas*, atque *Apollonium* tyaneum: adeoque hi libri, uti recte in titulo operum auctoris nostri seorsum editorum dicitur, pro veritate religionis christianæ adversus superstitiosas vanitates scripti sunt. 12) Examen vanitatis doctrinæ gentium, & veritatis christianæ disciplinæ. 13) Epistolarum libri IV. 14) Oratio ad LEONEM X. Pontificem & Concilium lateranense, de reformandis moribus. In qua legum veterum custodiam atque observationem revocandam esse, pie & mascule contendit. Vide *Hottinger*. Hist. eccles. sæc. XVI. P. II. 46.

Io. *Picus*, Ioannis Francisci filius, Mirandulæ & Concordiæ Comes, in discendo celerrimus, tamque promta memoria praeditus, ut audita semel a recitante carmina, & directo & retrogrado ordine, summa omnium admiratione, recenseret, studiis operam dedit Bononiæ, Ferrariæ & in Gallia, in iisque, maxime suo ipsius

us labore atque industria, tantum profecit, ut ante XXIV. ætatis annum ex omnibus philosophiæ & theologiæ partibus, immo ex ipsa etiam Cabbala petitas Quæstiones sive Propositiones, aliis inauditas, Romæ publice affigeret, pollicitus, se soluturum eis impensas, qui ex remotis oris disceptandi gratia Romam se contulissent. Verum obtrectatorum nequitia, & intempestivus imperitorum zelus tantus fuit, ut nullo modo efficere potuerit, dies ut disputationi præstitueretur. Hunc tamen ex ista persecutione habuit fructum, ut in se descenderet, verosque errores suos corrigeret, & misso gloriæ ac vanitatis mundanæ studio, ignique traditis latinis & italicis, quibus amores luserat, carminibus, totum se Dei amori & sacrarum lectioni scripturarum, in quibus veram sapientiam, veramque, & Demosthenis ac Tullii facundiæ præponendam eloquentiam se invenisse gloriabatur, ac piis lucubrationibus & assiduis precibus, summæque erga pauperes liberalitati dicaret & traderet; atque in hoc exercitio, cum singulari modestia & comitate, qua honores mundanos, ipsumque etiam Cardinalatus fulgorem contemsit, quemvis autem virtutis ac probitatis studiosum, licet tenuis esset sortis & parum minimeve doctus, æstimavit, suoque dignatus est colloquio, perrexit usque ad vitæ finem, qui aliis quidem præproperus, ipsi autem eo, quod iam Dei offensis terminus poneretur, terque quaterque felix videbatur. Correptus enim atque abreptus est febre, cum Florentiæ commoraretur, A. C. 1494. ætatis 32. Cognomine *Phœnix* appellatus est, *suique temporis prodigium*; & merito quidem, iudice Paulo *Iovio*, quod in eum Dii superi supra familiæ claritatem, omnia corporis & animi vel rarissima dona contulissent: mira enim altitudine subtilis ingenii, decora facie, multarum linguarum, interque eas etiam ebrææ, chaldaicæ & arabicæ, notitia, lectissimis moribus, & incomparabili, cum disputaret aut scriberet, facundia omnes illius sæculi homines ac sapientes in sui admirationem facile convertit, neque eius splendori officere potuerunt sive invidi & obtrectatores, sive astrologorum turba, sive alii adversarii, inter quos Antonius erat *Faventinus*, operis de uno & ente oppugnator, egregius alioquin philosophus. Denique stilo usus est non quidem exquisito admodum, totumque Isocratis patrisve eloquentiæ romanæ myrothecion consumente, ingenuo ta-

tamen & perspicuo, ac pro rerum varietate etiam multiformi, & philosopho christiano conveniente. Io. Fran. *Picus* in eius Vita, *Lexicon univ. histor.* T. IV. 198. *Naudaus* Apol. pour les grands hommes c. 17. p. 358. G. C. *Wagner* disp. de erudit. spirit. famil. usu suspectis p. 32. *Moller* de homon. 711. 889. *Morhof.* Polyh. T. II. 38. 516. *Thuanus* lib. VIII. 163. *Boineburg* Epp. p. 304. *Du Pin* Biblioth. eccles. T. XII. 106. 108. *Werlhof* Program. in natalem Christi A. 1702. B. *Magirus* 596. *Pope-Blount* 497. & *Erasmus* in Ciceroniano.

Io. Fran. *Picus*, Galeotti filius, Io. Fran. nepos, adeoque Io. Franciscus II. Mirandulæ Dominus seu Princeps, & Concordiæ Comes, græce & latine doctissimus, non tantum ea, quæ patruus ipsius, Ioannes Picus, sæculi sui phœnix, imperfecta reliquerat, collegit, & absoluta typographis tradidit, sed ipse multos, quamvis non satis puro stilo conscripsit libros, atque inter eos Historiam suorum temporum, librum de Providentia, de Dialectica libros V. Hymnos carmine hexametro, Dialogum de serena conscientia, de Appetitu primæ materiæ librum I. de Elementis, de Imitatione stili, Epp. II. ad Santem Pagninum, Digressionem de immortalitate animæ, & Orationem de reformandis moribus. Mira bonus Princeps, qui se litteris ac pietati totum dedit, habuit fata: non enim minus a fratre suo Ludovico, quam a Gallis fuit eiectus, sed & restitutus, tandemque A. 1533. ab illius filio Galeotto, dum preces faciebat ad Christum genibus innixus, una cum Alberto suo filio nefarie trucidatus. Paul. *Iovius* in eius vita, *Frisius* Epit. Biblioth. Gesner. 438. *Roullius* Promtuar. icon. insignior. 213. & *Lexicon univers. histor.* T. IV. 198.

XXXIX.

Fran. BACONI de Verulamio Opera omnia, cum augmento tractatuum adhuc ineditorum, & ex idiomate anglicano in latinum translatorum a Sim. Io. *Arnoldo.* Lipsiæ 1694. Auctior itaque hæc est editio francofurtensi A. 1644. & 1665. itemque londinensi A. 1638. at tamen non satis correcta & emendata. Suntque sequentia: 1) de Dignitate & augmentis scientiarum libri IX. p. 1. In quibus statum præsentem, in quo versentur scientiæ, quæque desiderentur, ut ad perfectionem adducantur, ostendit, negans, magnum profectum esse sperandum in illis inveniendis, nisi alia adhibe-

antur

antur media, quam quæ adhuc fuere adhibita: Logicam enim, qua utimur, aptiorem esse ad scholarum disputationes fovendas, quam ad veritatem eruendam, eaque nos potius doceri de vocibus vitilitigare, quam rerum substantiam penetrare: unde & *Aristotelem*, cui artem hanc acceptam referimus, Physicam suam Logicæ accommodasse, cum contra Logicam suam Physicæ debuisset attemperare, ac naturalem ordinem invertendo finem mediis subiicere. 2) Novum organum scientiarum, cum Parasceve ad Historiam naturalem & artificialem. p. 267. Opus hoc, cui ipse in Dedicat. Dialogi de bello sacro p. 1296. inter scripta sua primas tribuit, neutiquam sane cogitatio umbratilis, aut cerebri proprii commentum est, sed veluti fixa & radicata notio, multorumque annorum & improbi laboris proles, in eoque novam Logicam docet, cuius præcipuus scopus est bonam inductionem contexere quemadmodum Logicæ aristotelicæ finis principalis est formare syllogismum. 3) Historia ventorum. p. 433. In qua tamen eum Ren. *Rapinus*, iesuita parisiensis, Animadvers. in Physic. nimiæ accusat credulitatis, quod relationibus huius materiæ sibi subministratis æquo maiorem fidem tribuerit. 4) Historia vitæ & mortis. p. 485. Cuius scopus est, animalium, atque in primis hominum longævitatem efficere ac promovere. 5) Liber de naturali & universali philosophia. p. 573. In quo continentur 1. Cogitata & visa de interpretatione naturæ, sive de inventione rerum & operum: cum Thomæ *Bodleii* Epistola, qua candide illa expenduntur. 2. Descriptio globi intellectualis. 3. Thema coeli. 4. de fluxu & refluxu maris. 5. de principiis atque originibus secundum fabulas Cupidinis & Coeli, sive Parmendis & Telesii; præcipueque *Democriti* philosophia in fabula de Cupidine. Quibus adduntur Impetus philosophici, sive notata amanuensis ex familiaribus magni viri colloquiis. Ecquænam illa? 1. Iudicia vera de interpretatione naturæ. 2. Phænomena uniuersi, sive Historia naturalis ad condendam philosophiam. 3. Scala intellectus, 4. Prodromi, sive anticipationes philosophiæ secundæ. 5. Cogitationes de natura rerum, deque sectione corporum, nec non continuo & vacuo. 6. Inquisitio de motu. 7. de auxiliis mentis, & accensione luminis naturalis. 8. de interpretatione naturæ Sententiæ XII. 9. Procemium de interpretatione naturæ. 10. Topica inquisitio de luce & lumi-

lumine. 6) Silva ſilvarum, ſive Hiſtoria naturalis, latine reddita a medico quodam. p. 749. In qua experimenta traduntur circa varias res phyſicas. 7) Nova Atlantis. p. 967. Fabulam hanc eo animo confinxit auctor, ut in ea modulum quendam & deſcriptionem Collegii ad interpretationem naturæ inſtituendi, & nomine *Domus Salomonis*, ſive *Collegii operum VI dierum* inſigniendi, exhiberet. In eadem quoque librum de legibus, ſive de optimo civitatis ſtatu condidiſſet, niſi prolixitas operis, Hiſtoriæque naturalis colligendæ deſiderium ab hoc eum opere abſtraxiſſent. 8) Hiſtoria regni HENRICI VII. Angliæ Regis. p. 995. Opus vere politicum; quod etiam laudatur ab Hug. *Grotio*, *Conringio*, *Forſtnero*, & *Bæclero*, at quantis nominibus! ut magno cum iudicio, eleganter ac prudenter, atque ad formam vitæ AVGVSTI a Tranquillo concinnatæ ſcriptum. Hiſtoriæ huic p. 1131. ſubiicitur Index vocabulorum ea contentorum, quæ Anglis ſunt peculiaria. 9) Sermones fideles, ethici, politici, oeconomici, ſive Interiora rerum. p. 1135. Illi ex omnibus auctoris operibus fuerunt acceptiſſimi, eo quod præ ceteris hominum negotia ſtringere, & in ſinus fluere viderentur; nec ipſe diffitetur, eſſe ex optimis fructibus, quos gratia divina calami ſui laboribus indulgente exhibere potuerit. 10) de Sapientia veterum liber. p. 1243. In cuius Præfatione agit de fabularum origine & ſcopo, ſuoque in hiſce tractandis propoſito, illas videlicet non eſſe inventas, a quibus recitentur & celebrentur, ut *Homero*, *Heſiodo* & ceteris, ſed tradi ac referri, tanquam prius creditas & receptas, nec tantum facere ad involucrum & velum, ſed etiam ad lumen & illuſtrationem, ſive ad inſtitutionem & informationem hominum, ſeque hic antiquitatem & res ipſas illuſtraturum, &, dum alii rerum imperiti, nec ultra locos certos communes docti parabolarum ſenſus ad vulgaria quædam & generalia applicaverint, veram autem earundem vim & proprietatem genuinam, ac indagationem altiorem non attigerint, apertis & planis a tergo relictis, ad ulteriora & nobiliora excitato greſſu contenturum. 11) Dialogus, aut potius Fragmentum dialogi. de bello ſacro. p. 1293. Qui eſt mixti ex rebus ad religionem ſpectantibus & civilibus argumenti, in eoque diſputatur, an populis infidelibus, & præcipue potentiſſimo & maxime formidabili hoſti Turcæ bellum, ut appel-

appellant, facrum iure inferri poſſit. 12) Opus illuſtre in memoriam ELISABETHAE Reginæ Angliæ. p. 1311. Quam ut felicem Reginam proponit. 13) Imago civilis IVLII Cæſaris. p. 1323. Cum epiſtola ad P. Fulgentium, in qua de ſcriptis ſuis diſſerit. His in nova hac editione ultra XXX. acceſſerunt Tractatus hiſtorico-politici ac morales, antea nunquam editi, ſed tandem ex anglico ſermone latine redditi a Sim. Io. *Arnoldo*, qui in Præfatione, auctoris Vitæ ſubiuncta, veniam precatur erroribus, qui irrepſerint, atque in gentis anglicanæ ritibus, iudiciorum terminis, & officiorum appellationibus non omnia ſe aſſecutum eſſe fatetur; ſuntque ſequentes: 1. Diſſertatio de felici Scotiæ cum Anglia unione. p. 1325. 2. Articuli quidam, illam concernentes. 3. Oratio de Scotis civitate donandis. 3. de Vnione legum. 4. Cogitata de colonis in Hibernam deducendis. 5. Legum anglicanarum conlectio & emendatio. 6. Notæ in controverſias eccleſiæ anglicanæ. 7. Conſiderationes quædam expendentes meliorem eccleſiæ anglicanæ pacificationem atque ædificationem. 8. Conſilium circa domini *Suttoni* legatum, *Placeat Maieſtati veſtræ*. 9. Obſervationes in libellum A. 1592. publicatum, qui inſcribitur *Declaratio*, quæ cauſæ ſint genuinæ magnorum in regno motuum: & exiſtimatur eſſe adverſus regnum Angliæ conſcriptus. 10. Vera relatio abominandæ conſpirationis, a Rod. *Lopez* doctore med. in Reginam ELISABETHAM, quam pecunia ab Hiſpan. Rege corruptus veneno tollere debebat, deſignatæ. 11. Apologia adverſus quædam ipſi imputata in cauſſa Comitis Eſſexiæ. 12. Conſiderationes de bello hiſpanico. 13. Orationes in Parlamento, Camera ſtellata, Banco regio & Cancellaria habitæ. 14. Confeſſio fidei. 15. Precatio, ſive pſalmus auctoris. 16. Hiſtoria Magnæ Britanniæ incepta. 17. Epiſtola & diſcurſus ad Henr. Savilium de ſubſidiis facultatum intellectualium. 18. Hiſtoria HENRICI IIX. Vix cœpta, ne dum abſoluta. 19. Tentamen de fama.

Franciſcus *Baconus*, natus in palatio eboracenſi iuxta Londinum patre Nicolao Bacono Equite aurato, magnique Sigilli Angliæ cuſtode, ac Reginæ ELISABETHAE conſiliario, & matre Anna Coca, græcæ & romanæ linguæ peritia non mediocriter imbuta, poſt ſtudia in alma academia cantabrigienſi abſoluta, &

confectum duplex iter gallicanum, variis honoribus ac muneribus in patria ornatus, (fuit enim, si officia attendas, unus ex iis, qui Consilium doctum extraordinarium formabant, Regis sollicitator generalis, Atturnatus Regis generalis, sive procurator primarius, sanctioris Consilii membrum, Custos magni sigilli; sin honores, primum Eques auratus, dein Baro de Verulamio, postremo Vice-Comes S. Albani) Reginæ ELISABETHAE ac Regi suo *Iacobo*, quam potuit, fidelissime servivit, & negotia suavibus modis tractare scivit. Verum, licet malevolentiæ alias expers esset, magnamque domi & foris famam consecutus, tantum tamen adversus eum valuit invidia aulica, ut a Rege sapientissimo optimoque muneribus suis privaretur. Sed ille hanc adversitatem forti & christiano animo toleravit, seque dicto illo scripturæ, *Nihil est novi*, (meminit enim, eandem fortunam innocentissimos viros passos esse, *Ciceronem* apud Octavianum, *Callisthenem* apud Alexandrum, *Senecam* apud Neronem) solatus, tempus negotiis alias publicis impendendum consumsit in scribendis atque expoliendis libris, qui ipsi erant instar liberorum, quorum nullos habebat, & quibus non uni regno, sed pluribus, immo universitati utilitatem afferret; tantumque aberat, ut Regis memoria excideret, ut hic potius, difficili & intricato negotio se aliquando offerente, diceret: *Vtinam Baconus, meus olim Cancellarius, mihi superesset: quam facile hinc me expedire vellem!* Fuit certe vir magnis virtutibus & animi dotibus præditus, divini Numinis cultor, si quisquam alius, humillimus, humanus erga quosvis, iniuriarum patiens, a vindicta alienus, frugalis in victu, sed piis ac eruditis sermonibus convivas ædificans, quæque disiuncta & singula alios possunt celebres reddere, in ipso coniuncta resplendebant, ingenii videlicet acumen, memoria fida, iudicium penetrans, & elocutio profluens: unde & pro primo agnoscitur laudaturque, qui anglicanum idioma ad puritatem traduxerit. *Rapinus* quidem scribit, Baconum esse ingenium vagum, qui de rebus nunquam enucleate differat: nimiam eius doctrinam accuratum esse non sinere: pleraque eius dogmata ulterioris potius meditationis ansam præbere, quam axiomata, quæ sequi teneamur: eius opiniones aliquid acuti & splendentis habere, & ignis scintillas potius, quam constantem & nativam lucem referre; non tamen negare sustinet, multum ingenii

ingenii in moralibus ostendisse, vastam ei scientiam fuisse in tradendis ac illustrandis rebus physicis, primumque apud Anglos amorem excitasse philosophiæ: cui sane quam maxime deditus fuit, eamque plene haustam ad Deum denuo reducere iudicavit. Sed quantus quantus erat, & quantumcunque longævitati promovendæ operam navare studuit, a morte tamen neque exemtus erat, neque se exemtum iudicabat; sed eam, febri lenta & catarrho vehemente correptus, pie subiit A. 1626. æt. 66. sepultus in ecclesia S. Michaëlis, fano S. Albani vicina, ubi Thomas *Meutesius* defuncto monumentum posuit, in quo vocatur scientiarum lumen, facundiæ lex. Auctor *Vitæ Baconi*, hisce operibus præfixæ, quæ etiam repetitur a *Wittio* in Memor. philosoph. P. I. 280. *Crassus* P. I. de gl' Elogii d' huomini letter. 223. *Pope-Blount* 903. *Acta erud.* A. 1694. 400. *Neu. Bucher saal* T. III. 430.

Iacobi THOMASII Specimen Tabularum novarum in Hugonis *Grotii* de Iure belli & pacis libros. A. 1670. Editum non ab ipso auctore, quippe qui maluisset, ut alius huiusmodi tabulas, quales hæ sunt, esse saltem conantur, populariter proponat, atque ostendat, in quibus magnus Grotius vel a cælestis doctrinæ puritate, vel ab humanæ sapientiæ rectitudine deflexerit; sed a Frid. Benedicto *Carpzovio*, cui is illud, a se abdicatum, liberaliter donaverat, ne in eius publicationem consentire videretur.

Iac. *Thomasius*, lipsiensis, primum Scholæ nicolaitanæ in patria collega tertius, post conrector, inde ethices, porro dialectices, ac demum eloquentiæ professor, pariterque Scholæ thomanæ rector, vir litteratissimus, vereque philosophus christianus, mortis meditatione, in qua vera consistit philosophia, prostravit febriles insultus, subegit carnem, & mundum, mortemque & diabolum vicit, quamvis mortis imperio, naturæ, seu potius Dei decreto, se se lubens subiiceret anno Christi 1684. ætatis 63. Vivit autem, vivetque tam in illustribus filiis, *Christiano* & *Godofrido*, quam in scriptis suis præstantissimis; e quibus præcipua sunt: Prælectiones in Regulas philosophicas Dan. *Stahlii*, Dissertatio de plagio literario, de stoica mundi exustione Dissertationes XXI. Orationes XXI. Præfationes sub auspicia disputationum suarum, Schediasma historicum de ultimis originibus theologiæ mysticæ & scholasticæ, Continuatio Dictionarii historici Io. *Micraelii*, &

Diſputationes ultra LXXX. quas inter eminent hæ ſequentes: de cingaris, de mandragora, de hibernaculis hirundinum, de oſtraciſmo, de viſu talparum, de Scabinis, de indicibus Papiſtarum expurgatoriis, de inſignibus IV. euangeliſtarum, de Miniſtriſſimo, de barba, de doctoribus ſcholaſticis latinis, de *Petro* Dreſdenſi, de Nigello *Vireker*o, & ſtili ethniciſmo circa iurandi adverbia fugiendo. *Witte* Diar. biograph. Xxxx 2. *Hagen* in Memor. philoſoph. 273. Apud *Crenium* Animadverſ. P. XVII. p. 6. audit multiplicis ſcientiæ ſcriptis & ſingulari pietate memorabilis vir; & p. 48. vir inter optimos quosque numerandus.

Io. Chr. STVRMII Matheſis compendiaria. Altdorfii 1693. Altera editio, eaque auctior & emendatior. Nimirum traduntur hic tirocinia mathematica tabulis Matheſeos generalis, arithmeticis, algebraicis, geometricis, trigonometrica, opticis, architecturæ militaris, architecturæ civilis, chronologicis, ſtatica ſive mechanica, horologiographica & chiromantica comprehenſa, & figuris in æs inciſis illuſtrata.

EIVSDEM Scientia coſmica, ſive Aſtronomia, tam theorica, quam ſphærica, paucis tabulis in uſum incipientium comprehenſa, æneisque ſchematiſmis & problematibus variis, uſum cæleſtis globi edocentibus, illuſtrata, Altorfii A. 1670.

Io. Chriſtoph *Sturmius* Hilpoltſteina-palatinus, Erh. *Weigelii* diſcipulus, primum Deiningæ Rætorum in Comitatu oettingenſi paſtor eccleſiæ, deinde in academia altorfina mathematum & phyſices profeſſor maxime induſtrius ac celebris, immo ſtudiorum mathematicorum, quæ prius a diſcentibus negligebantur, felix inſtaurator, nec male a collectoribus *Actorum erudit.* ad A. 1699. p. 257. μαθηματικώτατος appellatus, meusque, quamdiu in academia patria docui, (docui autem XX. annos) collega coniunctiſſimus, vir pius, probus, candidus, integer, aperti oris, iuſtitiæque & veritatis ſtudioſiſſimus, præter magnum diſputationum numerum, multis aliis ſcriptis famam ſibi comparavit, videlicet libello de Vniverſalibus *euclideis*, *Archimedis* calculo arenæ, *Archimede* germanico, Obſeruationibus ad *Welperi* Gnomonicam, Collegio curioſo experimentali, tractatu de Coniunctione planetarum Saturni & Iovis, Phyſica conciliatrice, Phyſica hypothetica, Matheſi enucleata, Matheſi iuvenili, Philoſophia eclectica, Iridis admiran-

mirandis, Physica erotematica, Calendariis, Epistolisque & scriptis contra H. *Morum*, G. G. *Leibnitium*, Gunth. Christoph *Schelhammerum*. Transtulit quoque *Boecleri* Architecturam curiosam in linguam vernaculam, auctiusque edidit Is. *Habrechti* Planiglobium coeleste ac terrestre, & laborum finem fecit anno 1703. ætatis 68. Vide *Programma* Acad. altorf. in funere eius positum, *Kœnig*. 783. & auctorem *Ostensionis* (der Vorstellung) falsationum G. Arnoldi p. 56.

Danielis STAHLII Compendium metaphysicum in XXIV. tabellas redactum, cum eiusdem Discursibus seu explicatione. Ienæ 1686. Editio quinta.

Dan. *Stahlius*, Hamelburgo-francus, absolutis in academiis argentoratensi, giessensi, ienensi, & francofurtana ad Viadrum studiis suis, ea ætate, qua logici & metaphysici libri magna cura & labore evolvebantur, in ienensi lyceo professioni logices & metaphysices admotus, utrumque hunc lapidem XXXI. annos naviter atque indefesse movit, donec anno 1654. ætatis 66. ex febri continua obiret, & in academiam cælestis ac certioris Metaphysicæ transferretur. Fuit tunc philosophus famigeratissimus, immo auctor *Programmatis funebris*, publico nomine positi, eum agnoscit pro philosopho, cui sæculum suum vix parem noverit. En autem fœtus ingenii Stahliani: Canones metaphysici, Regulæ philosophicæ, Institutiones logicæ, Quæstiones logicæ, Institutiones metaphysicæ, Philosophia moralis, Notæ & Animadversiones in Conr. *Horneii* Compendium dialecticæ, & multæ Disputationes; inter quas una est de Generum & specierum divisione, contra Laur. *Vallam*, & Io. *Hospinianum*. *Witte* in Memor. philosoph. P. II. 166. Adr. *Beier* in Ienens. p. 1021. *Morhof* Polyh. T. II. 514. 516.

XL.

Nic. GOLDMANNI Instructio ad architecturam civilem, Anweisung zur civil baukunst, aucta per Leonh. Christoph. STVRMIVM. Germanice. Brunsvigæ 1699. Hoc in opere plenior etiam templi hierosolymitani expositio traditur, & bene multæ exhibentur icones seu figuræ. Vide Io. Henr. *Michaëlis* coroll. III. disp. de Accent. hebr. metri, & *Acta erudit*. A. 1697. 49.

Nic. *Goldmannus*, vratislauiensis, post varia itinera, Lugduni Batavorum informavit iuuenes in mathesi, ediditque librum de Stilometris, aliumque de Vsu proportionarii, ac mundo huic valedixit A. 1665. æt. 42. A nobilissimis *Actor. erud.* collectoribus laudatur, quod non infimo inter eruditos propter ingenium honore ac nomine iam diu fuerit, suamque orbi literario in architectura tam civili, quam militari peritiam satis demonstraverit.

L. C. *Sturmius*, Io. Christophori filius, primum in Academia Equitum illustri wolfenbuttelana, deinde in universitate viadrina matheseos professor, postea seren. Ducis meclenburgici a consiliis cameralibus, & supremus rerum architectonicarum director, præter alia scripsit Demonstrationem de S. coena mathematicam, in qua verbum institutionis τοῦτο exponit per ὧδε. Sed ei se opposuerunt publicis scriptis Io. Ioach. *Weidner*, Io. Alb. *Fabricius*, Henning *Huthmann*, Ern. *Mushard*, Casp. *Neumann*, Io. *Senstius*, Sebast. *Edzardus* sub larva Io. Arnoldi *Pragemanni*, Io. Fran. *Buddeus*, Fran. Alb. *Aepinus*, *Professores theologiæ halenses*, Casp. Henr. *Starck* L. Gottfr. *Kohlreiff*, & alii; contra quos ille tamen se defendere laboravit.

XLI.

Fran. Phil. FLORINI Allgemeiner klug und Rechts verstændiger Hausvater, siue Oeconomus prudens & legalis, cum annotationibus iuridicis D. Io. Christoph. *Donaueri*. Noribergæ 1702. Opus hoc constat IX. libris, quorum primus tractat de fundamento oeconomiæ, siue coniugio & officio patris ac matris; secundus de re ædili & ad eam pertinentibus materialibus; tertius de oeconomia in urbibus, pagis ac villis; quartus de re hortensi; quintus de cura equorum; sextus de re bombycina; septimus de re pistoria & cerevisiaria; octavus de anatomia & medicamentis; nonus de coquinaria. Hanc partem, ut in Præfatione promittitur, sequi debebat altera, agens de vita aulica. Sed adhuc quidem non est visa.

Pag. 1208. Salita caro, quæ fumo induranda est, in certis vasis servatur, *donec sal se resolverit*. Post hæc *quotidie aqua salis perfunditur*, quoad caro a- *Caro bovina* sale adspersa, quatuor duntaxat noctibus, *sui*[illegible] vero pro diversitate ætatis & conditionis ipsius, siue una, siue duabus, siue tribus hebdomadi-

qua illa probe affecta & macetata est. madibus servanda, atque interea *illa aqua, in quam sal resolutum est*, non autem peculiari aqua sale permista quotidie perfundenda, tum vero sive in camino, sive in peculiari conclavi, quod vocant *Die rauchkammer*, fumo tradenda est, donec induruerit, quantum satis est.

Fran. Phil. *Florinus*, P. in Edelsfelden & Kirmreuth, quæ loca sita sunt in principatu Solisbacensi serenissimi ad Rhenum Comitis palatini.

Christoph. *Donauer*, ratisbonensis, I. V. Doctor, Principis Nassovici, & S. R. Imperii Liberæ Civitatis Nordlingensis consiliarius, cum Altorfii privatus esset doctor, variasque scholas aperiret iuridicas, magnum studiosorum adplausum meruit, publiceque moderatus est disputationes de prudentia interpretandi statuta, deque transactione legis cum reis delictorum de existimatione, per aggravationem pœnæ, occasione potissimum L. 13. § 7. ff. de his, qui not. infam. finem vitæ faciens A. 1719.

XLII.

Ioach. VON SANDRART Teutsche Academie der baubild-und mahlereykünste, Academia teutonica architecturæ, sculpturæ, & pictoriæ, Noribergæ 1675. Cum aliis eius scriptis. Volumina II. Traditur hic solida instructio de natura, regulis, & mysteriis trium illarum artium, & ægyptiacorum, græcorum, latinorum, italicorum, & germanicorum artificum vitæ ac præclariora opera describuntur, figuræque excellentissimorum operum, atque icones præstantissimorum artificum exhibentur, stilum ad hoc opus commodante Christoph. *Arnoldo*. Vide *Acta erud.* A. 1683. 418. *Meibomium* Addit. ad Vogleri Introduct. p. 200. & *Morhofium* Polyh. lib. I. p. 250. Similia scripta sunt: Cabinet des singularitez d' architecture, peinture, sculpture & graveure, figurées sur les tableaus, les statues, & les estampes, par Florent *le Comte*, a Paris

à Paris 1699. 1700. tomes III. 8. Entretiens sur les vies, & sur les ouvrages des plus excellens peintres & architectes anciens & modernes, par Mr. *Felibien.* a Londres 1705. tomes V. 12. Abregé de la vie des peintres, avec des reflexions sur leurs ouvrages, par Mr. *de Piles.* a Paris 1715. 12. Polygraphice, or the Arts of drawing, engraving, esching, limning, painting, vernihing, japaning, gilding &c. de qua *Eccardus* in Excerptis menstruis A. 1701. 70. m. Februar. & Tim. *Poli* Theatrum artificum, opificum, inventorum &c. germanice. In gratiam eorum, qui Italiam obeunt aut obituri sunt, indicabo hic nomina aliquot insignium pictorum. Enim vero *Titiano* est Titianus Vecellius, *Raphaël d' Vrbino* Raphaël Sanctius, *Bassano* Iacobus a Ponte Bassano, *Paolo Veronese* Paulus Calliarius, *Tintoretto* Iacobus Robusti, *il Padouanino* Alexander Varotarius.

EIVSDEM Curriculum vitæ & opera artificiosa, per eius agnatum & discipulos. 1675.

Caroli a MANDER Explicatio Metamorphoseos Ovidianæ, e belgico in Germaniæ superioris idioma translata. 1679. In Præfatione differitur de consuetudine veterum philosophorum & poëtarum, sub involucris fabularum moralia & salutaria præcepta occultantium; cuius rei vestigia deprehendantur in sacra etiam scriptura veteris & novi foederis. Itaque & auctor huius Explicationis primo narrat factum, in quo fabula fundata est; deinde docet, quæ sit naturalis eius explicatio; cui denique subiungit doctrinam & utilem applicationem. Atque hæc hactenus continentur I. volumine. Alterum impressum anno 1679. tres habet partes, quarum prima agit de architectura, secunda de sculptura, tertia de pictura, in eoque oculis ad summam delectationem exponuntur L. figuræ, cum iconibus XII. priorum Imperatorum romanorum, & LXXX. antiquitatibus levis sculpturæ, nec non iconibus aliorum pictorum, & antiquorum assyriacorum, græcorum, romanorum, Monarcharum, Imperatorum, legislatorum, consulum, philosophorum, poëtarum, aliorumque virorum ac feminarum celebriorum. Post hæc sequitur Iconologia deorum. A. 1680. Cui adiungitur Templum honoris Ordinis palmiferi, seu descriptio eorum, qui illius sunt membra, cum iconibus aliquot Principum, prædictum Ordinem splendore at-

re atque eminentia sua ornantium, ac vicissim ab eo ornatorum. Vide *Placcium* de pseudon. 471. & *Mollerum* de homon. 885.

Vol. I. P. II. lib. I. p. 52. exhibetur *effigies Senecæ*,	Effigies Senecæ in marmoribus Farnesianis & apud Vrsinum *non est vera. Scaligerana* 154.
Lib. II. c. 1. p. 61. Gnug ists, wenn man nur sagt, dass *ich* *Giotto* sey.	Gnug ists, wenn man nur sagt, dass ich *der* Giotto sey. Vox enim Giotto non est trium, sed duarum syllabarum: *Dschotto*.

Ioach. *a Sandrart* in Stockau, Francofurti ad Moenum natus, inter Germanos sæculi sui Apelles, & antiquitatum atque elegantiarum technicarum promus condus fidelissimus, præterea humanus, civilis, disertus ac pius, atque ideo summis viris, immo & Principibus valde gratus, magnique æstimatus, adeo ut Sereniss. Comes palatinus ad Rhenum Neuburgicus consiliariis eum suis adiungeret, obiit Noribergæ anno 1688. æt. 82. Ab eruditissimo patricio ac postea senatore noribergensi, Georg. Phil. *Harsdörfero* in Vitæ suæ descriptione p. 19. vocatur princeps pictorum excellentissimus, idemque in eius honorem sequens fecit epigramma:

Cum, Sandrarte, *tuas tabulas Natura videret,*
Queis facies rerum perpetuare soles:
Obstupuit, tinxitque genas pudibunda rubore,
Optans esse suum, quod vides Artis, opus.

Nec immerito: nam, ut unicum adferam exemplum, inter XII. mensium picturas, quæ ad potentissimum Bavariæ Ducem atque Electorem MAXIMILIANVM pervenere, in Novembris repræsentatione adeo affabre, adeoque perfecte leporem, quem in dorso gestat venator, depinxit, ut explicata ab Electore, qui tum venationi operam dabat, & venatoribus canibusque venatoriis cinctus erat, canes accurrerint, leporem, quem esse verum putabant, arrepturi, prædamque magno hero suo facturi. Qua de re legi potest *Vita Sandrarti* p. 13. 19.

Carolus *van Mander*, nobilis e Flandria, hereditarius in Meulebreck, excellens non minus poëta, quam pictor, varia passus adversa fata, & tandem ab imprudente medico præmature traditus morti, exspiravit anno 1607. & sepultus est Amstelodami. Vertit belgicam in linguam Iliades *Homeri*, Bucolica & Georgica

Virgilii, & psalmos *Davidis*, aliasque, quæ iam in *Belgio* cantantur, spirituales reliquit cantiones, librumque emisit de arte pictoria. *Sandrart* T. II. (in II. Volumine) lib. III. p. 276. Cave etiam, ne eum confundas cnm filio cognomini, & felici artis æmulo. De quo ibidem p. 320.

XLIII.

C. Iul. SOLINI Polyhistor, cum Claud. *Salmasii* Exercitationibus Plinianis. Accedunt Exercitationes eiusdem *Salmasii* de homonymis hyles iatricæ, & commentarius de manna & saccharo. Traiecti ad Rhenum 1689. Antea Parisiis 1629. & primum Venetiis A. 1483. de *quo vide Biblioth. nova Tomum IIX. 796.* Eccur vocat Exercitationes Plinianas? Quia Solinum cum Plinio contulit. Hæc autem ratio appellationis inepta videtur *Morhofio* in G. I. Vossii Epistolis p. 99. Ante omnia notandum, duas esse huius libri Soliniani editiones. Prior ab alio potius, quam Solino publicata, titulum gerebat Collectaneorum rerum memorabilium; posterior, eaque ab ipso emendata auctore, sub nomine Polyhistoris prodiit. In eo describit situs locorum & tractus maris, cum commentatione rerum memorabilium, ut arborum, gemmarum, animalium variis in regionibus, servata orbis distinctione, qualis a Plinio in geographicis observatur. Nimirum Salmasius integrum Plinium aggredi & explicare noluit, quod tam vastus labor viribus ipsius, aut potius patientia maior esset: interim satis prodidit, quænam sua sit de Plinio sententia, quidve in scriptis eius probandum, quid damnandum, ac quousque procedendum sit in illius admiratione: immo Solinum ac Plinium sequens, totam naturam pandit, & admirandæ industriæ codicem nobis dedit, sicut summi viri, H. *Grotius* & H. *Conringius* agnovere. Hinc etiam hoc opus ceteris eius omnibus anteferendum iudicatur, & contra Petavium defenditur a Io. *Vorstio* præf. in Hebraism. N. T. Ei Præmittuntur 1) Dedicatio *Salmasii* ad Remp. Venetam, cuius laudes pro merito decantat. 2) Prolegomena in Solinum, in quibus differit de Solini patria, ætate, & libro, quem Polyhistoris nomine insignivit; item de furtis litterariis veterum scriptorum, *Apuleii* libris Metamorphoseon, *Gellii* præfatione Noctium atticarum, sub earundem finem immerito quondam reiecta, pravo veterum consilio

ſilio bonos ſcriptores in epitomas redigendi, veterumque ratione contexendi indices librorum, ab hodierno more diverſa. *Acta erud.* A. 1689. 245. Curam huius novæ editionis geſſit vir elegantis ingenii & doctrinæ Sam. *Pitiſcus*, isque Addenda ſuis quæque locis repoſuit, capita Exercitationum ad numeros Polyhiſtoris digeſſit, ſingulisque commata præfixit, & indices, non quidem ampliores, ſed abſolutiores & caſtigatiores ſubiecit. In Tomo II. ex hibentur Exercitationes de homonymis hyles iatricæ, ſive de herbis, quæ pluribus nominibus apud auctores appellantur, iisque præmiſſa ſunt 1) Io. Bapt. *Lantini* ſenatoris divionenſis Prolegomena, in quibus Salmaſium aliquoties pro merito laudat, eiusque Commentarios de Militia romana & Re veſtiaria promittit, ſeque folia Sibyllæ collegiſſe narrat, id eſt, ſparſa nullo ordine & disiecta volumina, in quibus auctor, more veterum, non ut nos expanſa charta, ſcribere ſolitus erat, in eam ſeriem digeſſiſſe, quæ aptiſſima, & ipſius propoſito maxime convenire viſa ſit; ſed alterum tractatum, de Synonymis hyles iatricæ, aut ab auctore in chartam non coniectum, aut in ſchedis disiectum, certe nuſquam repertum eſſe. 2) *Salmaſii* Prolegomena. Quorum p. 20. per *virum doctiſſimum*, qui vocem Almanach a latino Manacus vel Maniacus deducit, intelligendus eſt Ioſ. Iuſt. *Scaliger*. 3) Eiusdem de Plinio Iudicium. Subiunguntur autem prædictis Exercitationibus 1) Diſſertatio de manna. Qua oſtenditur, mannam naturalem, diſtinguendam ab iſraëlitica, eſſe rorem cœli pinguiorem, qui matutino tempore in orientalibus regionibus cœlo defluat, & herbis arboribusque inſideat, eumque *αγριον μελι* Matth. 3, 4. appellatum, Ioanni in deſerto victum præbuiſſe. 2) Diſſertatio de ſaccharo. In ea docet auctor, hodiernum a priſcorum illo diverſum eſſe.

C. Iul. *Solinus*, patria, ut videtur, romanus, profeſſione grammaticus, C. Plinii Secundi exſcriptor, ſed ducentis ferme annis eo iunior, valuit etiam carmine; id quod patet ex fragmento illius, quod Ponticon vocat, ſi non *ποιητα* dicendum, quia in eo deſcribuntur animalia maris, quodque emendatum in Salmaſii Prolegomenis p. 26. legitur. *Koenig* 763. Io. *Camers* in Vita Solini, *Salmaſius* in Prolegom. G. I. *Voſſius* de hiſtor. lat. l. 3 p. 223. I. A. *Fabricius* Bibl. lat. 413. *Cren.* Animadv. P. II, 2. I.G. *Berger* Diſſert. acad. 223. & *Morhof* Polyh. l. 1. c. 21, n. 14. qui opus Salma-

 ſii

fii in Solinum oceanum vocat eruditionis philologicæ, ficut ipſum Salmaſium, qui Solinum correxit & illuſtravit, P. *Scriverius*, obſervante l. c. I. A. *Fabricio*, Solini ſalem & ſolem.

XLIV.

ATHENAEI Deipnoſophiſtarum libri XV. cum Iac. *Dalechampii* verſione latina, & Adnotationibus ac emendationibus, & Iſ. *Caſauboni* variis lectionibus & coniecturis margini adpoſitis, nec non Animadverſionibus. Acceſſere in aliquot Athenæi loca, virorum duorum illuſtrium (ſunt autem illi Senatores toloſani, & alter quidem Paulus *Fermat*) Coniectanea, quæ notas Dalechampii præcedunt. Lugduni 1657. Editio poſtrema, quæ omnes priores longo poſt ſe interuallo relinquit. Dalechampius in ep. dedicat. latinam ſe interpretationem, quantumvis arduam & operoſam, tentaſſe ait, non quia ſibimet ſic placeret, aut moleſtiſſimas difficultates ſuperaturum ſe confideret, ſed quia exiſtimabat, cotis vice ſe futurum qui exſors ſecandi gladios acuat, adeoque alios eruditione præſtantes excitaturum, qui defectus ſuos ſuppleant & corrigant. *Caſaubonus* Animadverſionibus ſuis Dedicationem præmittit ad HENRICVM IV. Regem chriſtianiſſimum, & Præfationem. In illa virtutes & facta magni illius Regis magnifice celebrat; in hac differit de lamentabili Athenæi corruptione, de prioribus eius editionibus, de emendationibus veterum auctorum, de ſcopo ſuarum Animadverſionum, deque optimo, quod adhuc reperiri potuerit, auctoris exemplari: ait enim, ſe *librum de Critica* accuratiſſima diligentia feciſſe; Athenæi luculentiſſima ſcripta priorum ſæculorum barbariem ita vexaſſe, ut nondum ſtatuerit, magis ne gaudendum ſtudioſis fuerit, non penitus illa intercidiſſe, an dolendum, quod ſic affecta ad nos ſint transmiſſa, parum enim fuiſſe, caput miſero præcidiſſe & pedes, priores videlicet libros duos cum tertii principio, & maxima ultimi parte, adiectam eſſe artuum aliquot luxationem, in ipſum denique truncum ita ſævitum, ut foricina nænia confoſſiorem eum reliquerint; neque Aldinam *Muſuri* editionem, neque baſilienſem Iac. *Bedroti* & Chriſtiani *Herlini*, æque ut veneti (non *Sanctæ* romani) verſionem latinam, magni eſſe pretii; Dalechampium ſibi dixiſſe, per XXX. paullo minus annos horas ſubciſivas ſuæ ſe interpretationi conſecraſſe,

craſſe,

crasse, nec dubium esse, si tantum otii ad hanc ornandam spartam quotidiana ægrorum imperia concessissent, quantum fuit in ipso φιλοπονίας & amoris erga litteras, & meliorem & accuratiorem versionem potuisse ab eo sperari; suum institutum non fuisse, ut in versiones interpretum curiose inquireret, Commentariosve in Athenæum scriberet, sed ut obscuriora illustraret, & vitio librariorum corrupta, quorum interpretibus ne suboluisse quidem videbat, corrigeret; cumque emendandi veteres auctores duplex sit via, *e libris scriptis*, & *ex ingenio*, utramque se viam in corrigendo Athenæo pressisse; ceterum in scriptis auctorum illorum exemplaribus contemplandis ac diiudicandis judicio magno opus esse, magna eruditione, nec mediocri usu; fragmentum libri ultimi cl. viro Gul. *Cantero* deberi; ceteris omnibus denique exemplaribus MSStis & emendatius & integrius esse illud, quod in celebratissima Cardinalis *Farnesii* bibliotheca habetur, ex eo Henr. *Stephanum*, & ex hoc sese profecisse. Quid autem sentiendum de hisce Animadversionibus? Sunt eo dignæ, ait *Lipsius* in Epp. optimæ, secundum *Scaligerum* in Scaligeran. 83. & nihil hic sol eo in genere vidit eruditius, judice *Vossio* l. 4. Instit. orat. Verum quod ad ipsum opus attinet, fingit in eo Athenæus, Platonis Symposium imitatus, se Timocrati narrare, quæ ipse in convivio, quod *Laurensis* romanus, vir opulentus doctissimusque, viris paraverit præstantissimis, ex ipsorum colloquiis percepisset. Erant autem convivæ & hospites illi variæ eruditionis, *Masurius* ICtus, *Montus* poëta, *Plutarchus*, *Leonidas*, *Aemilianus*, & *Zoilus* grammatici, *Pontianus*, *Democritus*, *Philadelphus*, *Theodorus* cynicus philosophi, *Vlpianus* tyrius cum aliquot aliis rhetoribus, *Daphnus*, *Galenus*, & *Rufinus* medici, *Alcides* musicus, ac præterea *Arrianus*, *Vder*, *Palamedes* ac *Myrtilus*, qui occasione potus ciborumque adpositorum iucundos & plenos urbani salis suaviumque iocorum & reconditæ doctrinæ sermones cædunt, & scriptorum omnis generis octingentorum loca (utinam omnia accurate) allegant, atque in medium adferunt. Disputet Rol. *Marosius* ep. 49. contra hanc Athenæi fictionem, eamque absurditatis postulet eo, quod incredibile sit, talia eo modo & in uno convivio tractata, vel tot auctorum tam multa, tamque sæpe longa loca quemquam memoria tenere; nobis sufficit, magnam ex illa utilitatem capi atque hau-

hauriri posse. Sciendum etiam, dari huius operis Epitomen, confectam a grammatico quodam CPtano ante annos circiter sexcentos: unde iactura librorum primi & secundi, cum initio tertii, utcunque resarta fuit.

Lib. XII. c. 12. p. 549. Posidonius stoicus *Scipioni*, quem Africanum appellarunt, in Alexandriam pergenti, comes.

Sed Plutarchus in Apophth. dicit, *in comitatu habuisse Panatium, & quinque servorum familiam.* G. Io. *Vossius* de Hist. gr. l. 1. c. 24. p. 105. De pluribus Casauboni hoc in opere erroribus vide *Critopulum* Cens. Eclogar. Mayeri p. 5.

Casaubonus Animadvers. lib. I. c. 1. p. 6. Ουκ τινα ουκ ιατρον, αλλα θεοφιλη τινα και ιερον, hoc est, ceu *divinum* aliquem virum, *qui* non arte homines sanaret, suaque industria, sed favore Numinis.

Immo sic potius reddendum; ceu *divinatorem* aliquem, *quum* divinus potius esset & sanctus vir. H. L. *Schurzfleisch* in Notit. biblioth. vinar. 91.

Lib. III. cap. 4. p. 156. Antiphanis Σκληριας diu habui de mendo suspectos. Postea reperi incerti poëtæ *fabulam Scleriam* tribus locis apud Stobæum.

Scleriae est *nomen poëtæ comici*, cuius versus allegantur apud *Antonium* Melissæ l. 2. c. 79. *Maximum* in Collectan. c. 63. & *Stobæum* in tribus locis. *Gyraldus* (in *Actu erud.* A. 1696. 233.)

Athenæus, naucratita, seu ex Naucrati celebri Aegypti urbe, grammaticus, scripsit post COMMODVM Imp. tempore M. ANTONINI, ut Dav. *Chytræo* videtur in Chronolog. historiæ Herodoti & Thucydidis p. 50. crediturque auctor esse librorum de Syriæ regibus. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. IV. c. 20. *König* 69. Ab If. *Casaubono* in præfat. vocatur scriptor vere πολυμαθέστατος, vere undecunque doctissimus, &, ut paucis multa complectatur, Græcorum Varro aut Plinius; a *Crenio* in Singular. scriptor. p. 37. Græcorum fere doctissimus scriptor, bibliothecam omnium veterum historicorum, poëtarum, philosophorum complexus. Et lib. II. c. 20. putat idem Casaubonus, virum eruditissimum, qui in ci-

citatione locorum sæpe errat, eos non ex ipsis auctoribus, sed ex suis adversariis & eclogis recitasse. Plura de eo iudicia vide apud *Magirum* p. 88. & *Pope-Blount* 167.

Iac. *Dalechampius*, nobilis cadomensis, medicus lugdunensis, celeberrimi, ut *Casaubonus* præfat. in suas Animadverf. scribit, nominis, Plinii Historiam naturalem recensuit, & perpetuis illustrare notis studuit. Sed Iof. Iust. *Scaliger*, & *Barthius* in I. Achill. Pap. p. 1639. audaciam eius in corrigendis scriptoribus reprehendunt. Scripsit etiam Historiam generalem de plantis, libros III. de peste, & Scholia in *Pauli* æginetæ libros VII. naturæ debitum solvens A. 1587. vel sequente. *König* 232. *Lexic. univerf. histor.* T. I. 797.

XLV.

IVLIANI Imp. Opera, & S. CYRILLI alex. contra impium Iulianum libri X. cum notis Dion. *Petavii* in Iulianum, & Ezech. *Spanhemii* observationibus tam ad Iulianum, quam ad Cyrillum. Lipsiæ 1696. Hæc editio omnium est optima, & longe præferenda Petavianæ: nam & correctior est, & auctior. Et tamen hic tantum prior operis tomus exhibetur, cum illustrissimi Spanhemii Observationibus ad primam duntaxat IVLIANI orationem, spesque de altero concepta, irruentibus commentatoris fatis, decollavit. Præmittuntur a) *Spanhemii* dedicatio ad FRIDERICVM III. Electorem Brandenburgicum, cuius merita pace belloque parta summe meritoque extollit, ut pro perfecto haberi possit panegyrico. b) Eiusdem Præfatio, eaque ampla, qua instituti sui rationem reddit, ac de Iuliani scriptis, eorumque præstantia & fructu erudite ac copiose disserit. c) Veterum auctorum, tam gentilium quam christianorum, de Iuliani operibus testimonia. Ipsa autem opera ad IV. classes revocari possunt, videlicet *Orationes*, *Satyricos libellos*, *Epistolas*, & *Libros contra christianos*. 1) Ex Orationibus tres sunt panegyricæ, quarum duæ CONSTANTII Imp. tertia EVSEBIAE Augustæ, illius uxoris, laudes celebrant. p. 1. 49. 102. E quibus prima scripta fuit anno æræ christianæ 355. cum creatus a CONSTANTIO esset Cæsar, & duæ sequentes A. 356. cum in Galliam missus esset. Duæ hymnorum vicem subeunt, in Solem & Matrem deorum conditæ. p. 130. 158.

158. & prior quidem, cum Imperator ad Bosporum ageret, tempore ludorum, INVICTO SOLI apud Romanos exeunte Decembri dicatorum, posterior occasione susceptæ a IVLIANO ad Deam phrygiam expeditionis elucubrata. Succedunt duæ in Cynicos imperitos seu adulterinos, p. 180. 204. sic dictos propterea, quod a veris sectæ huius placitis longius recederent. Has excipit sermo consolatorius ad Sallustium Galliarum præfectum, p. 240. A. 360. scriptus, quem a latere IVLIANI iam Cæsaris CONSTANTIVS eo abstraxerat, quod inter eos arctissimam intercedere amicitiam animadvertisset. Mox duæ longiores adnectuntur Epistolæ, prior ad Themistium de imperii gerendi ratione & difficultate, posterior ad Athenienses apologetica de suscepto imperio, & in CONSTANTIVM expeditione. Hinc fragmenta exhibentur Epistolæ ad Pontificem gentilem, antea Epistolæ ad Themistium intexta, de hominum inter se communione, beneficentia, & officio sacerdotum. 2) Satyrici libelli sunt Cæsares & Misopogon, p. 306. 337. quorum illo omnes ante se Imperatores satirico sale non ingeniose minus, quam erudite perfricat; hoc Antiochiensium in se barbamque suam promissam dicteria, quum armis & vinculis posset, verbis ulciscitur, corruptosque illorum mores venustissima ironia perstringit. 3) Epistolæ LXII. p. 372. partim e Gallia scriptæ, ex quibus postrema, quæ in sacerdotum munere describendo versatur, nunc demum integrior & latine conversa prodit. Quibus accedit Epistola GALLI Cæsaris ad IVLIANVM fratrem, p. 454. qua memorat, ad aures suas pervenisse, abdicata eum prima religione, ad inanem superstitionem gentilem transiisse; sed Aetium dolentem se erexisse, & plane contraria narrasse. Nihil religioni præferendum; multitudinem dissidii originem, & perpetuitatis esse labem, quod vero solum unumque est, ac potentia præditum, rerum omnium merito tenere imperium. 4) Libri contra christianos. Sed ubi reperiuntur? Hic quidem illi non comparent. Recte; at comparent tamen in Opere Cyrilli alex. apologetico: Cyrillus enim verba adfert IVLIANI, & statim ad ea respondet. Atque horum scriptorum maiorem partem, IVLIANVS a mense Nov. anno 361. usque ad V. Kal. Iulias anno 363. quo periit, inter curas Imperii, bellorumque discri-

discrimina elaboravit, elaboravit autem? immo verius effudit; tantam inde tamen & eruditionis & facundiæ laudem consecutus, ut hac in parte ex omni Augustorum numero parem habeat neminem. Quæ omnia latius exponunt illustris Spanhemius in præfatione, litteratissimique *Actorum eruditorum* Collectores ad A. 1696. p. 489. & seqq. Iam 5) nostro in opere sequuntur *Cyrilli* alexandrini pro Christianorum religione libri X. cum præfatione ad THEODOSIVM. p. 1. 5. & in Appendice 6) Pet. *Martinii* Epistola & Præfatio in Misopogonem. p. 1. 7) Pet. *Cunæi* latina Cæsarum interpretatio. p. 16. Car. *Cantoclari* Notæ in IVLIANI Cæsares. p. 36. 8) Eiusdem præfatio in Orationem II. IVLIANI. p. 46. 9) Theodori *Marcilii* in Solis hymnum, seu orationem IV. Annotationes. p. 47. 10) Dionys. *Petavii* Præfationes & Notæ ad IVLIANI opera. p. 56. 11) Ezech. *Spanhemii* Observationes ad IVLIANI Orationem I. p. 1.

Orat. I. p. 26. ἕκτον ἔτος. *Sexto* circiter anno post bellum illud. | *Tertio* circiter anno. Pro ἕκτον igitur lege τρίτον. C. A. *Rupertus* Observat. in Besoldi Synops. minor. 390.

IVLIANVS, IVLII CONSTANTII, Constantini M. fratris filius, CPli natus, in grammaticis *Mardonii*, in eloquentia *Libanii* & *Themistii*, in philosophia *Maximi* cynici discipulus, ac præcipue *Platonis* studiosus, post fratris GALLI cædem, iussu CONSTANTII, qui eum Cæsarem sibi adiunxerat, perpetratam, huc illuc raptatus, atque in custodiam coniectus, sed & inde evadens, EVSEBIAE augustæ precibus admissionem impetravit ad Imperatorem, ut ab omni se posset crimine purgare. Postea Cæsaris dignitatem consecutus, Imperatoris sororem in uxorem duxit, atque ab illo in Gallias missus, præclare ac fortiter res gessit, & post CONSTANTII obitum A. 361. ab exercitu gallicano Imperator nuncupatus, in expeditione persica A. C. 363. ætatis autem nec dum completo 32. ex vulnere, nescio a quo, quove instrumento, inflicto, animam efflavit, sempiterna quidem eruditionis & eloquentiæ, variarum item virtutum, atque illustrium ad vitam recte instituendam monitorum laude florens, sed & indelebili impietatis atque apostasiæ macula notatus, quod, cum sacris Christianorum addictus fuisset, Maximi phi-

losophi theurgiæ & sapientiæ mysticæ, seu potius præstigiis & vanitatibus, stolidum deorum cultum incrustantibus, fidem operamque dederit. De eo pluribus agunt *Spanhemius* noster in præfatione, G. *Arnoldus* Kirch. und Ketz. Hist. T. I. lib. IV. c. 1. p. 132. *Cave* 199. *Rupertus* Observat. in Besoldi Synops. min. 395. *Gregorius* naz. in invectivis, Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. VII. p. 76. & *Lexic. univ. histor.* T. III. 239. Quibus adde *Königium* p. 438. *Magirum* 487. *Pope-Blount* 235. Theod. *Marcilium* Epp. dedicat. in Solis Hymnum p. 48. *Bailletum* des Enfans celebr. p. 509. *Crenium* Animadvers. P. X. 190. & *Boysen* disp. de apostas. suspectis p. 52. Quamquam non desint, interque eos Pagan. *Gaudentius*, qui negent, proprie fuisse apostatam, quia christianæ fidei nunquam ex animo se subiecerit, sed eam tantum, quoad utile & proficuum videbatur, simulaverit.

Pet. *Martinius*, Morento-navarrus, &, quoniam illa Navarræ pars Regi christianissimo paret, non immerito inter Gallos censendus, Iac. *Carpentarii* & Petri *Rami* in philosophia, Io. autem *Merceri* & Gilb. *Genebrardi* in hebraicis discipulus, Rupellæ collegii gymnasiarcham & hebraicæ linguæ professorem egit, & Grammatica illius linguæ haud exiguam famam consecutus, venustamque uxoris formam eminenti cuidam per esse gratam expertus, obiit senex circa annum Christi 1549. Ab Andr. *Riveto* vocatur vir pius & doctus, atque a Io. *Buxtorfio* patre in litteris hebraicis accuratissime doctus. Vide *Colomesium* p. 71.

Car. *Cantoclarus*, Regis Galliarum consiliarius, & in Curia libellorum supplicum magister, assiduum quidem, etiam inter munerum exercitia, cum Musis commercium habens, sed ab editione scriptorum, quod minimum, immo nullum hominibus doctrina ornatis honorem haberi, aut præmium constitui videret, abstinens, amicorum tamen adhortationibus tandem permoveri se passus est, ut in publicum emitteret non modo versionem latinam libri περὶ τῶν αὐτοκράτορος πράξεων, ἢ περὶ βασιλείας, qui in hac editione Orationis II. locum occupat, Cæsarumque IVLIANI, & hanc quidem cum Notis, verum etiam Excerpta de Legationibus, ex veteribus auctoribus græcis, latine, & cum Notis. Claruit initio sæculi XVII.

Theodo-

Theodorus *Marcilius*, Arnhemio-gelder, Lutetiæ Parisiorum professor regius, aliquando sub *Musambertii* nomine sese occultans, varios auctores commentario notisve illustrare studuit, nominatim Pythagoræ Aurea carmina, Lucianum, Catullum, Tibullum, Propertium, Martialem, Persium, Suetonium, Tertullianum de Pallio, dedit quoque Novam interpretationem & methodum Institutionum IVSTINIANI, Poëma de nemine, Legis XII. Tabularum collecta & interpretamentum, Historiam strenarum, Martisque, Iustitiæ, Pacis, Minervæ, & Franciæ Prosopopœiam, & tandem post multos hosce labores, ut symbolo eius, quod hoc erat, *Deficiam aut efficiam*, accommodate loquar, defecit anno 1617. *König* 505. *Hyde* Catal. biblioth. Bodlei. P. I. 429.

Ezech. *Spanhemius*, genevensis, Friderici, theologi primum genevensis, deinde lugdunensis filius, Geneva, ubi eloquentiam docebat, Heidelbergam ab Electore palatino vocatus, ut unici filii CAROLI, qui ultimus istius familiæ fuit Elector, moribus studiisque formandis præesset, atque ad consilia Electoris adscisceretur, ab eodemque in Italiam missus, ut antiquum Domus palatinæ cum illarum terrarum Principibus commercium instauraret, tam dextre omnia peregit, ut herus maxima eum gratia compleecteretur, & mox publicis negotiis curandis, multisque legationibus obeundis adhiberet. Inde factum, ut Elector Brandenburgicus suis eum ministris adscribi, sanctiorique consilio ornamentum hoc addi desideraret, & consentiente Palatino voti damnatus est. Vbi non minus præclare, Liberi Baronis insignibus atque honoribus ornatus, res suas domi forisque gessit: nam & ab hac electorali, ac postea regia etiam Aula multas legationes obire iussus est, diuque in primis Londini vixit Domini sui splendorem ac maiestatem egregie repræsentans, donec ibidem anno 1710. æt. 80. adeoque honorum, meritorum, & annorum satur fatis concederet. Neque vero ita vacavit arduis suis muneribus, ut Musis nuncium remitteret, sed perpetuo, ubicunque terrarum esset, studia tractavit, & nobilissimos ingenii sui fœtus, in decus & emolumentum reip. litterariæ, enixus est: ab ipso enim præter Theses contra Ludov. *Capellum* pro antiquitate litterarum hebraicarum, (a qua tamen sententia postea, meliora a litteratissimo *Bocharto* monitus, recessit) & Criticam contra *Amyraldum* disquisitionem, quæ

scripta sunt iuvenilia, habemus Orationes de præsepi Christi, & cruce, Discursum, quo ius Imperii romani res, durante interregno, vicario nomine administrandi, Electori palatino asseritur, Opus de præstantia & usu numismatum, Diatribam de Vesta & Prytanibus Græcorum, Epistolam de Rich. *Simonii* Historia critica, Epistolas ad Laur. *Begerum* & Andr. *Morellium*, Notas in Callimachum, Commentationem de orbe romano, & Observationes in tres priores Aristophanis Comœdias: sicut novam Dissertationum de præstantia & usu numismatum editionem, ab illustri viro ante obitum prelo penitus paratam, cum novis tribus Dissertationibus, & Commentario ad Aeschylum exspectamus, dum orbis eruditus *Spanhemii* nomen & merita nunquam e memoria delebit, sed grato semper animo recolet ac venerabitur *Acta erudit.* A. 1711. 522. A. 1710. 100. 107. & A. 1683. 542. *Clericus* Biblioth. chois. T. XXII. 174. *König* 768. Magirus 761. *Bynaeus* de Nat. Christi 287. *Patinus* Histor. numism. c. 24. p. 208. *Colomesius* 438. *Ancillon* Mel. crit. P. II, 234. *Gravius* Præfat. & Epp. p. 432. *Grabe* Spicil. PP. sæc. II. 134.

XLVI.

ISOCRATIS Scripta græco-latina, ex interpretatione & cum annotationibus Hieron. *Wolfii*. Basileæ, ex officina Oporiniana. 1570. Eadem emisit Henr. *Stephanus* Parisiis 1593. cum versione Guil. *Canteri*, suisque in Isocratem Diatribis VII. Ceterum *Hallervordius* & Thom. *Pope-Blount* pro optima habent editionem, curatam, ut aiunt, a Paulo *Stephano* A. 1604. Præsens autem editio, quæ præstantissima a *Schurzfleischio* (in Biblioth. *Schrader*. T. II. T 4) agnoscitur ob indicem, nunquam satis græcæ linguæ studiosis commendandum, in duas dispescitur Partes, quarum Prima sistit 1) Orationes, 2) Epistolas Isocratis, eiusque 3) Vitam, descriptam a *Plutarcho*, *Philostrato*, *Dionysio halicarnasseo*, *Suida*, ac *Wolfio* nostro. 4) Veterum ac recentium auctorum de Isocrate iudicia. 5) *Wolfii* priores Præfationes & Poëmatia: Secunda *Wolfii* Annotationes & Castigationes. Ex Orationibus Isocratis hodie supersunt XXI. suntque sequentes: 1) Parænesis ad Demonicum. Quæ frustra alii Isocrati, Ciceronis temporibus florenti, a *Mureto* l. I. Var. lect. c. 1. tribuitur. *Cren.* præfat. in Tomum III. Methodor. Scopus autem huius orationis est, adolescentum animos ad honestas actiones

actiones & exhortari & instituere; ideoque ingenuis pueris ediscendæ sunt dulcissimæ ac saluberrimæ præceptiones, ut in omni vita in conspectu atque in promtu sint. 2) Ad Nicoclem, videlicet secundum Euagoræ filium, Salaminis tyrannum, de regno. Complectitur enim reip. administrandæ præcepta. 3) *Nicocles* sive Consilium. Describitur civium officium erga Regem, & sub persona quidem Nicoclis, aulicis suis & regni proceribus, ipsisque etiam populo præcipientis. Et Rex eam ipsemet recitaverit, sicut non insolens erat, ut Principes compositas ab aliis orationes, tanquam suas, haberent. Quid, si hæc est illa oratio, pro qua Isocrates præmii loco XX. accepit talenta? 4) Panegyricus. In Olympiis dictus, in quo persequitur laudes Athenensium, eosque præfert Lacedæmoniis; suadet autem, ut domesticis diffidiis omissis expeditionem suscipiant contra Persas. 5) Ad *Philippum*. Scripta post pacem ab Aeschine & Demosthene factam, paullo ante obitum Isocratis, in qua Regi suadetur, ut græcas urbes inter se diffidentes conciliet, Persisque bellum inferat. Sed posterius hoc a Philippo intermissum, Alexander eius filius, lectione huius Orationis stimulatus, exsecutus est, posteriorem dum Darium, qui Ochus dicebatur, bello petiit. 6) *Archidamus*. Intelligendum hoc de Archidamo iuniore, Agesilai filio, qui post Lacedæmoniorum victoriam a Thebanis ad Mantineam reportatam dissuadet illis, ne præstent conditionem Thebanorum, ita ut Messenam instaurent, liberamque esse patiantur. 7) Areopagiticus. Nomen habet a loco, in quo pronuntiata fuit hæc Oratio, summo videlicet Areopagi iudicio, eo tendens, ut, pulsa anarchia, status civitatis atheniensis emendaretur. 8) De pace. Cum Chiis, puta, Rhodiis, & Byzantiis ineunda, & deponendo ab Athenensibus maris imperio. Dicta videtur Olymp. CV. 4. 9) *Euagoras*. Oratio funebris, qua celebrantur laudes Euagoræ, regis Cypriorum, a Thrasydæo eunucho occisi Olymp. CI. 3. 10) *Helenæ* laudatio. Cui varia intermiscet, ut Sophistarum reprehensionem, *Thesei* encomium, *Paridis* excusationem, ac celebrationem pulchritudinis. 11) *Busiridis* laudatio. Ingenii exercendi gratia scripta contra *Polycratem*, atheniensem sophistam, qui idem argumentum infelicius tractaverat, Socratisque, quem maximi æstimabat Isocrates, accusationem consignaverat. 12) *Panathenaicus*. Sic inscribitur hæc

Oratio; quia vel in Panathenæis dicta fuit, vel omnia Atheniensium præclara facinora decantat. 13) Adversus Sophistas. Eos videlicet, qui ostentationis aut quæstus caussa philosophabantur, & falsam eloquentiam invehebant. Differitur igitur de ingenii vi, & institutionis utilitate 14) *Plataicus.* Est Platæensium a Thebanis solo pulsorum ad Athenienses oratio, pro restitutione in integrum. 15) De permutatione facultatum. Contra Lysimachum, a quo victus vel facultates suas cum Lysimacho permutare, vel trierarchiæ munus obire, suisque triremes sumtibus cum ceteris trierarchis instruere (id quod etiam elegit) cogebatur. Oratio est lectu dignissima, in qua in caluminatorem invehitur, suamque innocentiam & de Græcis bene merendi studium exponit, ac similitudinem habet cum Apologia Socratis platonica; notandumque, Platonem, Socratem & Isocratem, optimos & sapientissimos viros, arcta fuisse amicitia iunctos, & in plerisque rebus similem fortunam expertos. 16) De bigis. Recitata a filio Alcibiadis, iam defuncti, ostendens, patrem eas non Tisiæ eripuisse, sed in Olympiis a civitate emisse Argivorum. 17) Trapeziticus. A Sopæi vel Sinopæi filio dicta pro summa argenti, a patre, cum apud Satyrum Ponti principem de regno affectato delatus esset, apud Pasionem trapezitam deposita, quam hic se accepisse negabat. 18) Adversus *Callimachum.* Qui sycophantice aliquem accusaverat de ereptis sibi in oligarchia, sub XXX. tyrannis, pecuniis: statu igitur translationis utitur defensor Isocrates, litemque intendere de actis illorum temporum licere negat. 19) Ægineticus. Oratio apud Aeginetas dicta, pro amico & affini Thrasylochi cui hic opes suas legaverat, sorore Thrasylochi notha testamentum refutare atque evertere conante. 20) Contra *Lochitem.* Similior declamationi, quam forensi orationi, qua quis a Lochite verberibus affectus, rem vehementer exaggerat, iudicesque impellere nititur, ut reum, tanquam legum transgressorem & popularis status eversorem, graviter puniant. 21) Amartyros. Pro Nicia, qui sub XXX. tyrannis proscriptus, tria apud Euthynum talenta deposuerat, ea vero repetens duo solum recepit, tertium Euthyno negante. *Amartyros* autem vocatur, quia sine testibus illa deposuit. Controversiæ igitur status hic est: utrum probabilius sit, Niciam reposcere, quod non dederit, an Euthynum reservare, quod acceperit. Ingeniosa

geniosa certe & acuta est oratio, & *Philostrati* iudicio una ex optimis inter isocrateas. In Dedicatione Isocratis laudat *Wolfius* Senatum augustanum, quod liberali & splendido se stipendio conduxerit, dolet autem paucitatem & inscitiam auditorum, huiusque præcipuam caussam credit esse intempestivam ex inferioribus in superiores classes translationem; commemorat vocationes suas, quas habuerit ab Alberto Borussiæ Duce, Argentinensibus & Bernatibus; multum movendo seu voce parum se fatetur promovere, itaque scriptis absentes erudire sibi constitutum esse; denique consilium dat iusto publicorum auditorum numero & constituendo & retinendo.

Isocrates, Theodori filius, atheniensis, Prodici, Protagoræ, Gorgiæ, Tisiæ discipulus, Platonis amicus, animo & voce destitutus, rarius in publico, &, si *Luciano* in Parasito credendum, nunquam in iudiciali dixit foro, in domestica autem schola M. drachmis docuit, plurimosque, inter quos etiam *Xenophon* & *Demosthenes* erant, in civili eloquentia quam optime erudivit, ut propterea domus eius officina eloquentiæ vocaretur. Orationibus & epistolis scribendis, quum magno, ac pæne nimio delectus verborum, & collocationis, numerique studio deditus esset, multum temporis insumsit, in decrepita ætate stulte agens, quod mortem non exspectaret, sed oppeteret: cum enim Athenienses ad Chæroneam a Philippo, Macedoniæ rege. victos esse audisset, tam graviter id tulit, ut virili & philosophico animo abiecto se se inedia conficeret, Olymp. CX. anno 3. ætatis 98. ante Christum natum 338. Interim non negandum, sed potius cum *Wolfio* pag. 683. fatendum, *lucubrationes & scripta eius suavissima atque saluberrima, nec studiosorum tantum hominum, sed Regum etiam ac Principum lectione & cognitione digna esse, modo illi, aliis occupationibus & oblectationibus paulisper omissis sapientium virorum legendis monumentis aliquid temporis impertire ad utilitatem suam dignarentur.* Orationis eius genus est purum, perspicuum, ornatum, numerosum, suave, sententiis refertum, ut non ab re ille *Siren attica* fuerit appellatus. Vide *auctores Vitæ eius* supra dictos, Io. Alb. *Fabricium* Bibl. gr. lib. II. c. 26. p. 900. *Mageirum* 486. *Pope-Blount* 23. *Biblioth. Schrader.* Tom. II. T 4. & I. W. *Bergerum* Dissert. acad. 190.

XLVII.

XLVII.

DEMOSTHENIS & AESCHINIS Opera cum *Vlpiani* Commentariis, novisque scholiis, ex quarta, eaque postrema recognitione Hieronymi *Wolfii*. Basileæ ex officina Hervagiana 1572. Recusa Francofurti anno 1604. &, sicut nonnulli præ se ferunt tituli, Coloniæ Allobrogum 1607. ac Romæ prodierunt Orationes de rep. ad populum habitæ, cum notis criticis & historicis Io. Vincentii *Lucchesinii* A. 1712. 4. de qua editione vide *il Giornale de' Letterati d' Italia*, T. XIV. 1. Constat hoc volumen VI. Tomis, in quorum IV. prioribus 1) sunt Orationes & Epistolæ *Demosthenis*, & certo respectu *Aeschinis*. 2) Epistola PHILIPPI Maced. Regis. 3) *Dinarchi* contra Demosthenem Oratio. In V. 1) *Vlpiani* rhetoris in Orationes Demosthenis Commentarius. 2) *Wolfii* in eum Annotationes. 3) Accessiones ex lutetiano codice. 4) Demosthenis vita ex *Libanio. Plutarcho, Luciano*, & *Suida*. 5) Aeschinis vita ex *Plutarcho*. & incerto auctore. 6) Gul. *Budæi* & Desid. *Erasmi* in loca quædam orationum Demosthenis Annotationes. In VI. 1) *Wolfii* Gnomologia, sive Sententiæ ex Libanio & Demosthene collectæ. 2) Annotationes in Libanii argumentum, atque Orationes demosthenicas. 3) de terminationibus verbalium, quæ fiunt a verbo medio. 4) Coniugationum apud Græcos terminationes. 5) Vincentii *Obsopæi* Castigationes ac diversæ lectiones in orationes Demosthenis. 6) Scholia ex antiquissimo codice augustanæ Reip. in aliquot Demosthenis orationes. 7) Hier. *Wolfii* veteres Præfationes, & aliquot Carmina, græca & latina. Præmittuntur toti Operi 1) *Wolfii* Dedicatio, qua urbem & Remp. laudat augustanam, huiusque in se collatam liberalitatem & munificentiam, commemorat studium suum in convertendis ac declarandis vetustis auctoribus, excusat mendas typographicas, si quæ se a prelo longe absente irrepserunt, modum indicat, quo obscuriora studuerit plana & aperta reddere, (nimirum grammaticæ artis accurata cognitione, multa & diligente optimorum scriptorum lectione, stili auctoris observatione, animo in sententias non minus, ac pæne magis etiam, quam in verba intento, antecedentium & consequentium inter se comparatione, & persuasione, quid quid vel in verbis absonum, vel in sensis frigidum appareat, id non a viris diligentissimis, prudentissimis, disertissimis scriptum, sed a negli-

negligentibus, imperitis, temerariis librariis esse depravatum) & postremum hoc opus suum epitaphii loco sibi vult esse. 2) *Eiusdem* carmina de absoluto hoc opere, & bibliotheca Reip. augustanæ. 3) *Eiusdem* horoscopus, sub quo erat natus. 4) Eruditorum aliquot, tam veterum qnam recentium de Demosthene & Aeschine iudicia. 5) Excerpta ex Epistola Matthiæ *Schenckii* ad Wolfium, eruditionem e scriptis veterum omni liberali disciplina excultorum auctorum satis hauriri posse, atque inter hos plurimum æstimandum *Demosthenem*, ut qui *Ciceroni* placuerit. Notandum vero, 1. Orationem amatoriam, Alteram in Aristogitonem, & in Neæram Demostheni abiudicari. 2. Orationem pro Ctesiphonte de corona fuisse a *Cicerone* pro optima habitam. 3. Secundam Olynthiacam primæ loco ponendam. 4. Exordia concionum esse procemia orationum LXV. a Demosthene per otium elaborata, quibus in tempore uteretur. 5. Orationem de classibus, *περὶ συμμοριῶν*, agere de ordine eorum, qui Athenis muneribus publicis fungebantur. 6. Faciliores esse Orationes philippicas.

Demosthenes, pæaniensis atticus, *Platonis* & *Euclidis* in philosophia, *Isæi* autem in oratoria, & *Andronici* histrionis in actione discipulus, Thucydidis, quem huius rei caussa octies, si non decies descripsit, imitator, naturale balbutiei vitium arte correxit, optimus dicendi magister factus, (totus quippe inflammabatur in loquendo, ita ut energumeno videretur similis, & facultate pollebat res accurate cum omnibus suis circumstantiis exponendi, & quidquid liberet, ad vivum depingendi) sed in panegyrico genere parum valens, nec tam fortis atque imperterritus miles: proelium enim aliquando ingressus abiecto clypeo aufugit, seque & remp. dicendo perdidit; cum enim ALEXANDRVM *puerum* vocasset, ille eum sibi tradi petiit; quod quidem Athenienses recusarunt; deinde autem regi Macedoniæ ANTIPATRO una cum *Hyperide* tradendus, supplicium præventurus veneno animam expulit in Calauria insula Olymp. CXIV. 3. æt. 60. si non 62. anno ante Christi nativitatem 329. A. *Schottus* in eius vita, ne denuo nominem veteres supra dictos vitæ eius scriptores, Renat. *Rapinus* in collatione Demosthenis & Ciceronis, *Tourrellus* in Prolegom. ad Orat. quasdam Demosthenis, in gallicanum a se idioma conversas, Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 26. p. 917. Quamvis autem,

Ciceronis iudicio, plane perfectus fuerit orator, & cui nihil admodum deesset, non tamen ab eo in discendis græcis initium faciendum esse periti ac prudentes iudicant. De quo vide *Königium* 242. & *Schurzfleischium* in Biblioth. *Schrader* P. I. K 7. iisque adde, si plures eius laudes & iudicia de eiusdem scriptis cognoscere aves, *Magirum* 267. *Pope-Blount* 29. C. A. *Rupertum* Orat. histor. 494. & *Crenium* de Singular. scriptor. III. & de libris scriptor. opt. Exercit. I. 36. Inimicos habuit *Aeschinem* & *Dinarchum*.

Aeschines, atheniensis, Atrometi filius, Isocratis & Alcidamantis discipulus, in adolescentia tragœdias actitavit, deinde autem concionibus & orationibus, in quibus dictio quasi sponte nata & extemporanea, plusq; ingenii, quam artis habens, tantum sibi nomen comparavit, ut oratorum a Demosthene proximus haberetur. Eius sunt III. orationes, (nam Oratio, cui titulus, Δηλιακὸς νόμος, *Deliaca* lex, alterius est Aeschinis) & IX. Epistolæ, quarum illas vocarunt *Charites*, has autem *Musas*. Idem a Demosthene Oratione pro corona victus, concessit Rhodum, scholamque aperuit oratoriam, deinde Samum abiit, nec multo post vivere desiit, cum esset annorum 75. & quidem, si *Suidæ* T. I. 662. credendum, hausta cicuta in carcere, cum in caussa quadam iudices corrupisset. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 26. *Magirus* 13. *Pope-Blount* 31.

XLIIX.

Io. REVCHLINI libri III. de Rudimentis hebraicis, sive linguæ sanctæ. Phorce (sic enim est impressum) 1506. Cum eius insignibus in calce voluminis, tanquam amuleto contra fraudem typographi. Vocabulo *Rudimenta* eo uti voluit, quod hæc non scriberet doctis, sed rudibus, atque in lingua sancta erudiendis. p. 3. talia autem *rudimenta*, quæ circa res summas & admirabiles versentur. p. 620. Liber I. & II. absolvuntur Dictionario, & III. tradit Grammaticam. In præfatione ad Dionysium fratrem germanum studia sua commemorat, quod cognoscendæ veritatis bibliciæ caussa græcam linguam didicerit Basileæ ab *Andronico Contoblaca*, natione græco, ebræam vero in legatione ad FRIDERICVM III. Imp. a Iac. Iehiel *Loans*, iudæo, Cæs. Maiest. archiatro & equite aurato, atque ulterius Romæ, in legatione ad ALEXANDRVM VI. ab alio iudæo, videlicet *Abdia*, Iacobi *Sphurno* filio.

filio. Præterea ait, tunc tolli omnium interpretationum commune fastidium, cum SS. Biblia in sua primordiali lingua possint legi & intelligi; seque primum omnium tam grave pondus (scribendi Lexicon, & Grammaticam ebraicam latino idiomate) humeris imponere suis, sed & simul offerre se latratibus mordacium. Et certe latratus eiusmodi, ortasque inde persecutiones plus satis sensit vir optimus. Sed & idem veri erat avidissimus: sic enim scribit p. 549. *Quanquam* Hieronymum *sanctum veneror, ut angelum, & Lyram colo ut magistrum, tamen adoro* Veritatem, *ut Deum.* Stilo hic usus est soloeco sæpe & barbaro, non inscitia melioris, sed ad vocabulorum quorundam proprietatem explicandam, atque ut ad captum discentium se se accommodaret. p. 546. Dictionarium Reuchlini commendatur ab *Avenario* præf. in ipsius Lexicon ebraicum. Præter eos auctores, quos, ut notitiam de Reuchlino facientes, Partis I. pag. 101. produximus, vide *Melanchth.* in Lutheri Opp. witteb. lat. T. III. 134. *Hoornbeck.* Summ. controvers. 64. & *Olearium* Biblioth. scriptor. eccles. P. II. 125. Ceterum non est prætereundem silentio, quod Rod. Mart. *Meelfuhrer* in Accession. ad Ianssonii Biblioth. promiss. & lat. p. 162. scribit: Io. *Behamum* primum omnium ebraicum Lexicon & grammaticos aliquos libros a Iudæis magno pretio comparasse, & curasse germanicam in linguam transferendos circa annum Domini 1490. atque ea deinde cum Capnione, Pellicano, aliisque communicasse, & sic eorum in hebraismo studium atque industriam excitasse. Non tamen credendum, quasi vel *Reuchlini* vel aliorum Lexica ebræa sint perfecta & consummata. Lege sis hac de re inprimis Herm. *von der Hardt* in Harmon. *Reuchlini* & *Lutheri* 90.

XLIX.

Io. FORSTERI Dictionarium hebraicum novum. Basileæ 1564. Vocatur *novum*, quod non ex Rabbinorum commentis, nec stulta nostratium Doctorum imitatione descriptum, sed ex ipsis thesauris SS. Bibliorum, & accurata locorum collatione depromtum sit. Cui accessit omnium verborum, nominum, aliarumque vocum a sua radice quoquo modo variantium, nec non dictorum Scripturæ explicatorum Index. In tergo rubri conspicitur auctoris effigies, delineata & in ligno scalpta a Luca *Kranach*, pictore quon-

dam electorali saxonico celebratissimo. In præfatione taxat Christianorum præposteram, ut ipsi videtur, in Rabbinis, in quibus tamen οὐδὲν ὑγιὲς, *nihil sani*, nulla lux, nulla Dei notitia, nullus spiritus, nulla ullius disciplinæ sive artis vera ac solida scientia, *nulla linguarum, ac ne hebraæ quidem, cognitio*, diligentiam, ostendit prætermissa in aliis Dictionariis: tradit regulas ad intelligentiam linguæ sanctæ facientes, disserit de linguæ huius antiquitate, necessitate, utilitate & facilitate, & concedit, in N. Tto dari hebraismos. Aug. *Pfeiffer* Hermen. S. c. VI. §. 14. laudat hoc Dictionarium ob collationem vocum coniugatarum & cognatarum, additque, omne eius auctorem laturum fuisse punctum, nisi ab arabismo aliisque subsidiis destitutus fuisset. Idem liber laudatur ab *Avenario* præf. in ipsius Lexicon ebr. *Glassio* Philol. S. 496. *Hulsemanno* Meth. stud. theol. 284. & F. *Socino* T. II. Opp. pag. 277. Sed consule etiam *Cartvvrightum* (Tom. I. Supplem. Criticor. sacr.) præfat. in Notas in Gen. c. 2. *Wagenseilium* Tel. ign. sat. 64. & *Meinigium* præfat. in Lex. ebr. qui iniquius eum de Rabbinorum scriptis, eorumque lectione iudicasse sentiunt.

Io. *Forsterus*, augustanus, non confundendus cum duobus cognominibus, altero Aurbaco-palatino, Theol. D. ac professore wittebergensi, & Islebiæ A. 1613. æt. 37. defuncto, altero poëta germano, *Capnionis* & *Mosellani* discipulus, Theol. Doctor & hebr. linguæ professor in acdemia wittebergensi, & Lutheri in concinnanda Bibliorum versione teutonica fidelis socius, inter heroas illius sæculi, qui singularibus a Deo dotibus instructi atque ornati erant, referendus, obiit A. 1557. ætat. 61. Melch. *Adam* Vit. theol. 302. *Moller* de homon. 674. *Melanchth.* Epp. T. II. 314. *Serpilius* Epitaph. theol. 139.

L.

Valentini SCHINDLERI Lexicon pentaglotton, hebraicum, chaldaicum, syriacum, talmudico-rabbinicum, & arabicum. Hanoviæ 1612. In eo omnes voces hebrææ, chaldææ, syræ, rabbinicæ & arabicæ, adiectis hinc illinc persicis, æthiopicis, & turcicis, sub suis singulæ radicibus, continentur, earumque significationes, usus ac elegantiæ, ex SS. hebraicis Bibliis, chaldaicis eorum paraphrasibus, Testamento novo syriaco, utroque (babylonico & hierosolymitano) Talmude, Midraschim, Rabbinorum commentatoribus,

ribus, theologis & philosophis, arabica V. & N. Tti translatione, Alcorano, Avicenna, ut & græca LXX. interpretum, & omnibus latinis Bibliorum versionibus proponuntur & explicantur: variorum item interpretum difficiles ac discrepantes sententiæ conferuntur & examinantur: ritus etiam, sive cærimoniæ ac festa, tam Iudæorum, quam Turcarum, aliaque scitu dignissima & ad Scripturæ sensum utilia, recensentur. Hisce subiungitur Index hebraicarum, sit venia verbo, abbreviaturarum. Ipse quidem auctor non edidit hunc librum, sed Engelbertus *Engels*, eique Præfationem addidit, in qua disserit de auctoris proposito, & ordine in ponendis diversarum linguarum vocabulis, caussis hallucinationum interpretum, & linguæ arabicæ utilitate, idemque refert, Schindlerum data occasione correxisse versionem *Lutheri* germanicam, & Lucæ *Osiandri* latinam. Io. *Rulandus*, cuius prima est Præfatio, ait Lexicon hoc tam accuratam & luculentam vocum explicationem, aliaque tam raræ & admirandæ eruditionis monumenta continere, ut, testibus viris præclara doctrina, & linguarum harum cognitione præcellentibus, simile opus nec Germania nostra, nec Gallia, nec Italia, nec ceteræ christiani orbis provinciæ adhuc protulerint. *Konigius* vocat multiiuga eruditione refertum, p. 734. Et *Caselius* in ep. ad sereniss. Duces, Henricum Iulium, & Fridericum Huldericum, quæ hic Dedicationem sequitur, quemquam librum hunc in vilibus habiturum negat. At alii tamen videntur sibi habere, quod in eo desiderent. Et quidem *Buxtorfius* in Epist. dedicat. Lexici chald. talmud. & rabbin. patris sui * 3. hoc, quod, præter infinitos vocabulorum defectus, & pravissimas illorum scriptiones & interpretationes, aliosque innumeros errores (quæ tamen imputationes etiam *Munsteri*, Guid. *Fabricii* & Dav. *de Pomis* Lexica, & fortasse magis spectant) *in nudis vocum interpretationibus subsistat, neque illarum usum vel in diversis phrasibus*, qui pro earum varietate insigniter non nunquam variet, *vel in rebus ipsis*, ad vocum & phrasium intelligentiam scitu sæpe pernecessariis, ostendat. *Hottingerus* autem, postquam illud multis nominibus placere posse affirmasset, hoc se deplorasse confitetur, *formosissimum fœtum in obstetricum male fidarum incidisse manus:* neque enim ita illum prodiisse in lucem, ut formatus initio esset ab auctore.

P. 123. Vrna *testacea*, seu *anea*, in qua gomer mannæ Deus reservari iusserat.

Fuit illa potius *aurea*. Sic enim tradunt LXX. *interpp.* Ex. 16, 33. *Paulus* Ebr. 9, 4. Io. *Lundius* Iud. heiligthum. c. 17. p. 85.

1010. *Ier.* 22, 15. התמלך an *cogitabis*, quod tu misćearis cum cedris?

Melius: An *regnaturus es*, quia tu misces te *cum ista cedro? Tremellius* ac *Iunius* in versione, & Barthol. *Mayer* Philol. sacr. P. I. 361.

1011. ממלך *Mamlue* acquisitus, emtus, mancipatus. Inde ממלוכין pueri *christiani*, *vel a christianis parentibus nati*, *qui a christianis emti aut capti circumcidebantur*, & fidem christianam abnegabant, muhammedanam amplectentes.

Sunt *vana coniecturæ*. Gustavus *Peringer* disp. de lingua & erudit. Arabum p. 199.

1530. VII. præcepta Noæ imponebantur cum VII. populis in bello se se dedentibus, tum proselytis illis, qui legem recipere & circumcidi *volebant*.

Scribere debuisset, *nolebant*. Io. *Buxtorf.* Lex. talmud. 409. Sed ita etiam scripserit vir doctissimus; sphalma autem irrepserit errore typographi Quid? VII. hæc præcepta etiam proselytis iustitiæ, cum sacris tingendi essent, tanquam per repetitionem tradebantur. Quo modo non male scripsit Schindlerus. Ion. Conr. *Schramm* disp. de Symboli apost. in Talmude huderib. §. 18.

1781. שאול chal. & Syr. שיול; *sepulcrum* in ventre terræ, quod multa mortuorum cadavera accipit, *nec tamen satiatur seu expletur*.

Schol *nusquam significat sepulcrum, nec sepulcro competit insatiabilitas*. M. S. *Grabe* in Append. apolog. ad Regii Form. caute loq. 185. 189. 201. 212.

Decem

P. 1986. תקון סופרים correctio scribarum: sunt *duodecim* & octo dictiones in textu hebræo, quas ita Scribæ ordinarunt legendas.	*Decem* & octo. *Glasfius* Philol. S. lib. I. tract. I. p. 55.

Valent. *Schindler*, oederanus, orientalium linguarum primum Wittebergæ, deinde Helmstadii professor publicus, cum pridem in linguis orientalibus clarum sibi nomen comparasset, tanto studio opus suum fecit, ut longinquum etiam iter aliquoties susciperet in Boiemiam usque, quo non nulla ex Hebræis, quæ christianæ quoque professioni profutura essent, expiscaretur, atque ex hac vita præmature evocatus est A. 1604. Laudatur a *Cartvvrighto*, *Hackspanio* & *Caselio*: ille enim in Præf. Comment. in Genesin (T. I. Supplem. Crit. sacr. c. 3.) eum vocat virum hebraice doctissimum; iste in Annot. in ps. 105, 18. qua qua versum celeberrimum; hic in ep. antea allegata ita scribit: *Quæ edidit, ad tirones huius linguæ erudiendos, ut opinio plurium est, & mea, linguæ non penitus ignari, præstant in eo genere scriptis ante omnibus. Expositum quoque nobis, scripsisse & alia, quibus, quæ viderentur obscura, mirifice illustrarit: in quibus etiam primi fuissent alucinati, in iis multa conatum, neque nulla præstitisse supro alios.*

LI.

Io. BVXTORFII Lexicon chaldaicum, talmudicum, & rabbinicum, editum a filio cognomini. Basileæ 1639. Quod, teste I. C. *Wolfio* p. 336. Dan. *Springerus*, LL. orient. quondam professor vratislaviensis, variis auxit observationibus. Et si quis eandem telam pertexere vellet, is feliciter ad eam uti posset Guil. *Guisii* commentario in Zeraim. Vide *Acta erud.* A. 1691. 253. Opus hoc per integros XX. annos collectum fuit a Buxtorfio seniore, a filio per X. reliquos dimidia parte continuatum & perfectum. Et hic illud elegante & nervosa ornavit Dedicatione, in qua agit de præstantia studii circa SS. litteras, necessitate addiscendi linguam hebraicam & chaldaicam, & utriusque utilitate, item de utilitate Talmudis aliorumque scriptorum rabbinicorum, & præstantia huius Lexici præ omnibus aliis, multoque in id impenso labore, ac denique de primo auctoris scopo, & quousque ille pervenerit.

Huic

Huic epistolæ subiunguntur Observationes quædam communes de vocum chaldaicarum ex hebræa lingua derivatione. Lexicon hoc *a Glassio* Philol. S. l. 2. P. II. p. 496. Lexicis annumeratur excellentibus, *Hackspanius* in Tract. de scriptor. iudaic. in theol. usu p. 476. vocat opus laudatissimum, *Crenius* dissert. I. de libr. script. opt. p. 16. citra controversiam incomparabile & doctissimum opus; Dan. *Toffanus* apud Witte in Memor. philosoph. P. I. 320. Lexicon in omnes hebræos & chaldæos libros viam ostendens, & quasi clavem continens; atque Edm. *Leigh* apud Blount p. 911. opus, cui sol nihil vidit simile. Quantæcunque autem hæ sint laudes, eis tamen alii obstrepere nulli dubitarunt; neque enim tantum Rich. *Simon* Hist. crit. V. T. l. 3. c. 2. p. 359. omnium id angustissimum in hebraicarum vocum significatione, eo quod auctor sibi præfixerit Rabbinorum libros, pronunciat, verum etiam Aug. *Pfeiffer* Crit. S. c. 5. 110. multos æque huic, atque aliis Lexicis, inesse ait defectus. Et nos hic, more consueto, errores quosdam, ab aliis notatos, indicabimus.

Pag. 367. *Aves venientes ex Barbaria* vocantur ברבורים *Barbarim*, a nomine loci. 1. Reg. 4, 23.	Potius *selectissimi optimique cibi*, ברורים, köstliche Nebenrichte, die den hauptessen beygesetzet werden. Aut si de avibus intelligere velis, *aves electissimæ, ac bene saginatæ.* Io. *Clericus* Comment. in dictum locum.
550. דמאי Res *dubia* propter decimationem.	Res *præstantissima.* Guil. *Guisius* in *Actis erud.* A. 1691. 252.
1132. לוף *Genus ceparum.*	Immo *arum*, teste Dioscoride his verbis: *Αρον το καλουμενον παρα Συροις λουφα.* *Guisius* l. c.
1216. מילתא מילת *est græcum* *μηλωτη*, ovina pellis, nam *μηλον* ovis.	*Non probo*, quod Buxtorfii *Melat* deducunt ex voce græca *μηλωτη*· quia *μηλωτη* plane est aliud, nempe *προβατειος δορα* *ovina pellis*, sine ullo respectu ad lanam. *Bochartus* Phaleg l. 1. c. 6. p. 25.

Immo

Pag. 2433. *Summus sacerdos semel in anno*, in festo scilicet expiationis, quod vocant יום כפור, nomen illud reverendum tetragrammaton יהוה iuxta eas literas, quibus scriptum est, proferebat in templo sive sanctuario.	Immo *quotidie*, in templo, *quicunque sacerdos* benedictionem impertiebat. *Lundius* Iud. heiligthum. c. 48. p. 656.
2456. In Talmude גטין Gittin fol. 68. col. 1. *prolixa & impia fabula* refertur, *qua arte rex Salomon* templum ædificaturus, vermiculum *Schamir*, consilio & ope Sapientum, ab Asmodæo, demoniorum principe, impetrarit.	Est *mediocris, festiva & lepida magis narratio*, quam longa & impia fabula. Et perperam adfirmat Buxtorfius, illa exponi, qua arte Salomon. e. r. *Wagenseil* in Sotam p. 1072.

Io. *Buxtorfius*, basiliensis, philologi filius, anno ætatis duodecimo studiosorum albo inscriptus, sexto autem & decimo philos. & opt. art. magister creatus, confectis in Bataviam, Angliam, & Galliam itineribus, primum diaconus, deinde pastor basiliensis, denique theol. doctor, eiusque & hebr. linguæ patria in academia professor, non tantum scripta quædam paterna, ut Lexicon maius & Concordantias continuavit & absolvit, librosque More Nevochim & Cosri latina paraphrasi illustravit, sed & suis inclaruit scriptis, videlicet Exercitationibus ad historiam Arcæ fœderis, Ignis sacri &c. Tractatu de punctorum & vocalium antiquitate & origine, Anticritica adversus Lud. *Cappellum*, Dissertatione de sponsalibus & divortiis, & alia de homicidio, eodemque, quo pater, ætatis anno, puta 65. vivere inter mortales desiit, A. C. 1664. relicto filio *Ioanne Iacobo*, qui ei in professione linguæ sanctæ, non autem theologiæ, (tanta enim eius erat modestia, ut illam, quam facile obtinere potuisset, non ambiret) plene succeffit, cum antea vices gessisset infirmi & adversa valetudine afflicti patris. Mortuo parentavit Luc. *Gernlerus*. Vide *König*. 147. *Witte* Diar. biograph. P. I. Ttt 4. & *Lexic. univers. histor.* P. I. 474.

LII.

SVIDAE Lexicon, græce & latine, cum annotationibus Lu-

dolphi *Kusteri*. Cantabrigiæ 1705. volum. III. Atque hæc eſt optima editio, merito laudata in *Actis erud.* A. 1706. p. 2. Antea prodierat hoc opus latine, ex verſione Hieron. *Wolfii*, Baſileæ 1581. itemque græce cum verſione, aut potius paraphraſi, ac notis Aemil. *Porti*, non cretenſis, ſed ferrarienſis, Genevæ 1619. Et Hadr. *Iunius* novam ac bonam editionem animo volverat. Vide *Acta erud.* l. c. p. 1. *Bergerum* Diſſertat. academ. 175. *Mollerum* de homon. 712. *Crenium* de furib. libr. Diſſert II. §. 95. Sed Præfatio *Kusteri*, in qua de Suida eiusque Lexico varia obſervat, non eſt ſilentio involvendano: tabis enim ex ea, Suidam ullum extitiſſe, temere nimis negari ab Ang. *Politiano*; cuias autem fuerit, non conſtare: multa Lexico huic ſequiore ævo acceſſiſſe: *Gyraldum* Suidam hiſtoricum confundere cum lexicographo: Ariſtophanis ſcholiaſten antiquum (immo & alios; & male quidem propterea, quod ſcriptores, quibus uſus eſt, nomina non indicavit. *Berger* 175.) totum a Suida fuiſſe exſcriptum, non vice verſa: iudicium & *ἀκρίβειαν* in hac compilatione paſſim deſiderari, eiusque auctorem mendoſis codicibus ſæpe eſſe ſeductum: tam homonymorum, quam diverſa nomina habentium res non raro miſceri: & exempla interdum loco plane alieno adduci. Denique in laudes excurrit Academiæ cantabrigienſis, quæ per quadriennium, quo opus hoc perficeretur, eum liberaliter aluit, illuſtre hoſpitalitatis exemplum edens.

Tomo I. p. 167. Anacreon *omnia* ſcripſit ionica dialecto.	*Non omnia.* Dan. Wilh. *Triller* diſp. de Moly homer. 36.
Pag. 337. Arſaces parthus ademptum Macedonibus imperium, quod *per annos* CCXCIII. *tenuerant*, ad Parthos tranſtulit.	Vnde illi CCXCIII. anni deducendi? Non dubium, ab initio Cyri. Sed *abſunt a Conſulatu Vulſonis & Reguli*, quo Arſaces a Macedonibus defecit, *annis* XVII. poſt mortem Alexandri LVII. Ioſ. Iuſt. *Scaliger* Canon. iſagog. l. 3. 316.
373. *Atoſta*, Cyri filia, Darii uxor, a Democede medico arte quadam *ſanata fuit*.	Non Atoſta, ſed *Attoſa* erat Cyri filia. Neque vero hæc, ſed alia, nomine *Atoſta*, *a Democede ſanata fuit*. H. L. *Schurzfleiſch* in Notit. biblioth. vinar. 153.

Duplex

377. *Augustus Caesar*. Hic facto sacrificio Pythiam interrogavit, quis post ipsum imperaturus esset. Illa vero respondit: *Me puer hebraeus*, Diis beatis imperans, *hanc adem relinquere*, & ad orcum redire iussit. Abi igitur nunc silens ab aris nostris. Augustus igitur ex oraculo egressus, in Capitolio aram erexit, cui litteris latinis inscripsit: *Hac est ara primogeniti Dei*.

Duplex haec narratio *inter aniles fabulas* referri debet. Is. *Casaubonus* Exercit. I. n. 19. p. 84. Quem quidem etiam allegat *Kusterus* in annotat.

498. Gregorius neocaesariensis *e Cappadocia Berytum*, *& inde Caesaream* Palaestinae se contulit una cum fratre *Athenodoro*.

Ille vero, occasione ab affini allata, non Berytum, sed *Caesaream recta ad Origenem venit*. Iac. *Hasaus* de Berytensi ICtor. acad. cap. 9. §. 3. (in Conlect. libror. rar. p. 89. Fasc. V. p. 89.)

814. *Epicurus* natus est Olympiade ϱϑ′ CIX.

Potius Olympiade *ϱί centesima decima*. H. L. *Schurzfleisch* l. c. p. 265.

Tomo II. pag. 82. v. *Hesychius Milesius*. Vt hinc suspicari liceat, *eum non fuisse christianum*, sed Graecorum nugis & vanis studiis addictum.

Hesychium milesium *christianum fuisse*, ex nomine Ioannis, quo filium eius gavisum esse *Photius* cod. XLIX. auctor est, & ex aliiis argumentis a *Meursio*, *Hanckioque* productis facile constat. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. IV. part. II. 544.

88. v. *Iacobus*, *medicus*. Medici vero eum identidem criminabantur, & maledictis insectabantur, quasi non aliquem medicum, *sed tanquam hominem* Deo *carum* & *sacrum*.

Verba haec, ἀλλὰ θεοφιλῆ ἶνα, καὶ ἱερὸν, sic sunt vertenda: *cum potius* homo *esset* Deo carus, & *sanctus*, H. L. *Schurzfleisch* l. c. p. 91.

Pag. 88. ψυχεῖϛος veram esse lectionem, patet *ex Malala*. *Kusterus* in Nota.

At Malala habet ψυχιςρος. H. L. *Schurzfleisch* p. 93.

106. v. *Iesus Christus*. Cum cæteri sacerdotes (iudaici) ipsi (sacerdoti cuidam) potestatem dicendi fecissent: *Volo*, inquit, *in sacerdotis defuncti locum surrogari Iesum, Iosephi fabri lignarii filium*.

Commentum est, quod de cooptatione Iesu in numerum sacerdotum legalium dicitur. *Lomeier* de Biblioth. c 3. p. 40. Io. Andr. *Schmidt* in I. Prolus. Mariana, lit. B, seu, si mavis, p. 9.

124. v. *Iulianus*. Iulianus, desertor & apostata, Rom. Imperator, Constantini M. nepos, eius fratre *Dalmatio* genitus, & matre *Galla* nomine.

Immo vero genitus erat fratre Constantini *Fl. Constantio*, & matre *Basilina*, Iuliani Comitis orientis filia. G. Io. *Vossius* l. 2. de Histor. gr. c. 18.

128. v. *Iustinianus*. Iustinianus, Rom. Imp. valde quidem orthodoxus fuit, sed omnium litterarum imperitus.

Hæc vera sunt de *Iustino Thrace*, IVSTINIANI Imp. avunculo, non autem de Iustiniano. G *Calixtus* Theol. mor. 109. *Schurzfleisch* in Epp. select. 591 sicut etiam observat *Kusterus* h. l.

285. v. Καιναί. Καιναι, *Cana*, urbs.

Lege, Καινιν, *Canina*, vel Καινιτη, *Canita*. Vnde Cæninenses, & Cænitenses. H. L. *Schurzfleisch* l. c. p. 233.

403. Cyrus vocatus est, quod a pueris ludum regni ludentibus, κῦρος, id est, *potestas regia* ei delata fuisset.

Suidæ vanitas manifesta est, qui exotici nominis etymon petit e Græcia sua, cum illud persice significet *solem*. C. A. *Rupertus* Observat. in Synops. Besoldi minor p. 119.

458. Lucianus atheus fertur *sub Traiano Imp.* & *ante vixisse*.

Eusebius in Chron. eum refert ad annum christi 165. *Calvisius* in A. 104. ait, videri, eum 70. *annis esse posteriorem*. Et *Baronius* in Annal. ad A. C. 171. n. VII.

	VII. p. 187. liquido conſtare fatetur, eum *ad hæc uſque tempora* perveniſſe. *Auctor Iren. irenicor.* 77.
Pag. 475. *Lyſiæ* Orationes germanæ perhibentur eſſe *ultra* 300. & præter eas aliæ, de quibus ambigitur.	Suidas id adfirmans, *fidem vix meretur*, notante Ioanne *Ionſio*. Th. *Crenius* Exercit. II. de libris ſcriptor. opt. 39.
494. Maximus *epirota vel byzantius* Iuliani Cæſ. parabatæ magiſter.	*Epheſius*, isque *cynicus*. Ezech. *Spanhemius* præfat. in Iulianum.
503. *Marcus* evangeliſta habet titulos XLVIII. *capita* XXXVI.	Corrige: *capita* CCXXXIII. *Valeſius* Annot. in Euſeb. p. 3.
572. Romani bello contra Pyrrhum & Tarentinos feliciter confecto, *voti compotes facti*, IunonemMonetam coluerunt (a monendo ſic dictam) & decreverunt, ut nummi *in eius templo* cuderentur.	Potius credendum antiquioribus teſtibus, *Ciceroni* & T. *Livio*, quorum ille, *cum terræ motus factus eſſet, vocem ab Iunonis templo in arce proditam eſſe*, VT SVE PLENA PROCVRATIO FIERET, unde Iunonem a monendo Monetam dictam, auctor eſt lib. I. de divinat. c. 15. *Aedes* quoque Iunonis *ab officina* ſeu loco, ubi moneta cudebatur, diligenter eſt diſtinguenda. Baſil. *Faber* in Theſ. erudit. ſcholaſt, v. *Moneta* p. 1443. & Dav. *Hoffmann* diſp. de dea Moneta p. 8. 9.
604. Dioſcorides *Anazarbenſis*, medicus, vixit apud Cleopatram, ſub Antonio.	Dioſcorides *alexandrinus*. Cl. *Salmaſius* Prolegom. in Exercitat. de Hyle iatrica p. 10.
720. v. Ὀρχησις παντομιμ⊙, *Saltatio pantomimica*. Ταυτην ὁ Αυ-	*Neque Auguſtus* eam invenit, *neque Auguſti temporibus*, uti

 Kuſterus

γυςος καισαρ εφευρε. *Hanc invenit Augustus Cæsar.*

Kusterus, Casaubonum in Athen. lib. I. cap. 17. p. 51. secutus, interpretatur, inventam primum exercuere Pylades & Bathyllus: nam pantomimi fuere antiquissimi, & pæne cum ipsa Rep. orti, sub Augusto non plus agentes, quam quod, *quæ ab aliis canerentur, ipsi saltarent.* Oct. *Ferrarius* Differt. de pantomim. n. XIII. p. 24.

Tomo III. p. 103. v. *Petrus orator.* Huius Petri magistri mentio fit apud Stephanum byzantium v. Ακοναι. *In eundem exstat Epigramma Anthol.* lib. 3. cap. 30. *Kusterus* in Annot.

Diversum omnino putem Petrum rhetorem, (licet clariss. *Kustero* ad Suidam aliter videtur) quem Leontius scholasticus in lib. 3. Anthol. c. 30. memorat spectantem in Dionysiis collapso theatro obiisse. Non enim rhetorem vocasset poëta, sed Patricium & Magistrum. I. Alb. *Fabricius* B. gr. lib. V. c. 5. p. 234.

126. v. *Plato.* Hæc (de poenis divinis improbis hominibus immitti solitis) *Plato ex libris sacris sumpsisse videtur,* in quibus Deus per Mosem ad Pharionem dicit: *Ad hoc ipsum excitavi te, ut in te meam potentiam ostendam; ut meum nomen per omnem terram celebretur.*

Platonem philosophemata sua non debere Hebrais, ostendit Io. *Clericus* ep. crit VII. I. A. *Fabricius* lib. III. B. gr. c. 1. p. 40.

159. Posidonius *alexandrinus,* philosophus stoicus, Zenonis cittici discipulus, *scripsit historiam.*

Non alexandrinus, sed *apameensis*; alexandrinus autem multo ante natum Polybium decesserat. *Vossius* de Hist. gr. l. 1. c. 24. p. 103. *Placc.* de pseudon. 518.

Potius

Pag. 313. Σικερα, *Sicera*. Potus factitius. *A verbo συγκεκρα϶αι*, i. e. *mixtum esse*.	Potius ab ebræo שכר *Schekar*, sicera, denotante omnem potum inebriantem. *Hieronymus* ep. ad Nepotianum, & Fran. *Redi* nel Bacco in Toscana p. 46. (T. I. *Supplem. Act. erud.* p. 115.)
341. v. *Scytale*. *Quoties* (Lacedæmoniorum ephori) *aliquid* duci suo ad bellum emisso *mandare volebant*, afferebant album lorum, quo scytalem involvebant, & in eo (mandatum) scribebant. Deinde lorum replicantes, id tabellario tradebant absportandum. Hoc autem faciebant, *ne tabellarii* qui scytalas ferebant, *scire possent*, quid in eo scriptum esset.	Tantum, quoties *aliquid secreti* ei significare volebant, & *ne corium ab hostibus* interceptum, ullo modo ab ipsis legi & intelligi posset. Dan. Guil. *Moller* disp. de Scytala Lacedæmon. p. 22. & disp. de Ominos. dieb. domin. 25.
342. v. *Smaragdus*. Argumentum constantis *pietatis*, ελεγχος βεβαιοτητος της ϑεοσεβειας.	Legendum, της ευτυχιας, *bonæ fortuna*. Vrban. *Chevraus* p. 420. des Oeuvres meslées. (*Actor. erud.* 1697. 238.)
496. v. *Traianus*. Quare Traianus *omnibus* imperio suo subiectis interdixit, ne christianos suppliciis afficerent.	Hæc indulgentia non ita universalis fuit, sed *ad Palæstinam, Syriam, & eas Orientis partes*, in quibus tunc agebat Imperator, magis spectabat. *Vsserius* ad C. Plinii epist. de christianis (Tomo II. Patrum apostolic. p. 179)
580. *Phares* in lingua hebraica separationem vel absciſſionem significat.	Non Phares, sed *Prischut*. Illud autem nomen fuit filii Iudæ. *Clericus* Histor. eccl. Tom. I. p. 5.
Pag. 627. v. *Phocylides*. Eius Sententiæ, quas κεφαλαια inscri-	Hoc malo credere, *Phocylidea Sibyllinis inserta esse*, quam contra.

bunt, *sunt ex carminibus sibyllinis surrepta.*

600. Philoxenus, leucadius, *parasitus.*

tra. Io. Alb. *Fabricius* Bibl. gr. lib. II. c. XI. p. 444.

Plures fuerunt Philoxeni parasiti: adeoq;non omnia uni tribuenda. *Reinesf.* Var.lect.l.3.c.2.p.362.

De aliis Suidæ erroribus curiositati lectoris satisfaciet V. CL. Iac. *Gronovius* in scripto, quod subiungitur Decretis rom. & asiat. pro Iudæis, edito A.1712. nec non in epist. latina apud *Clericum* Biblioth. choisf. T. IX. 187. Nec minus Lamb. *Bos*, celebre inter eruditos nomen, locum aliquem, qui apud Suidam sit mutilus, restituere conatur in Exercitat. philol. in N. T. libros p. 171. quem utinam expressisset, ut & hic suo indicare loco potuissem.

Suidas fuerit, uti creditur, grammaticus byzantinus, qui Lexicon hoc suum e variis collegit scriptoribus. Quo autem tempore vixerit, incertum est, aliis eum ad VItum, aliis ad X. aliis ad XI. vel XII. (minime autem cum Hieron. *Wolfio* ad XIVtum detrudendus est) sæculum referentibus. Et illis, qui ei sæculi XI. finem, vel XIImi principium tribuunt, accedit etiam *Kusterus* in præfatione (a) 4. hoc tamen addens, antiquiorem esse, quam vulgo credatur; sibi enim persuasum esse, plurima loca, quæ recentiorem ætatem sapiunt, ab aliis postea Lexico huic addita esse. *Erasmus* & alii Suidam æque, ac Hesychium alexandrinum, monachos fuisse coniiciunt, sed sine fundamento, uti videtur Io. Alb. *Fabricio* Biblioth. gr. l. 4. P. II. 544. Etymologici græci auctor multa ex Suida mutuatus est, teste *Placcio* de Anon. 358. Ceterum de Suida videantur *König* 785. *Magirus* 766. *Pope-Blount* 367. *Morhof* Polyhist. T. I. l. 4. c. 7. §. 3. *Acta erudit.* A. 1706. 1. *Clericus* Biblioth. choisf. T. X. 172. *Moller* de homon. 518. 906. *Magius* de Tintinnab. c. 12. p. 57.

Ludolphus *Kuster*, qui & *Neocorum* se appellavit, Blumbergæ in Comitatu Westphaliæ lippiensi natus, a puero litteris deditus, august. Prussorum Regis primi sumtibus Germaniæ partem & Hollandiam peragravit, atque in hac, Traiecti ad Rhenum, cum *Sickio* Historiam librorum novorum, & Dissertationem de Museo alexandrino scripsit, *Savotique* librum de numismatibus in latinam vertit linguam, & nonnullis Equitibus Germaniæ prælegit ius publicum. Inde in Galliam abiit, & facta Suidæ codicum collatione in Britanniam, ubi A. 1705. Cantabrigiæ ipsummet edidit, constitutus iam professor humaniorum litterarum in gymnasio berolinensi, & bibliothecarius. Sed huc reversus, tempore uti & ambitionem compescere nesciebat: cum enim de præcedentia certaret cum collega bene merito, nec eum superare posset, deposito ex fastidio munere Amstelodamum repetiit, ibique in lucem dedit *Iamblichi* Vitam Pythagoræ, *Millii* N. T. recognitum & locupletatum, atque *Aristophanem*. Animus quoque ei erat scribendi Thesaurum linguæ latinæ, ad modum *Stephani*, eumque breviorem & melius dispositum; sed vix eius initium fecit, cum Roterodamum concessit, sperans, minoribus expensis se hic victurum. Cum vero & hæc eum spes deluderet, & debitorum onere premeretur, post lites cum *Perizonio* & *Gronovio* habitas, A. 1713. desperati instar Antverpiam, indeque Lutetiam Parisiorum concessit, atque hic deposita religione lutherana, factus, cum salario 2000. librarum, regiæ Inscriptionum academiæ socius supernumerarius, hepatis ex ulcere lucis huius usuram amisit A. 1716. æt. 50. In *Actis erud.* A. 1706. p. 2. vocatur novum Germaniæ nostræ decus. Vitam egit coelebs honestam ac probam, sed varius fuit & mutabilis, nec semper, ut aiunt, satis prudens. Vide *Nova de reb. erudit.* A. 1716. n. LII. & A. 1717. n. V. *Neu. Bucher Saal* T. I. 434. T. III. 523. T. V. 887. I. B. *Bergerum* Dissert. acad. p. 176. & Christiani *Grundmanni* Ossa & ciner. p. 85.

LIII.

Io. SCAPVLAE Lexicon græco-latinum. Editio nova, & accurata: quam *Morhofius* Polyh. T. I. lib. IV. c. 8. §. 6. vocat nitidissimam. Lugduni Batav. apud Elzevirios & Hackium. 1652.

Ex Ioannis *Hummelii* bibliotheca. Prima prodierat Basileæ A. 1570. altera 1579. estque epitome Thesauri linguæ græcæ Henr. *Stephani*; unde factum, ut Thesaurus ille paucissimos nancisceretur emtores, & Stephanus ad paupertatem redigeretur. *Morhof* l. c. Addita sunt 1) (Iac. *Zuvingeri*) Auctarium dialectorum, in tabulas compendiose contractarum. p. 1. 2) Collectio vocum, quæ pro diversa significatione accentum diversum accipiunt. p. 93. 3) *Ammonii* de similibus & differentibus vocabulis libellus. p. 103. 4) Verborum quorundam Themata, quæ magna ex parte vel sunt anomala, vel poëtica, aut certe eiusmodi, ut non cuilibet obviam habeant originem. p. 129. 5) Io. *Harmari* Lexicon etymologicum. p. 249. ex Etymologico magno contractum. In quo non tantum etymologia vocum primigeniarum enucleate ostenditur, verum etiam analogia, quam lingua latina & anglica habent cum græca, liquido indicatur. p. 249. 6) de Græcorum notis arithmeticis ex Hadriani *Amerotii* scriptis. p. 231. 7) de linguæ græcæ veteri pronuntiatione. p. 237. De qua sic docet quicunque est auctor: α *Alpha*, ex hebræo Aleph, sono respondet a latino: β *Beta*, ab hebr. Beth, pronuntiatur ut b latinum: γ *Gamma*, ex hebr. Gimel, ut g latinum: δ *Delta*, ab hebr. Daleth sive Deleth, ut d: ε *E psilon*, ut e exile seu tenue: η *Etha*, ab Heth hebr. ut e longum: θ *Theta*, ab hebr. Thet, ut th: ι *Iota*, trisyllabum, ab hebr. Iod, ut i: κ *Cappa*, ab hebr. Cap sive Caph, ut c; k enim in latina lingua supervacuum est: λ *Lambda*, ex hebr. Lamed, ut l: μ *My*, ab hebr. Mem, ut m: ν *Ny*, hoc est, Nu, per n exile, ab hebr. Nun, ut n: ξ *Xi*, ab hebr. Schin, ut cs vel gs: ο *O micron*, ut o parvum: π *Pi*, ab hebr. Pe, ut p: ρ *Rho*, ab hebr. Resch, ut r: σ *Sigma*, ab hebr. Samech, ut ſ: τ *Tau*, ab hebr. Tau, ut t latinum: υ *Ypsilon*, hoc est, u tenue, gracile, exile, ut y: φ *Phi*, sive Fi, ab hebr. Phe vel Pe, ut f, seu digamma æolicum; solis enim Aeolibus sonus hic cum aspiratione erat peculiaris: χ *Chi*, ut ch, seu c aspiratum: ψ *Psi*, ut ps, aut bs: ω *O mega*, id est, o magnum, ut duplex o latinum. Diphthongi autem, αι, αυ, ει, οι, non pronuntiandæ sunt ad modum simplicium vocalium, e, af, i, sed ita, ut distinctim illæ vocales audiri possint, nimirum ut ai, au, ei, oi, si in una efferuntur syllaba. 8) Io. *Meursii* Glossarium græco-barbarum contractum p. 311. In quo vocabula ultra 5000. præcipue

cipue officiorum atque dignitatum Imperii constantinopolitani, tam in palatio, quam ecclesia aut militia, ab Henr. *Stephano*, & Ioanne *Scapula* omissa, aut alio significatu accepta, explicantur. Operi præfiguntur *duæ Præfationes*, altera *typographorum*, qui aiunt, se dare Lexicon Scapulæ, nova indutum veste, & elegantioribus longe, quam antehac, typis, forma nitidiore, charta candidiore impressum ac recusum, neque hic frustrandum sua laude Corn. *Schrevelium*, quippe cuius indefessæ diligentiæ, & insigni linguæ græcæ peritiæ atque exacto iudicio novam illud hanc vitam debeat: eum enim id plurimis, imo infinitis fere vocabulis auctius reddidisse, obscuriora loca clariori luce donasse, hiulca supplevisse, ubi latina deficeret interpretatio, eam ex aliis Onomasticis, aut de suo addidisse, quæ interlinearibus hic illic spatiis seu cancellis inclusa essent themata, & lectorem ad primitiva relegabant, ut supervacanea sustulisse, & Indici vel loco iam suo inseruisse, errores innumeros abstulisse, & sub finem adiunxisse Indicem geminum; usos quoque interdum consilio & auxilio atque opera Lamberti *Barlæi*, qui Symbolam quoque suam contulerit: altera Io. *Scapulæ*, qua linguam græcam tum brevem, tum facilem esse demonstrare conatur; ad quod efficiendum, se omnes eiusdem originis voces, quæ in superioribus Lexicis alphabetico ordine scriptis sparsim leguntur, in unum veluti fasciculum collegisse. Denique indicat, *Herodotum* & *Hippocratem* ionica usos esse dialecto.

Io. *Scapula*, germanus, Henrici Stephani quondam famulus, Lexico græco melius de iuventute scholastica, quam de suo hero meritus est; sicut enim illo medullam Thesauri stephaniani exhibuit, ita hunc, ut dictum est supra, isto labore suo, præter tamen animi sententiam, ad incitas redegit. Laudatur illud, ut optimum, a *Morhofio* l. c. & a *Balbino* Verisimil. human. discipl. p 313. vocatur omnium absolutissimum. Sed plagiariis ne annumerandus sit, an secus, sub iudice lis est. *Kœnig* 729. I. C. *Zeltner* de Correctorib. 486.

Iac. *Zuvingerus*, basiliensis, Med. Doctor, eiusque & græcæ linguæ in academia patria professor, struxit Examen principiorum chemicorum, Physiologiam, Etymologicum græcum magnum, Commentarium in *Galeni* librum de definitionibus medicis, Analysin in epistolas *Pauli*, & Formulas precum, atque ad plures abiit A. 1610. æt. 41. *Witte* Diar. biogr. H 2.

Ammonius, Hermiæ filius, discipulus *Procli*, & præceptor *Simplicii*, *Asclepii* Tralliani, *Ioannis* Philoponi, & *Damascii*, philosophiam docuit Alexandriæ in Aegypto, & commentario illustravit *Aristotelis* Categorias, & librum de Interpretatione, nec non *Porphyrium* de V. prædicabilibus, florens circa annum Christi 500. *König* 34. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. IV. c. 26. p. 161.

Io. *Harmar*, Glocestria-anglus, Artium magister, græcæque linguæ Professor Oxoniæ, formavit Eclogas sententiarum & similitudinum e *Chrysostomo* decerptas, græce & latine, cum annotationibus, Elegiam sacram in conversionem & martyrium S. *Albani*, Orationem pro lingua græca, Apologiam pro Io. *Williams*, archiep. eboracensi, *Cromvvelli* Protectoris Elogium, Orationem panegyricam in CAROLVM II. reducem, & Poëmata græca & latina, vitæque & laborum finem fecit A. 1670. *König* 380. *Witte* Diar. biogr. Eeee.

Hadr. *Amerotius*, suessionensis, scripsit de Dialectis Græcorum, obiitque A. 1560. *König* 33. *Frisius* Epit. Biblioth. gesner. p. 8.

Io. *Meursius*, Losduno-batavus, distinguendus a filio cognomini Nic. *Stochii* discipulus, præcoce ingenio præditus, a græcis litteris ad latinas transiens, atque informandis Io. Barneveldii filiis admotus, cumque iis post decennium in amplissimi viri familia & consuetudine actum peregrinans, atque Aureliani summo in Iurisprudentia doctoris titulo cohonestatus, postquam Lugduni historiam, & linguam græcam docuerat, historiæque patriæ conscribendæ partes susceperat, Soram migravit, & historiam prælegit atque politicam, vita defunctus A. 1639. æt. 60. Græcos auctores bene multos edidit, quos aut transtulit in latinam linguam, aut notis clariores reddere studuit, ut *Antigonum* Carystium, *Apollonium* alexandrinum, *Constantinum* porphyrogennetam, *Constantinum* Manassem, *Codinum*, *Eusebium* in Cant. *Hesychium* milesium, *Lycophronem*, LEONEM Imp. *Methodium*, *Palladium*, *Polychronium* & *Psellum* in Cant. *Procopium* gazæum, *Phlegontem* trallianum, & *Theophylactum*, ne dicam de eius Archontibus atheniensibus, Populis seu potius pagis atticis, Eleusiniis, Panathenæis, Græcia feriata, Græcia ludibunda, Orchestra, Puerperio & funere, Luxu Romanorum, Historia danica, & latinis auctoribus, *Arnobio*, *Apuleio*, *Catone*, *Macrobio*, *Phædro*, & *Plauto*, quibus annotationum suarum lucem admovit

movit, vir de omni litteratura præclare meritus, dignusque reputatus, de quo diceretur in epitaphio, testari viri scripta, quod maius hoc nomine nihil habuerit Sora. *König* 537. *Witte* Diar. biograph. N n 4. & Memor. philos. 478. *Academia leidensis* 217. *Baillet* des Enfans celebr. 223. Alb. *Bartholinus* lib. de script. Danor. 76. & Io. *Moller* ad eum Hypomnem. p. 284. *Imperialis* 210. *Magirus* 593. *Pope-Blount* 955. *Morhof* Polyh. T. I. lib. IV. c. VI. 27. & lib. V. c. I. 225. T. II. lib. I. 3. *Schurzfleisch* in Biblioth. *Schrader*. P. I. K 4. 3. *Feller* monum. inedit. 561.

LIV.

DICTIONARIVM græco-latinum, post correctiones Guil. *Budæi*, Iac. *Tusani*, Conr. *Gesneri*, Hadr. *Iunii*, Rob. *Constantini*, Io. *Hartungi*, Mart. *Hopperi*, Guil. *Xylandri*, a Iac. *Cellario*, & Nic. *Hœnigero* emendatum & auctum. Cum Appendice varia opuscula complectente. Basileæ per Sebast. Henricpetri 1584. Lexicon hoc a *Crenio* Animadvers. P. XVIII. p. 192. encomio optimi mactatur; in eo, iudice Io Alb. *Fabricio* Biblioth. gr. l. 4. c. 35. p. 553. bene multis Glossarii hesychiani locis lux affunditur; eodemque Io. Andr. *Bosius* quotidie usus est, & multa adscripsit; sed Henricus *Stephanus* in epistola de suæ typograph. statu multorum id errorum accusat, eique consentit Conr. *Gesnerus* apud *Morhofium* Polyhist. liter. l. 4. c. 8. p. 97. Verum enim vero discrimen faciendum est inter editiones: illi enim intelligunt priores editiones, quæ nondum sic erant repurgatæ & auctæ. Interim fatendum, Henr. *Stephani* Thesaurum græcæ linguæ omnibus aliis Lexicis esse anteferendum, utpote promtuarium & horreum totius græcismi. De quo vide *Morhof*. l. c. *Scapulam* in præfat. sui Lexici, *Acta erud*. A. 1713. 484. & *Maium* Annot. ad Basilii M. orat. de leg. gentil. lib. 69. Laudantur etiam *Etymologicum magnum*, recusum Venetiis apud Ant. *Bartoli*, cum melioribus *Sylburgii* notis; & Varini *Phavorini*, qui & *Favorinum* se aliquando scripsit, Dictionarium magnum, sive thesaurus universæ linguæ græcæ, quod ibidem apud eundem luci redditum fuit A. 1712. De illo, cuius auctor videtur esse *Nicas*, testibus *Placcio* de anon. 357. & Rich. *Simonio* Biblioth. choisf. P. I. 120. legere poteris il *Giornale de' letterati d'Italia* T. II. 471. de hoc idem illud T. XIX. 89. *Morhofium* Polyhist. liter. T. I.

lib. IV. c. 8. p. 94. & *Neu. Bucher Saal* T. III. 2. Ceterum ne quidem illa prædicta omnibus numeris ſunt perfecta; & Lud. *Kuſterus* de Lexicorum græcorum defectibus ſcripturus erat, ſicut narratur in *Actis erud.* A. 1710. 103. Ad linguam græcam vulgarem cognoſcendam in primis facit P. Alexii *de Somavera* Teſoro della lingua greca volgare, Pariſiis in lucem editus a P. Thoma Pariſino A. 1709. 4. maiori, de quo vide *Acta erudit.* A. 1711. 345. Sed ut ad noſtrum revertamur Lexicon, ſciendum, in eius Appendice, uti titulus habet, contineri ſequentia: 1) de revocatione verborum difficiliorum ad ſua themata. 2) *Cyrilli* dictionum collectio, quæ accentu variant ſignificatum. 3) Significationes particulæ ὡς. 4) *Chœrobosci* de dictionibus, quibus υ additur, vel abiicitur. 5) *Eiusdem*, quod verborum canones exacte inveſtigari non poſſint. 6) de græcarum linguarum proprietate, ex ſcriptis de Arte *Ioannis* grammatici. 7) *Plutarchi* de dialectis, quæ apud Homerum. 8) *Corinthi* de dialectis. 9) *Orbicii* de exercitus ordinibus. 10) Significata τȣ H. 11) *Tryphonis* grammatici de paſſionibus dictionum. 12) de Inclinatis, & encliticis, & ſynencliticis. 13) *Ameroutii* de Græcorum notis arithmeticis 14) de varia menſium appellatione. Verum ex omnibus hiſce partibus, in meo quidem exemplari, non niſi prima conſpicitur, eaque recognita, &, ſicut rubrum prædicat, infinitis locis aucta.

Pag. 305. v. Γαισον. Cap. 8. Ioſ. εκτινον την χειρα εν τω γαισω εν τη χειρα σȣ --- in lib. *Iudith* lit. κζ	Εκτινον την χειρα σȣ εν τω γαισω τω εν χειρι σȣ --- in lib. *Iudith* IX, 9.
738. Κατερχομαι, *Deſcendo*, redeo, ut exul.	Potius ſignificat, *Abeo*, *Venio*. Vide *Hiſtor. Symb. apoſtol.* 180.
820. Λεγαι γυναικες, ab Archilocho dictæ ſalaces & venereæ, quaſi *lecti appetentes*.	Quid ni a germanico, Leege wyfer? *Morhof* de Lingua teuton. 110.
983. Οτ]ευομαι, in religionem verto, aſpernor, *augurer*.	*Vates conſulo*. De quo *Acta erud.* A. 1710. 107.
1269. Στρατηγημα, Geſtum militare, conſilium, *ſtratagema*, exemplum militare.	*Strategema*. Thom. *Crenius* Animadv. philol. P. XIV. 21. & XVI. 189.

Guil.

Guil. *Budaus*, parisiensis, primus Gallorum, rudi adhuc sæculo, sine præceptore ac duce idoneo, ad tantam utriusque linguæ, artium & scientiarum, iurium, medicinæ, & disciplinæ sacræ cognitionem pervenit, ut ab *Erasmo* non immerito portentum Galliæ vocaretur, tamque studiis quotidie erat deditus, ut ne patris quidem, quem alias colebat ac reverebatur, severæ dehortationi cederet, ipsoque nuptiarum die, qui est lætitiæ & hilaritati dicatus, tres iis horas impenderet. Sed nimia tamen hæc & pertinax industria gravem ei ac diuturnum morbum conflavit, quo durante tantum abest, ut requieverit a Musarum commercio, ut fere omnia sua scripta eo tempore orsus sit, expoliverit atque ediderit, videlicet versionem latinam *Plutarchi* de tranquillitate animi, & fortuna Romanorum, & *Alexandri* magni de placitis philosophorum: Annotationes in Pandectas: divinum opus de asse: Commentarios linguæ græcæ: libros de transitu hellenismi ad christianismum: libros de philologia. Omnia eius opera iunctim prodierunt Basileæ A. 1557. Cum Leonardo *Portio* gravis ei intercessit lis de assis libro, quem ille sibimet vindicare conabatur; nec ipsi nulla cum *Erasmo* erat contentio de diverso, cui uterque adsueverat, scribendi modo; sed ab odiis personarum, quarum eruditio & virtus conspicuæ erant, longissime remota, quin illa cum pœnitentia vehementioris fortasse iracundiæ, hæc autem cum indissolubili amore Erasmi coniuncta. Ob dotes eximias & singulares magno apud omnes habitus fuit in honore, a CAROLO IIX. rege in aulæ comitatum accersitus, a LVDOVICO XII. bis in Italiam legatus missus, a FRANCISCO, summo illo litterarum ac litteratorum patrono, scriniis bibliothecæ regiæ præfectus, & libellorum supplicum magister, ab urbe autem, quæ orbem in se conprehendit, præfectus decurionum constitutus, donec, relictis VII. filiis, & IV. filiabus, omni liberali ingenuaque doctrina imbutis, A. 1540. æt. 73. studiorum, honorum, vitæque finem faceret, & noctu sine ulla pompa, sicut testamento caverat, sepeliretur. Nihil in eius vita aut oratione quisquam potuit invenire, quod iure reprehenderet, ferturque gloriari solitus, omnes animi motus a se victos & superatos, excepta iracundia; quam tamen ipsam ita quoque cohibebat, ut, quamvis contra voluntatem commoveretur interdum, nunquam præter rationem excan-

excandesceret. In latina lingua genere dicendi usus est amplo, copioso, gravi, ornato, vehemente, grandi verbis, & omnibus partibus elaborato, in græca autem superavit non alios duntaxat, ut C. *Longolium*, & Laz. *Bayfium*, sed etiam se ipsum. Lud. *Regius* in Vita Budæi, apud Leikherum in Vitis clariss. ICtor. p. 28. *König* 141. *Crasso* negli Elogi P. I. 21. Scæv. *Sammarthan.* Elog. lib. 1. p. 3. *Magirus* 153. *Pope-Blount.* 565. *Erasmus* in Epp. *Pflug* in ep. ad Erasmum, huius libro de Concordia eccles. p. 163. Val. *Forster* Hist. iur. rom. 697. *Morhof* Polyh. T. I. lib. I. p. 7. *Cren.* de singular. scriptor. 59. & Dissert. I. de furib. libr. p. 48.

Iac. *Tusanus*, remus, Budæi discipulus, & quo post Budæum Gallia non habuit græci sermonis peritiorem, Parisiis regius græcæ linguæ professor, quædam e *Gaza* Grammatica, & *Budæi* Epistolas græcas in latinam transtulit linguam, atque Annotationes scripsit in Sphæram *Procli*, eodem cum Fran. *Vatablo* decedens die, sicut eadem cum illo luce in regiorum professorum collegium cooptatus fuerat, ut, qui in eodem vitæ curriculo desudassent, ne mortis quidem tempore divellerentur: contigit autem decessus ille A. 1547. XVII. Kal. April. *Thuanus* lib. III. p. 62. Lud *Regius* l. c. p. 86. *Frisius* Epit. Biblioth. gesner. 387. Gul. *Rouillius* in promtuar. iconum p. 231. & *Leikher* in Vitis clar. ICtor. p. 86.

Hadr. *Iunius*, hornanus, medicus & philologus, octo cordibus (nam totidem callebat linguas) instructus, emisit Animadversionum libros VI. Commentarium de coma, Nomenclatorem (cuius scribendi caussa, atque ut proprias instrumentorum appellationes in vernacula disceret, cauponas sæpe intravit, & inter opifices aliosque e plebe consedit: quod Io. *Sambucus*, illius scopum ignorans, ægre tulit, atque ab eo alienior factus est) ac in vertendo *Eunapio*, dandoque Cornucopiæ, præclaram posuit operam, denatus prope Middelburgum, postquam Harlemo illuc se contulerat, A. 1575. at. 62. magno, sine dubio, rerum accisarum, & bibliothecæ in Harlemi expugnatione direptæ tædio affectus. *König* 440. *Magirus* 489. *Blount* 652. *Roll* de nobil. theol. 295. Io. *Moller* ad Bartholin. de script. Danor. 218. *Le Clerc* Biblioth. choiss. T. XV. 338. *Crenius* Animadv. P. I. 33.

Rob. *Constantinus*, cadomensis, trium vir linguarum, & græcæ in primis ac latinæ peritissimus, Bezæ summus amicus, totam fere

fere Europam pervagatus edidit artificiosam Tabulam, in qua græcæ linguæ origines continentur, Commentarium de accentibus græcis, Methodum studii linguæ græcæ, & Iul. Cæs. *Scaligeri*, cuius domesticus fuerat, Commentarium in partem aliquam Theophrasti, vixitque ad annum ætatis 105. integris corporis & mentis sensibus, memoriaque adhuc valida: annus autem ille, quo mortalitatem exuit, erat post natum Christum 1605. *Kœnig* 209. *Thuanus* lib. 134. p. 1082. *Colomesius* 103. *Frisius* Epit. Biblioth. Gesner. 162. *Morhof* Polyh. T. I. lib. IV. c. 8. n. 7. & quamvis a Ios. Iusto *Scaligero* apud Colomes. l. c. & in Scaligeran. p. 101. vocetur asinus, homo ineptissimus, & magnus stultus, eiusque Thesaurus linguæ græcæ despiciatur, Iulius tamen Cæsar *Scaliger*, apud eundem Colomesium, hac eum laude ornat, integritatem & fidem hominis æquare ingentem eruditionem: & Conr. *Gesnerus* in Catal. libror. suorum incomparabilis eum doctrinæ virum salutat. Vide etiam *Boecler*. Dissert. acad. T. I. 652. *Morhof*. l. c. *Menagiana* T. III. 91. & *Cren*. Animadv. P. V. 138. & Dissert. l. de furib. libr. §. 31.

Io. *Hartungus*, miltenbergensis, ex bello redux, professioni græcæ linguæ in academia heidelbergensi admotus fuit; postea vero illam docuit Friburgi, relictisque in III. priores libros Odysseæ Annotationibus, & locorum Decuriis memorabilium, aliisque, rebus humanis cum singulari laude veræ probitatis, fidei & industriæ valedixit A. 1579. æt. 74. *Frisius* Epit. Biblioth. Gesner 454. Melch. *Adam*. de Vit. philos. 300. *König* 381. *Schurzfleisch* Dissert. de Meritis German. in gr. liter. §. 11.

Mar. *Hopperus*, basiliensis, florens A. 1550. condidit Præfationes in Damascenum, Eusebium & Strabonem, atque ex græco in latinum transtulit *Andreæ* presbyteri Concionem de salutatione angelica, atque *Eusebii* XVtum de Præparatione euangelica librum. *Frisius* l. c. 567.

Iac. *Cellarius*, augustanus, Christoph. Cellarii, professoris halensis, proavus, doctrinam morum & artem loquendi sæculo XVI. professus est in illustri Lauingæ lyceo, a Io. Georg. *Walchio* in Vita Christoph. Cellarii ** 2. politioris litteraturæ summus vindex & diligens custos nuncupatus. Hic est Iacobus, (sic ille pergit) vir in humanioris litteraturæ ornamentum natus, cuius opera *Nizolii* Thesaurus M. Tullii Ciceronis recognitus, multis accessio-

nibus locupletior, ac maiore nitore splendidior in lucem publicam prodiit.

LV.

Marii NIZOLII Thesaurus ciceronianus, post nunquam satis laudatas operas Basil. *Zanchii*, Cœl. Secundi *Curionis*, & Marcelli *Squarcialupi*, emendatus & locupletatus a Iac. *Cellario*. Francofurti 1613. Hæc editio omnibus est prioribus, quarum prima sub titulo *Observationum in Ciceronem* A. 1520. Basileæ prodiit, anteferenda, quippe in qua etiam notata sunt, si quæ inemendata lectione deceptus Nizolius Cicerone indigna receperat. Accessit Index ciceronianarum vocum barbaris substitutarum, isque auctior. Meliorem autem editionem anno 1718. promiserunt Lipsienses. Complectitur hic Thesaurus omnia Ciceronis verba, omnemque loquendi atque eloquendi varietatem. Ipse *Nizolius* in Dedicat. ad Io. Fran. *Gambaram* Observationes hasce ex omnibus Ciceronis operibus collectas ad eloquentiam addiscendam maxime utiles ac necessarias arbitratur, atque hoc opus, ipso illo *Gambara* auctore, adiutore & quasi perfectore, natum esse ait, sicut Iac. *Cellarius* in sua ad Wolfg. Henr. *Streinium* Lib. Baron. de suæ & priorum editionum differentia, huiusque adeo præstantia loquitur. Pleniorem autem & perfectiorem, teste I. A. *Fabricio* Supplem. Biblioth. lat. p. 45. daturus erat G. Pet. *Schulze*, prof. in acad. viadrina: & *Gaulterius*, magister artium in Vniuersiate parisiensi promittit Indicem omnium vocum & phrasium Ciceronis.

Pag. 27. *Acroama. Narratio, musica symphonia in fabulis, musicus concentus.*	Immo *ipsi homines* sic dicebantur, videlicet musici, ridicularii & histriones, qui canticis ac dictis lepidis convivas aut spectatores oblectabant. Io. *Vorst*, de latinit. sel. 320.
187. Assero, *affirmo.*	In significatione affirmandi *nusquam apud Ciceronem* usurpatur. C. *Cellar.* in Discuss. Append. Danicæ 27. *Dornmeier* de vitiosa Cic. imitat. 75.
295. Coævus. *aequalis.* In Vat. 35. b. Nunquam puer aut ado-	Sed ipse bene addit: Alias *coetas*, & melius. *Idem* notat C. *Cellarius*

lescens inter *coævos* fuerat.	*larius* in Antibarb. 112.
Pag. 297. *Cæ um.* Epicurei plures volunt esse *cælos.*	*Poëticum* hoc, non Ciceronianum est. *Dornmeier* 75.
370. *Co glacio.* Ep. 115. b. Curioni nostro *tribunatus conglaciat.*	Est *Cælii*, non Ciceronis. *Idem* ibid.
455. *Curantia.* Quint. fr. 3. 10. b. Quod me admones de *non curantia.*	Alii legunt, *de nostra Vrania. Dornmeier* 73.
542. *Diribitio*, distributio. Pro Plan. 261. b. Nihil iam est, quod populo supplicetur, nihil quod *diribitio*, nihil quod supplicatio magistratuum, renunciatio suffragiorum expectetur.	*Gruterus* tradit, & veterum editionum. & omnium MSS. esse *directionem. Cellarius* in Bas. Fabri Thesauro, v. Diribo, p. 718.
584. *Dubius.* Ep. 7. a. Si *dubium* tibi est, *posse te* illius regno potiri.	Ibi sic exstat: Si *exploratum* tibi est, posse te illius regni potiri. *Idem* 77.
664. *Expectoro.* *De orat.* 157. b. & *Tusc.* 213. a.	*Solius est Ennii* *Dornmeier* 75.
697. *Falsitas.* Pro Clu. 18. b. Sicut aliis in locis parum firmamenti, & parum virium *falsitas* habet.	In codice langobardicis litteris exarato, quemque *Victorius* optimum vocat, legitur, *veritas.* Pro falsitate autem *Cicero* usurpavit falsam invidiam, *Terentius* vanitatem. Pet. *Victorius* Var. lection. lib. 24. c. 2.
726. *Floccifaction.*	*Dubium, an sit Ciceronis.* *Dornmeier* 73.
1561. *Salto.* Orat. 20. a *Egesias*, dum ille quoque imitari Lysiam vult, alterum pene *Demosthenem saltat*, incidens particulas.	Ipse Tullius in Oratore ita scribit: *Hegesias dum imitari* Lysiam vult, alterum pæne Demosthenem, *saltat*, incidens particulas. *Dornmeier* 80.
1605. *Septemdecim.*	Veteres dixerunt, *decem septem*, aut *decem & septem. Idem* 74.

Pag. 1833. *Verſus*, carmen, modus. De Oration 108. Demoſthenes multos *verſu* uno ſpiritu pronunciabat, Attic. 32. Ita deplorat primis *verſibus* (epiſtolæ) manſionem ſuam.	At in in iſtis duobus locis, verſus ſignificat *lineam*. I. *Vorſt.* de Latinit. ſel. p. 75.
1834. *Verſutiloquus*. *de Orat.* 157. a & *Orat.* 212. b.	*Eſt Ennii. Dornmeier* 75.

Marius *Nizolius*, brixellenſis, homo & doctus & certe de latina lingua præclariſſime meritus, ideoque celebratiſſimus omnibus, hoc in ſtudio præcipue a Io. Fran. *Gambara*, dum Matthæus *Advocatus*, eiusque filius Camillus, in editionem huius operis omnem pecuniam ſuppeditabant, adiutus ac ſuſtentatus, adverſarios nactus eſt Henr. *Stephanum*, & Io. *Verneretum*, quorum ille Dialogum ſub titulo Nizoliodidaſcali, ſeu monitoris Ciceronianorum nizolianorum, hic Diſputationem contra Nizolium emiſit. Neque vero vel *Nizolio*, vel eius operam ſupplenti Iac. *Cellario* hoc propoſitum fuit, ut ad barbaros deportanda cenſerent, quæ Ciceronis non eſſent; ſed curæ fuit meritiſſimis viris latini ſtili cum caſtitas, tum ſuavis & ſibi conſtans elegantia. C. *Cellarius* Prolegom. in Curas poſter. de babariſm. & idiotiſm. ſermonis lat. p. 3. Cicerone tam diu utendum, dum e penu ſuo verba ſuppeditat; ſi vero deficit, aliorum auctorum fores pulſandæ, & ſcrinia excutienda ſunt. Interim Theſauro Nizolii, quem *Cellarius* l. c. p. 2. vere aureum appellat, magno cum fructu uti poſſumus, ac debemus. *Morhofius* Polyhiſt. liter. T. I. lib. IV. c. 9. p. 114. de eo ita iudicat: *Eſt utique præclarus liber, ad latinitatem Ciceronis utiliſſimus.* Sed & hoc addit: *Tamen & multa ei operi deſunt:* non quod Cicero non exhauſtus ſit a Nizolio, ſed quia multa ſunt in latinitate, quæ apud Ciceronem non exſtant. Præterea & alia ſunt, quæ Nizolius elucubravit, videlicet libros IV. de veris principiis & vera ratione philoſophandi, & quædam contra *Maioragium*, tranſtulitque *Galeni* explanationem obſoletarum vocum Hippocratis, ſæculo XVI. & florens & defunctus. *Balbinus* Veriſimil. pag. 32. hoc in eo notat, ipſum, quidquid in Cicerone legerat, continuo probum eſſe credidiſſe. Sed hoc cum ante dictis eſt conferendum.

Baſil.

Basil. *Zanchius*, bergomas, ordinis Canonicorum regularium, & bibliothecæ custos vaticanæ, insignem latinæ linguæ notitiam adeptus, & præstantissimus poëta, reliquit Dictionarium poëticum, Poëmatum libros IIX. Epitheta veterum poëtarum, Qq. in libros Regum & Paralipomena, mundoque valedixit Romæ A. 1560. *König* 880. *Ghilini* P. I. 26.

Cœl. Secundus *Curio*, Cyriaci fano, Taurinorum oppido, natus, Italia propter religionis placita, quæ eum fere in vitæ periculum coniecerant, excessit, ac Basileam se contulit, ubi philosophiæ & eloquentiæ studia per 23. annos professus, multa ac varia scripsit, interque illa Araneum, seu de providentia Dei, de Amplitudine regni Dei, de Immortalitate animorum, de Liberis educandis, Christianæ religionis institutionem, Paradoxa christiana, Pasquillum ecstaticum, Orationes, Enarrationes in aliquot *Ciceronis* libros, & Forum romanum, atque ad plures abiit A. 1569. æt. 67. *König* 228. *Frisius* Epit. biblioth. Gesner. 128. *Thuani* iudicio lib. 46. Hist. p. 874. erat ille homo omni litterarum genere non mediocriter expolitus.

Marcell. *Squarcialupus*, publico donavit librum de cometis A. 1580.

LVI.

Ludov. LVCII Aerarium seu Thesaurus linguæ latinæ, Francofurti 1613. In quem non Ciceronis modo, verum omnium quoque reliquorum linguæ latinæ scriptorum, ab ipso Plauto ad Claudianum usque, voces & phrases collatæ sunt. Cicerone igitur utendum, sed, quæ apud eum non inveniuntur, petuntur ab eo, qui illi proximus est. Nam qui fructum (sic philosophatur *Lucius* in ep. dedicat.) in facienda oratione percipere vult, ei duo potissimum observanda: 1. ut unum sibi in genere proponat, eumque optimum. 2. ut ne genera scriptionum confundat, sed poëma scripturus, poëtam respiciat; si historiam, historicum; & si orationem, oratorem. Itaque caussam dicturus, aut epistolam vel dialogum scripturus, respiciat & imitetur Ciceronem; qui vero rerum gestarum memoriam litteris mandare cupit, Cæsarem, Sallustium, Livium. Et sic in ceteris generibus faciendum, nimirum in heroico versu imitandus est *Virgilius*; in lyricis *Catullus* & *Horatius*; in epigrammatis idem *Catullus* & *Martialis*; in elegia

Tibullus, *Propertius*, *Ovidius*; in tragœdia *Seneca*; in comœdia *Plautus* & *Terentius*.

Pag. 295 2. *Gratitudo*. *Sabellicus*. lib. VII Exemplor. cap. 1.	Gratitudo *non est vox proba latinitatis*; nec Sabellicus testis omni exceptione maior. *Voss.* de Latinit. mer. susp. 65. C. *Cellarius* in Curis poster. 356. & Antibarb. 42.

Lud. *Lucius*, helvetius, primum diaconus & rector bodensis, deinde concionator ambergensis, tandem Logices prof. basileensis, & gymnasii burgensis visitator, dedit Historiam iesuiticam, Tractatum de providentia & prædestinatione, Notas in Apocalypsin *Ioannis*, Disceptationem de caussa meritoria iustificationis contra Io. *Piscatorem*, Antichristum adversus *Bellarminum*, Synopsin antisocinianam, Bibliorum translationem germanicam, & novam Centuriarum magdeburgensium editionem, vita defunctus A. 1642. æt. 66. *Baclerus* in Dissert. de Lexicis, quem *Kriegkius* sequitur in Constit. schol. ilfeld. pag. 127. hoc duorum voluminum opus, puta Nizolio-Lucianum, præfert Rob. *Stephani* Thesauro lat. linguæ & Foro romano *Curionis*.

LVII.

Basilii FABRI Thesaurus eruditionis scholasticæ, emendatus & auctus per Aug. *Buchnerum*, & Christoph. *Cellarium*. Lipsiæ. 1696. Supellex hic traditur instructissima vocum, verborum, & locutionum: tum rerum, sententiarum, adagiorum & exemplorum, quæ docentibus ac discentibus ad intelligendos solutæ & ligatæ orationis latinos auctores, solidamque eruditionem comparandam, magno adiumento esse possunt. Hæc editio est Cellarii tertia, eaque ab ipsomet correcta infinitis locis, & innumeris accessionibus locupletata. Vide ipsum *Cellarium* in Iudicio de Borrichii Vindiciis L. L. p. 7. Et præsens hæc editio annumeranda est optimis, quæ sunt de anno 1700. 1710. & 1717. In quibus adornandis & augendis industrium se præbuit M. Andr. *Stubelius*, sua laude nequaquam privandus, sicut recte iudicant celeberrimus I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 449. & CL. Io. Georg. *Walchius* in Indice lucubrationum C. Cellarii *** 7. nec ipse diffitetur, qui alias ei adver-

versatur, eruditione insignis I. G. B. Ianus Gregor. *Betulius*, sive Io. Georg. *Burckhard*, in Ep. ad amicum p. 14. Non tamen omnes latinas voces hic reperies, sed eas duntaxat, quæ probatæ sunt latinitatis, & discentibus possunt esse usui; sic enim se explicat *Cellarius* in Iudicio de Vindic. L. L. Borrichii p. 81. Immo ne quidem in Stübeliano opere, siquidem auctor *Nova Bibliotheca* T. I. 738. non nullas omissas esse ostendit; & Christianus *Falster* Supplementum ad hoc Lexicon dedit Flensburgi A. 1717. Neque etiam huic Lexico in quantitatibus fidendum. *Schurzfleisch* in Biblioth. *Schrader*. P. I. 117. & *Cren.* Exercit. III. de libris scriptorib. opt. 43. *Morhofius* Polyh. lib. IV. c. 9. §. 16. memorat, dici, Francofurti ad Viadrum uberiorem latere vocabulorum collectionem, quam Tob. *Magirus* ad Fabrum sibi collegerit: *quod si verum est*, (eiusdem adhuc sunt verba) *non inanis fortasse fuerit labor ille, si e ceteris Magiri, viri diligentissimi, scriptis eum indicare velimus*. Quod autem addit: *Miror*, Bœclerum *Foro romano Fabrum a Buchnero revisum praferre, in Dissertatione de Lexicis*, id quidem in ea, prout habetur Tomo I. Dissertat. academ. p. 645. non exstat: non enim Fabri Thesaurum, sed Lucii Lexicon basiliense Foro romano anteponit, p. 653. Datur etiam huius Thesauri Epitome, quæ prodiit Lipsiæ A. 1595. Neque hoc reticendum, Patavii in Italia virum esse litteratissimum, qui operis huius, a M. Stubelio magna industria locupletati, errores, publici caussa, non superciliose, sed modeste indicaturus est.

Pag. 1. A & Ab, præcedente verbo passivo, *personam agentem* significat.

Aevum p. 59. *Coævus* idem, quod coætaneus.

As. p. 229. Cum Romanus populus ære alieno premeretur, ex singulis assibus liberalibus sextantarii, *id est, scibra (halbschvver)* facti.

Asia. p. 232. Sic *ab Asia* Iapeti ap-

Non semper: ut docet Io. *Vorstius* de Latinit. mer. susp. c. 13. p. 98.

Circa quartum demum sæculum cœpit in usu esse vocabulum illud. *Menagiana* T. III. 408.

Verba illa cursivis expressa *omittenda sunt:* nam ex Plinio & Festo constat, asses sextantarios fuisse duarum unciarum. I. C. *Wagenseil* disp. de re monet. Romanor. c. 6. p. 26.

Ab Asso philosopho. Laurent. *Beger*

pellata coniuge.	*Beger* de Nummis Cretenſ. ſerpentiferis (Extract. menſtr. A. 1702. m. Septemb. p. 17.)
Pag. 233. Aſiaticum dicendi genus (quod tumidum erat) *ad Rhodios* maxime pertinet.	*Ad Ionas.* Iſ. *Voſſius* in Catullum p. 137.
Aſinus. p. 234. Plauti comœdia Aſinaria dicta, *quod de venditione aſinorum ibi agitur.*	Vocari Aſinariam autumo *ab Artemone, Demaneti uxore*, quæ virum ſuum manifeſte oppreſſum, e luſtris, id eſt, domo meretricia domum agit, *tanquam magnum aſinum*, & hominem impuratum. I. Caſp. *Grunevvald* Dubior. grammat. Decad. III. dub. X.
Caldarium. p. 373. Plinius lib. 34. cap. 8. extr. cum ait: cum a caldario eſt, *vas*, intelligit, *in quo metallum coquitur.*	Immo vero *æs, quod tantum funditur.* I. G. *Gravius* Præf. & Epp. p. 448.
Citharœdus. p. 531. Harffeniſt, *qui citharam pulſat.*	*Et pariter ore accinit.* Vt diſtinguatur a cithariſta. *Drechsler* diſp. de Cithara davidica, §. 6.
Cithariſta, ibid. *Idem quod citharœdus.*	Immo *qui citharam pulſat.* Octav. *Ferrarius* Elect. lib. I. c. 24.
Citerior. p. 532. Hiſpania citerior. Quæ ulteriori opponitur.	Refertur etiam *ad tempus.* Quod non omittendum fuerat. Io. *Vorſt* de Latinit. ſelecta 86.
Verſicolor. p. 570. Verſicolor ICtis eſt, *quicquid tinctum eſt, & naturalem colorem vertit.*	Eſto, ſed etiam *quidquid variorum eſt colorum.* Vide Opuſcula varia veter. ICtor. quæ edidit Car. Andr. *Duckerus* p. 200.
Crepuſculum, p. 629. Crepuſculum, *diluculum.*	*Noctis initium.* C. *Cellar.* Antibarb. 161. *Cren.* Animadv. P. XIIX. 207.
Cuniculus, p. 651. Rationem (cuniculorum militarium pulve-	Sed ille *edoctus fuerat a Fran. Georgio* ſenenſi. *Becler.* T. II. Diſſert.

re pyrio instruendorum & incendendorum) *Petrum Navarrum*, cum Genuensibus militaret in Italia, *instituisse*, *Guicciardinus* lib. VI. Histor. observavit.

Dissert. academ. p. 652.

Dubito. p. 751. Cicero verbo non dubitare particulam *quin* subiicit: *pro qua* Corn. Nepos infinitivum substituit. Vt in Præfat. Non dubito fore plerosque, Attice.

Sed *hac multum differunt* & constructione & significatione. Io. *Verstium* de Latinitate selecta p. 158.

Geminus. p. 997. Quintilianus l. 9. c. 2.

Ponatur: *cap.* 4. *Crenius* Animadv. P. IX. 57.

Refutare. p. 988. *Sequioris avi scriptoribus*, & pro respuere sive repudiare ponitur.

Immo & ipsi dicendi magistro, M. *Tullio* Ciceroni. Io. *Verst.* 197.

Iacto. p. 1115. Est & iactare κομπεύεσθαι, ostentare se, *pravieren*, sich sehen lassen.

Braviren. Est enim a bravo, non a pravo.

Aditiciales cœna sacerdotum. p. 1117. Argute I. Lipsius lib. IV. de Magnit. rom. cap. 9. *aditiales* scribendum contendit.

Alii malunt scribere *adiciales*. I. G. *Gravius* præfat. in Tomum XII. Thesauri antiqq. rom. (Tomo III. Supplem. *Act. erud.* 499.)

Milliare. p. 1405. *Milliaria* sive Miliaria erant etiam vasa ad calefaciendam in balneis aquam, *a mille* sive multis gyris & flexibus ita dicta.

Omnino scribendum *Miliaria*, ut quæ etiam græce *μιλιάρια* dicebantur, potiusque *a milio coquendo*, quam a mille dicta fuerint. *Gravius* ep. 67. p. 445.

1419. *Mithridates.*

Mithradates; ut antiquus habet numus. Rud. *Capellus* (in Crenii Animadverſ. P. VII. 224.) & *Lambinus* in loco Fabri nostri allegato.

Commutare. p. 1478. Commutare *vitam* cum morte.

Est, vitam pro morte recipere, Ex mortuo vivum fieri. Sed

mortem cum vita commutare, est vita cedere, inter vivos esse desinere. Rod. *Goclenius* Problem. grammat. l. 3. n. 24.

Nicaa. p. 1508. Nicænus, ut, Synodus Nicæna. Scribitur & *Nicenus.*

Nicea, & *Nicia*, utrumque scribitur ex sententia Prisciani. A Nicea est *Niceanum*, non, ut vulgo scribitur Nicænum.

Nocturnus. p. 1538. Nocturnus, substant. sive, ut ex Augustino & Capella volunt quidam, *Nocturninus, deus noctis.* Item *Vesper* apud Statium.

Nocturninus pro *Nocturnus* vitiose scribitur. Neque vero Nocturnus vel noctis deus est, vel Vesper, sed *Hesperus*, qui pro Lucifero ponitur. *Cronius* Animadv. P. XIV. 82.

Opulentus. p. 1589. *Veteres* etiam Opulens dixerunt.

Etiam *Nepos* 12. 3. 3. sic locutus est. *Vorst.* de latinit. selecta 335.

Popularis. p. 1717. Terentius in Phorm. Actu I. ineunte: Amicus summus meus, & popularis Geta, h. e. *eiusdem gentis* & fortunæ, *mein landsmann.*

Donatus (& quivis alius) errat, qui illud acceperit ἀντι τȣ δημοτȣ, id est, d'un mesme pays: nihil enim aliud quam hoc significat, *est eiusdem ac ego conditionis & fortunæ. Scaligerana* 321.

Complector. p. 1747. Cic. Da te homini, complectetur, *crede mihi.*

Mihi credo. Dornmeier 76.

Proclus. p. 1822. *Proclus*, πρόκλος, philosophus fuit platonicus, & præses scholæ atheniensis, Plutarchi discipulus.

Nec πρόκλος græcum nomen, nec latinum etiam Proclus. Verum nomen est *Proculus*. Sic autem appellabatur, qui parentibus iam ætate provectis genitus, vel qui natus est patre a patria procul peregrinante. Thom. *Gataker* Opp. T. I. 785.

Pythagoraus. p. 1865. *Pythagoraus*

Pythagoreus scribendum: formatur

& Pythagoricus sumuntur etiam adiective, ut somnia *pythagoraa.* Horat. lib. II. Epist. I. v. 52.

tur enim ex græco πυθαγόρειος: nec aliter legitur in Horatii editione Minelliana, quæ prodiit Lipsiæ A. 1708. 8. ac sine dubio aliis etiam melioribus.

Summarium. p. 2257. Summarium, Epitome, Ein kurzer auszug oder begriff etlicher hændel.

Summarium autem non dicitur a summa, quæ numerorum collectionem significat, sed *a summis & præcipuis rerum capitibus*; quæ velut per epitomen eo continentur. *Salmasius* prolegom. in Solinum p. 19. prout ego quidem notavi: paginarum enim numeri, perverso ac detestabili non nullorum more, in Prolegomenis hisce absunt.

Insuper. p. 2263. *Insuper*, ut alia aliis insuper cumulare. *Insuper* habere, valet negligere.

Hæ & aliæ geminatæ propositiones *separanda*, non coniungendæ sunt, adeoque scribendum: *In super. Ravardus* in Plauti Mercat. A. 1. S. 2. v. 82.

Protelum. p. 2296. Protelum est continuatio & tenor. Varro in Catone de liberis educandis: Delectatio *protelum* ad discendum.

Lege: Delectatio *pro telo*. Casp. *Scioppius* apud Io. *Vorstium* de latinit. fel. 64.

Tempestivus. p. 2304. Tempestiva convivia sive epulæ erant, quæ de die erant; ut contra *Intempestiva*, quæ in multam noctem protrahebantur.

Vere *Salmasius* ostendit, *intempestiva convivia veteribus fuisse incognita*, & a sciolis aut imperitis librariis in nonnullos libros invecta: antiquissimos codices non nosse nisi tempestiva convivia. Hæc esse, quæ de die, sive multa adhuc die, h. e. *ante legitimam cœna horam*

(quæ erat nona) *incipiebant agitari, quo usque tandem, licet vel ad sequentem lucem, producerentur. Gravius* præf. in ult. Tomum Thesauri antiq. rom. (inter Epp. LXVII. p. 442.)

Theophrastus Eresius. p. 2340. Antea *Tyrannus* dictus.

Tyrtamus scribendum; sicut etiam correctum *a Stubelio* in editione anni 1717.

Versutiloquus. p. 2472. *Cic.* 3. de Orat. cap. 38.

Ennium habet auctorem. *Dornmeier* 75.

Vesta. pag. 2484. Vide plura apud Lipsium Synt. de Vesta & Vestal. *Barthium* ad Statii Silvar. p. 27. (lib. I. Sil. 1. v. 35.) *ubi plures laudat scriptores*; itemque *Tomasinum* de Donar. p. 51.

Sed *neuter* (& Barthius & Tomasinus) fecit aliquid, quod operæ pretium esset. *Cren.* Animadv. P. XVII. 89.

Xanthippe. p. 2592. Vxor Socratis *molesta, iurgiosa, & sæva.*

Scribendum *Xantippe*, iudice *Schurzfleischio* in Supplem. Orthograph. rom. p. 50. Molestam autem, iurgiosam & sævam fuisse, negare sustinet litteratissimus vir C. A. *Heumannus* in Actis philosoph. (Novæ biblioth. Tomo V. p. 83.)

Aug. *Buchner*, dresdensis, Pauli, bellicarum artium, tormentariæ in primis, peritissimi, filius, poës. & oratoriæ professor wittebergensis, ordinis sui & professorii senior, & alumnorum electoralium ephorus, humaniorum litterarum summus vindex ac stator, sed & ob industriam & fidem, lenitatem etiam ac temperantiam, quibus inter pacis perpetuum præcipuumque studium, in omnibus munerum partibus usus est, maxime laudandus, orbi erudito dedit Orationes, Dissertationes academicas sive programmata publica, Poëmata, & alia, notisque suis illustravit *Prudentii* hymnum de Christi natali, *Plinii* Epistolas, Orationes P. *Cunæi*, & Corn. *Nepotem*, a latentis podagræ doloribus confectus atque enervatus decessit A. 1661. septuagenario propior. *König* 141. *Witte* Memor.

Memor. philos. T. II. 386. Elogia eius aliqua adfert *Magirus* p. 132. Quibus adde *Crenium* Animadv. P. XIIX. 233. qui eum vocat litteras reconditas omne genus eleganter doctum virum; & Valent. Alberti, qui (in Hagenii Memor. philos. p. 284.) appellat sæculi sui Ciceronem. *Heinsius* aliquando dixit, unicum esse Buchnerum, qui panegyricum posset facere. *Schurzfleischius* de eius Orationibus sic iudicat: si quatuor aut quinque excipiantur, omnes ex genere mediocri scriptas esse. De Epistolis autem: Buchnerum eloquentiæ laudem mereri; sed poëtica interdum immiscere: immo & sæpe peccare contra latinitatem. *Biblioth. Schrader.* T. I. H 8. I. M 3. & *Schurzfl.* Epp. arcan. p. 611.

LIIX.

Tob. MAGIRI Polymnemon, sive Florilegium locorum communium. Francofurti 1629. Ordine novo, exactiori, & ad usum accommodatiori animatum, selectioribus etiam sententiis & exemplis consertum. Nimirum auctor sententias & exempla ex scriptorum probatissimorum & elegantissimorum, græcorum & latinorum, antiquorum novorum, philosophorum, oratorum, poëtarum, historicorum, legumlatorum &c. monumentis proponit, & Introductionem præmittit de operis huius forma, scopo & usu, nec non Onomatologum criticum, quo auctorum nomina explicantur, aliorumque de iis iudicia afferuntur: sed hæc etiam reperies in auctoris huius Eponymologio critico. Enim vero editum est hoc opus in subsidium eorum, qui docte scribere, fructuose legere, & promte dicere, aut memoriam suam quo quo pacto adiuvare præoptant; adeoque ad orationes tam sacras, quam sæculares conscribendas opem suppeditat Similia scripta sunt Io. *Langii* & Iani *Gruteri* Polyantheæ, sive Florilegia magna. Quibus tamen Polymnemonem hunc præferunt iudiciosissimi viri, *Bosius* de compar. eloq. civ. (apud Cren. Methodor. T. II. 435.) & *Morhofius* Polyhist. T. I. lib. 1. c. 21. n. 27. Laudatur quoque *a Bosio* de Ratione leg. Histor. §. 53.

Tob. *Magirus*, Angrimunda-marchicus, hereditarius in Logau, primum sub- deinde conrector in schola Vallis ioachimicæ, ac postea logices, & mox physices in academia francofurtana ad Viadrum professor, qui & in ordinem theologorum ascendere potuisset,

tuisset, nisi pro singulari modestia in subselliis philosophorum ad extremum vitæ maluisset permanere, satis se habere dignitatis existimans, quod sapientiæ & humanitatis studiis eam sibi famam acquisivisset, ut *Bibliotheca animata*, & *Museum ambulans* vocaretur, eosque videret eminere, quos discipulos & auditores habuerit, cetera amoenissimorum vir morum, in conviviis hilaris & facetus, tantaque prudentia, ut ad contractus ineundos, & lites componendas frequenter adhiberetur, denique, quod primarium est, pietatis in primis studiosus; emisit Sabbatum christianum, sive meditationes Patrum orthodoxorum in euangelia anniversaria, Clavem eloquentiæ, Dodecades VI. problematum metaphysicorum, & plures alias Disputationes, ut de virtute morali in genere, de vitiorum acropoli vinolentia, de electione & successione, de cœli physici forma, de natura, de motu, de anima, de cœlo, de infinito & loco, de tempore &c. mortemque cum vita commutavit A. 1652. æt. 65. *Witte* Diar. biograph. Ccc 3. & Io. Christoph. *Becmann* in Noticia Vniversit. francof. p. 264. & in Catal. libb. biblioth. francofurt. 183.

LIX.

Matthiæ MARTINII Lexicon philologicum. Traiecti Batavorum 1711. In præfatione commemorat auctores, qui ante se simile aut idem argumentum, sed imperfecte tractarunt, videlicet *Papiam*, *Britonem*, *auctorem Catholici*, N. *Perottum*, Laur. *Vallam*, Ambros. *Calepinum*: præterque ea summam ostendit etymologiarum utilitatem exemplo hominis. De ipso autem Lexico sciendum, in eo latinas & a latinis auctoribus usurpatas, cum puras, tum barbaras voces ex originibus declarari, comparatione linguarum subinde illustrari, multasque in divinis & humanis litteris difficultates ex fontibus, veterumque & recentium scriptorum auctoritate enodari, nec pauca in vulgatis Dictionariis admissa errata emaculari. Accedit eiusdem *Cadmus græco-phœnix*, in quo explicantur, & ad orientales fontes reducuntur principes græcæ voces, & eæ, quæ cum alibi, tum maxime apud LXX. interpretes & in N. T. videntur obscuriores; ac multæ dictiones, a Lexicographis prætermissæ, & in Glossariis alibique latentes, vertuntur atque illustrantur, liber, *Grævii* iudicio, doctus, & studiosæ iuventuti perutilis, paucisque eo tempore notus. Additur Glossarium *Isidori*, cum

cum emendationibus & notis *Gravii*, & auctario Theod. *Ianssonii* ab Almeloveen. Quod ex libris Originum videtur collectum. Præfixa est operi Io. *Clerici* Dissertatio etymologica, & Vita scriptoris. Atque hæc editio prioribus, quarum duæ sunt, altera francofurtensis de A. 1655. altera traiectensis A. 1697. dicitur esse emendatior & auctior: mendæ tamen priores, ut observavi, sunt relictæ.

Tomo I. *Aetas*. p. 17. Quia *veteres scribebant Etas*, non absurdum fuerit *deducere ab* ἔτ⊙ annus.	Illud *aliter ostendunt libri MSS*, hoc *ipse evertit*, addens: *Obstat tamen* Aevitas. C. S. *Schurzfleisch* orthograph. rom. 4.
Allodium. p. 25. Putem, allodia esse ab *all' œde*, totum incultum, vastum.	Quasi *abn lood*, quod censui seu proventui non sit obnoxium. *Leibnitius* in T. IV. Supplem. *Actor. erud.* 238.
Almanacum. Ibidem. Almanacum, *Almanach*. Iof. *Scaliger* in Culicem: Almana, Calendarium, μαναι⊙ a luna & mensibus.	Almanach est *vox arabica*, & venit ex hebræo מנה numeravit, & significat laterculum vel indicem, in quo res plures numerantur, & ordine recensentur; quem Græci πινακα vocant. *Salmasius* Prolegom. in Solinum p. 20.
Azoara. p. 72. Azoara Arabicum est contractum, pro *alzoara*.	*Sura* sive *Surata* dicuntur Alcorani capita. *Id.* ibid. p. 14. & 22.
144. *Caniculariun* medium æstatis vel hiemis. Gloss. Isid. Hæc *vox aramaa originis* esse videtur.	*Canicularium*, estque *originis latina*. *Reinesius* Var. lect. l. 1. c. 16. p. 62.
Drungus. p. 331. *Drungus* apud Epiphanium exponitur μουντης ϱυγχ⊙.	Potius, δϱϋγ⊙, *Drungus*. Car. *du Fresne* Glossar. T. II. 182.
Mamluchus p. 265. Mamluch arabice est αϱγυϱωνητ⊙ *mancipium are emptum*, item αιχμαλωτ⊙, qui *bello captus* in servi-	*Vana coniectura utriusque*. Gust. *Peringer* in Hist. linguæ & erudit. Arabum p. 198.

Suchen

tutem redactus est. In genere est *acquisitus*, sive emtione, sive captivitate. *Schindlerus* in Lexico : ממלוכן *pueri christiani* &c.

Tomo II. *Quaero*. p. 384. Germ. *Suchen*. Sax. *Saken* est *a Sequi*. Quod quærimus, sequimur. — Est & affine verbum chald. סכא Intueri, aspicere. Prope est סקא Interrogare, scrutari, Arabibus. Sed velim *a Sagio*.

Suchen est a *Sehen*, quia ad quærendas res visu opus est. Io. *Clauberg* Etymol. teuton. (T. II. Collectan. etymol. Leibnitii p. 228.)

Ratio. p. 407. Germ. *Vernunft*, Belg. *Vernuft*. Simplex esset Nuft. Id aut ex eo, *quia novit*, aut *νήφειν*, *sobrium esse & intelligentem* Possit ergo Nunft esse πρὸς τὸν νοῦν. Certe νοῦς aliquando est ratio.

Hæc recitasse, est refutasse. Quin potius Vernunft est *a Vernehmen*. Clauberg. 211. & 191.

Saphon. p. 538. Saphon (inquit *Isid*. l. 19. 4.) *funis in prora* positus. De quo *Calius*: Venerio cursu veni, prolato pede usque ad saphonem. *Ab orientalibus sumptum*, opinor.

Isidorus *pro flumine* funem accepit: intelligitur enim per Saphonem, sive Safonem, vel etiam Savonem *flumen Campaniæ* inter Lirim & Vulturnum, de quo non Cælius, sed *Cæcilius* loquitur. *Crenius* Animadvers. P. XIV. 126.

Vassus. p. 799. Sic vassi fideiussores: ergo *a vas*.

A gothico Fads, negotii procurator, quod respondet anglosaxonico *Fadian*, Ordinare, Dispensare. Georg. *Hickes* in Linguar. veter. septentrion. Thesauro (Act. erudit. A. 1706. 104.

In Cadmo græco - phæn. v. χεῖλος p. 148. χεῖλον labrum. Ducam *ab hebraico* כרל unde in

χεῖλος potius dictum censeo *per transpositionem litterarum* pro λεῖχος, a verbo λείχειν *lambere, lin-*

Pihel כלכל sustentare, alere. Est *organum alendi.* | *re, lingere.* Lamb. *Bos* Differt. de Etymol. græca p. 46.

Matth. *Martinius*, natus Freienhagæ in Comitatu waldeccensi, primum Dillææ concionator aulicus, deinde professor scholæ herbornensis, nec diu post pædagogii & alumnorum publicorum inspector, inde ecclesiæ emdanæ pastor, & tandem scholæ bremensis rector, ac prof. theologiæ, Cuiacii & Blondelli more studiis dans operam, ita videlicet, ut humi stratus esset, media inter librorum hinc illinc sparsorum volumina, osor quæstionum spinosarum & inutilium, studiosus autem moderationis & caritatis, etiam ergo dissentientes, Dei œconomiæ ad fœderis leges ritusque dirigendæ commendator, primus scholæ bremensis restaurator & rector felicissimus, ac viva rerum & verborum bibliotheca merito dictus, a Senatu bremensi cum *Isselburgio* & *Crocio* ad Synodum dordracenam legatus, & cum reliquis istius Synodi theologis, non obstantibus ipsum inter & *Gomarum* suosque collegas litibus, in summa doctrinæ de gratia conveniens, finem vitæ attigit A. 1630. æt. 58. Scripsit etiam Examen Methodi Phil. *Nicolai* de omnipræsentia carnis Christi, Incisionem nervorum Balth. *Menzeri*, Examen spinarum spicarumque, *Menzerum* antinuthemenum, Memoriale biblicum, & alia de quibus videatur *Witte* in Diar. biograph. ad A. 1630. De Lexico autem eius philologico legi possunt *Acta erud.* A. 1698. 351. *Morhof* Polyh. lib. IV. 106. & *Crenius* P. X. Animadvers. p. 275. Simile scriptum est Caroli *Stephani* Dictionarium historicum, geographicum, poëticum. Genevæ 1662. 4. In Epp. præstantium virorum laudatur Martinius, ut vir valde doctus, honestus, æquus, & moderatus p. 546. 758. *Bisterfelaius* autem (in Leibnitii Collectan. etymolog. P. II 188.) reprehendit eum, nec immerito, quod germanicam linguam ex latina derivare ausus sit.

Isidorus hispalensis, e gente gothica, duos episcopos fratres habens, *Fulgentium* videlicet carthaginensem, & *Leandrum* hispalensem, cui ipse in sede archiepiscopali successit, dictus *Iunior*, ut ab Isidoro cordubensi distinguatur, quanquam *Vossius* de Histor. lat. l. 2. c. 24. per iuniorem aliquando etiam Isidorum pacensem designari monet, duobus præsedit Conciliis, hispalensi II. & toletano IV. scripsitque multa, ut Chronicon a M. C. usque ad A. C. 626. maximopere interpolatum & auctum a *Luca*, tudensi in Hi-

ſpania epiſcopo, Hiſtoriam Gothorum, Vandalorum & Suevorum, Originum ſive Etymologiarum libros XX. (in quibus, teſte Iac. *Thomaſio* de plag. lit. §. 474. pleraque transſcripſit ex *Servio, Feſto, Nonio*, & *Auguſtino*; ſæpe etiam, iudice C. *Rittershuſio* ad Salvian. p. 208. in iis nugatur) de Vita & morte ſanctorum utriusque teſtamenti, Synonymorum ſive Soliloquiorum libros II. contra nequitiam iudæorum libros II. Regulam monachorum, Expoſitionem Cantici canticorum, quæ omnia & plura alia ad fidem codicum MSS. correxit ediditque Iac. *du Breul*, monachus S. Germani a Pratis, & publici iuris fecit Pariſiis A. 1601. Iſidorus autem, *a Patribus concilii toletani* IIX. vocatus ſui ſæculi doctor egregius, eccleſiæ catholicæ noviſſimum decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatione non infimus, &, quod maius eſt, in ſæculorum fine doctiſſimus, atque cum reverentia nominandus, A. 636. placide in Domino obdormivit. *Bellarm.* de ſcriptor. eccl. 137. *Voßius* l. c. *König* 436. *Cave* 306. *Neu* in Acceſſion. ad Relect. Wheari 158. Io. *Moller* de homon. 588. *Magirus* 484. *Pope-Blount* 334. *Bondellus* Prolegom. in Pſeudo-Iſidorum c. 2. *Crenius* differt. I. de furib. librar. §. 56. & *Placcius* de pſeudon. 397.

Io. Georg. *Gravius*, naumburgienſis, litterarum tirocinia in gymnaſio Saxoniæ portenſi, ubi conſuetudo lucubrandi ei nata eſt, & in quo ſeveriſſima lege proficere iubebantur adoleſcentes, poſuit; poſtea autem in lipſienſi academia uſus eſt doctoribus, Andr. *Rivino*, Thoma *Reineſio*, Io. *Strauchio*, ita ut iurisprudentiæ operaretur, præcipue tamen bonis litteris ſeſe magis magisque perpoliendum traderet; Daventriæ in primis a Io. Fran. *Gronovii* ore & conſiliis pendebat, ab eo, quem dicendi magiſtrum ſequi conſultum ſit, edoctus, ubi etiam, ob doctrinam de ſacra cœna, & divinis decretis, patriam cum reformata commutavit religionem. Inde profeſſionem ſuſtinuit primum Duisburgi, deinde Daventriæ, denique Traiecti ad Rhenum, vir eruditione, prudentia, modeſtia & humanitate, ſobrietate & mediocritate præſtantiſſimus, atque a variis Rebuspublicis ac Principibus, e. g. Amſtelodamenſibus, Lugdunenſibus, Venetis, Rege Boruſſorum & Electore palatino, cum conditione liberalium ſtipendiorum, ſed fruſtra, expetitus, capitis vertigine duobus fere ante obitum menſibus, cum alias per omnem vitam valetudine proſperrima uſus eſſet, laborare cœpit; eaque

eaque rediit d. XI. Ianuarii A. 1703. cum ad prandium iturus, intrasset domum Henr. *Pontani*, clarissimi theologi atque amici sui: hic enim erat terminus vitæ eius, adeo ut ad convivium amici non posset pergere, sed omni linguæ usu & corporis sensibus destitutus post aliquot horas, annum agens unum & sexagesimum, exstingueretur, immortali nominis ac meritorum fama relicta. In academia ultraiectina fuit politices, historiarum & eloquentiæ professor, pariterque Magnæ Britanniæ Regis historicus, nec ipse tantum varia scripsit, sed & optimos utriusque linguæ auctores cum utilissimis edidit observationibus, e. g. *Hesiodum*, *Lucianum*, *Callimachum*, *Ciceronis* Epp. & orationes, & libros de officiis, *Florum*, *Iustinum*, *Iulium Cæsarem*, *Suetonium*, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, Danielem *Eremitam*, *Meursii* libros de Cypro, Rhodo & Creta, eiusdemque libros de regno laconico, *Thesenm* & *Ceramicum Geminum*, *Rubenii* libros de re vestiar. præcipue de lato clavo, eiusque de vita Fl. *Mallii* Theodori dissertationem, *Huetii* poëmata, Bernardin. *Ferrarium* de ritu sacrar. ecclesiæ veteris concionum, Fr. *Iunium* de pictura veterum, Syntagma dissertationum rariorum, Orationes & Epistolas, & Thesaurum antiqq. romanar. quem iam continuat CL. V. Albert. Henr. *Sallengre*, sereniss. Principis arausf. consiliarius. Cave autem, *Actorum eruditorum* ad A. 1716. p. 522. suasu, a *Grævii* Cohorte Musarum. Ceterum de eius vita legi possunt facundissimus Pet. *Burmannus* in orat. funebri, & *Acta erud.* A. 1703. 187. His adde eadem *Acta erud* A. 1684. 552. & 1707. p. 400. C. *Cellarium* in Bas. Fabri Thesauro erud. schol. 1496. & Antibarb. 97. *Tollium* Epp. itinerar. 2. 3. 64. *Konigium* p. 357. *Schurzfleisch.* Epp. arcan. 610. 539. & Iac. *Facciolatum* præf. in Notas in Cic. orat. pro P. *Quintio*. Sufficiat nobis ex omnibus elogiis, quæ ipsi dant celeberrimi viri, hoc unicum, quod legimus in prædictis *Actis erudit.* A. 1703. 187. dicentibus, *id in eo inusitatum prope & admirandum fuisse, quod cum summa eruditione miram morum suavitatem, animique candorem toto vitæ decursu coniunctum servaverit, polyhistor, politicus, orator, criticus sine exemplo, sed omni fastus, rixandique libidinis expers, & pedantismi, quod vitium tam multis, optimarum licet literarum studia professis, obrepere solet, per ingenuam liberalemque indolem ne capax quidem.*

LX.

Caroli DU FRESNE Glossarium ad scriptores mediæ & infimæ

infimæ ætatis. Francofurti ad Mœnum A. 1681. Tomi IV. volum. II. Quod prodierat Parisiis anno 1678. & iterum recusum est Francofurti, idque auctius, A. 1710. In eo latina vocabula novatæ significationis, aut usus rarioris, barbara & exotica explicantur, eorumque notationes & originationes reteguntur: complures medii ævi ritus & mores, legum, consuetudinum municipalium, & iurisprudentiæ recentioris formulæ & obsoletæ voces: utriusque ordinis, ecclesiastici & laici, dignitates & officia, & quamplurima alia observatione digna recensentur, enucleantur, atque illustrantur. Accedit Dissertatio de Imperatorum CPtanorum, seu inferioris ævi numismatibus. Præfatio autem, quæ merito celebratur a celebri viro Georg. Nicol. *Kriegkio* in Constit. rei scholast. ilfeld. pag. 133. agit de caussis corruptæ latinitatis, discrimine barbarismi & soloecismi, item glossarum & glossematum, variisque Lexicis & Glossariis, quæ usque ad renatas litteras locum obtinuere: qualia sunt vetus illud, quod asservatur in bibliotheca monasterii S. Germani parisiensis, a quodam *Martino* descriptum, *Salomonis* abbatis S. Galli Dictionarium, *Aelfrici* angli Glossarium, *Papiæ* Elementarium doctrinæ rudimentum, Ioannis *de Garlandia* Synonyma & æquivoca, *Vgutionis* Glossarium, Ioannis *de Ianua* Summa seu Catholicon, Matth. *Silvatici* Lexicon medicum, Guil. *Britonis* Opusculum difficilium vocabulorum Bibliæ, & similis liber, inscriptus *Mammotrectus*, in quo itidem voces Bibliorum enucleantur. Quibus sub exitum sæculi XV. aut sequentis initium alia accessere, ut *Vocabularius compendiosus*, *Vocabularius breviloquus*, *Catholicus parvus* seu dictionarium latino-gallicum, Rob. *Veisi* Catholicon parvum, Io. *Lagadeci* Catholicon armorico-franco-latinum, *Gemma vocabulorum*, *Gemma gemmarum*, & Dionysi *Nestoris* Dictionarium. Hoc opus *du Fresne*, eruditissimorum virorum, inter quos est *Kriegkius*, iudicio, omnes, quotquot in hoc eruditionis genere prodierunt unquam, libros & copia & varietate doctrinæ longe multumque superat. Est enim, ut *Morhofius* ait Polyh. T. III. p. 104. hic liber quasi oceanus omnium Glossariorum minorum & particularium: nam auctor eius, herculeo plane labore, totum illud Augiæ stabulum non repurgavit, sed complevit, accurate congesto omni hoc latinitatis sterquilinio. Neque tamen caret mendis, quæ iam indicandæ sunt. Et Hadr. *Valesius*, qui primum duntaxat Tomum percurrit, Valesianorum

norum p. 233. hoc in eo taxat, quod copiam vocum barbararum, videlicet germanicarum, anglicarum, irlandicarum, italicarum slavonicarum aliarumque, contra ſuum inſtitutum, quod eſt tradere voces cadentis & infimæ latinitatis, adferat, ſine ulla earum explicatione, multaſque obſervationes de rebus tam eccleſiaſticis quam aliis congerat, quæ a gloſſatore plane non exſpectantur aut requiruntur.

Præfat. p. 25. Amalaſunthæ, Theoderici Regis Italiæ *uxori*.	Erat eius *ſoror*, ſi fides adhibenda Hadr. *Valeſio* in Valeſianis p. 208.
Tomo I. pag. 177. *Anabatrum*, ex Græc. *αναβατρον*.	*Anabathrum*, græce *αναβαθρον* Ibid.
178. *Anacleta*. Teſtamentum Leodebodi: Pari modo vaſa dono argentea *anacleta* penſantia libras 8.	Scribendum, *anaglypha*. p. 209.
286. *Aquilinus color*. Ioannes Diaconus de vita Gregorii M. lib. 4. c. 84. Mento a confinio maxillarum decibiliter prominente, colore aquilino *& livido, nondum*, ſicut poſtea ei contigit, *cardiaco*.	Lege, *at livido nondum*, ſicut &c. ſenſus enim eſt, eum fuiſſe colore fuſco & ſubnigro, nondum autem livido, ſive plumbeo, ſicut poſtea ei contigit, cum ſtomacho laboraret, atque inde cardiacus diceretur. Datur *dolor cardiacus*, ſed non color cardiacus *Ibid.*
294. Arbor, *malum* navis.	Pone: *malus*. Arbor autem, ut malum navis ſignificat, non pertinet ad voces mediæ aut infimæ ætatis, ſed *proba eſt latinitatis*, qua uſi ſunt *Virgilius*, *Iuvenalis*, aliique boni auctores. p. 210.
P. 313. Ardaricanus, monetæ ſpecies. In lege Burgundionum præcipitur, ne accipiantur Valentiniani, Genavenſis, & Gothius, qui a tempore Alarici Regis adærati ſunt, &	Immo *Ardaricani*, ſic dicti a Rege Gepidarum, qui poſt Attilæ mortem Hunnos divicit, expreſſe hic *diſtinguuntur ab Alaricanis*, adeoque duæ Gothicorum ſpecies prohibentur,

Ardaricani. Vbi forte legendum *Alaricani*, Regis scilicet Alarici.

Pag. 352. Asiatim. Concil. Basil. Sess. 21. Laudes divinas per singulas horas, non cursim ac festinanter, sed *asiatim* & tractim, ac cum pausa dicendos. Sed legendum videtur *aseiatim*, id est, divisim.

354. Aspernabilis, *Contemptor*.

359. Assiusium. *Herba amara*.

372. Atrium sauciolum, prætorium, forum iudiciale, *in quo rei & damnati morte mulctantur*. -- Concil. Matiscon. II. c. 19. Vt ad locum *examinationis reorum* nullus clericorum accedat, *neque intersit atrio sauciolo*, ubi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est.

390. Augustaticum. Donativum. Augusti, largitio publica ab Imperatore *populo aut* militibus facta. Δωρεα Καισαρ©, *congiarium*.

bentur, Alaricani & Ardaricani. p. 211.

Asiatim recte se habet, & commode deducitur ex italica voce *adagio*. Aeg. *Menagius* nelle Origini della lingua italiana (in Actis erud. A. 1686. 544.)

Contemnendus, seu contemtu dignus. *Valesiana* p. 212.

Cur non additur, vox corrupta ex *Absinthium*? p. 217.

In atrio sauciolo, seu prætorio, sententia quidem supplicii ferebatur & pronuntiabatur contra sceleratos; sed non ipsum inferebatur supplicium, verum extra urbem, in campo aperto. Verba autem Concilii in aliis editionibus sic leguntur: *ad locum, ubi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est*: neque adverbium *ubi* illic est loci, sed temporis. p. 213.

Augustaticum erat argenti summa, quam Imperator singulis *militibus* propter sui ad Imperium promotionem solvendam curabat, ad quam electionem populus minime concurrebat. *Congiarium* autem erat largitio Imperatoris *populo, seu singulis civibus romanis* facta, modo maior, modo

do minor, occasione lætitiæ publicæ aut victoriæ. p. 215.

Pag. 391. Aulaicus, *pro Aulicus*. Tabularium Brivatense ch. 437. Si autem Abbas aut Comes, *Aulaicus*, aut Clericus.

Dimitte Aulicum, & lege: *aut laicus*, p. 217.

431. Bagauda dicta *regio*, quam Bagaudæ, sive Bacaudæ inhabitant.

Et *factiosi ac rebelles* contra rom. Imperium ex infima plebe homines, & eorum commotio seu *rebellio*, vocabantur Bagauda sive Bacauda, non vero ipsa regio, quam inhabitarent. p. 218.

467. Banus, dignitas notissima apud Dalmatas & Hungaros. Certe *a Ban*, seu banno vel bando, ist est, vexillo, videntur Bani appellati.

Ban nihil aliud, quam german. *Fahne*. I. G. *Eccard* in Excerpt. menstr. A. 1702. m. Iun. p. 65.

476. *Franci nostri Romani*, seu qui Romano idiomate utebantur, Transrhenanas gentes omnes, penes quas theutonicum vigebat, appellarunt barbaros.

Romani vocabantur incolæ provinciarum, quæ Imperio romano subiectæ erant in Occidente: *Barbari* autem exteri, qui eas occupaverant. Et sic eos vocabant indigenæ, neque in peiorem partem interpretabantur exteri. *Franci* igitur, ut exteri in Gallia, *non erant Romani*, sed ipsi tantum Galli, a Francis subiugati. p. 219.

485. Baro. Apud Cæsarem lib. I. de Bello *civili* c. 9. baronis vocem occurrere quidam putant, licet MSS. codices fere omnes *berones* habeant. Nec scio an feliciori coniectura alii *Barones*, pro *Breones*, apud Se-

Corrige: apud Cæsarem lib. I. de Bello *alexandrino* c. 9. Et pro Berones lege *Betones* aut *Vettones*: quod nomen est populi alicuius in Hispania citeriore. Apud Cassiodorum autem retinendum *Breones*, alias *Brenni*

natorem lib. I. epist. II. restituant.

ni dicti, populus Vindeliciæ notissimus. p. 221.

Pag. 598. Karolus de Bovera est is, qui vulgo Crassus cognominatur, ita ut *Bovera*, seu, ut nostri efferunt, *le Bouvier*, dictus fuerit, quod pinguedine ac ventris mole *bovis instar* esset.

Bovera sive *Baguerra* est Bavaria, in qua Carolus Crassus ante susceptionem regni Franciæ & Imperii imperavit; absit autem, ut Princeps tam excelsus assimiletur homini agresti, incivili, & bubulco, seu mercaturam boum facienti, ideoque vocatus sit *Boarius*.

627. Brunea, Brunia, Bronia. *Lorica*.

Meibomio Rer. germ. T. III. 59. 291. *galea cristata*; illustri autem N. H. *Gundlingio* de Feudis vexilli p. 5. *framea* sive hasta Francorum & Teutonum.

629. Brunus, fuscus color. Germ. *Braun*, sic forte dictus a prunorum colore, vel *quod brunia seu lorica colorem referat*.

Fabula de lorica, quæ idem ac brunia sit, modo explosa est.

674. Cæcora. Forte *Ceporam*, *cepas*.

Cæcora sive Cecora ponitur hic pro *cichorea*. *Valesiana* 223.

709. Tradunt, campanas a Paulino nolano primum inventas, vel sane earum usum in Ecclesiam introductum, cum *priscis* Latinis *Græcisque longe antea esset notus*. Et p. 710. *Campanarum usus in Ecclesia orientali prorsus ignotus fuit. Postremis saltem temporibus campanas in usu fuisse apud Græcos*, Sabellicus auctor est.

In hisce verbis est *contradictio*, p. 224.

778. *Capella*, brevior capa, postmodum appellata ædes ipsa.

Scribendum *Cappela*. Io. *Saubertus* de sacrificiis c. 14. p. 288.

786. Rusticus, Abbas palatini oratorii, sub Chlotario *primo*.

Sub Chlotario *secundo*. *Valesiana* p. 224.

Nisi

Pag. 873. *Castra* Navis italicæ species, in Historia obsidionis iadrensis A. 1345. lib. 2. cap. 7. *Virgilius* 3. Aeneid. Dat clarum puppi signum, nos castra movemus. Vbi Donatus, hoc est, navigia.	Nisi navis illa italica proprie habuit nomen Castrorum, dicendum esset *Castrum* Sed quid expositori mediæ aut infimæ ætatis cum *Virgilio*, aureæ ætatis scriptore? Præterea Virgilius *metaphorice loquitur* de navium solutione, & phrasi utitur illis conveniente, qui in terris castra movent, atque aliorsum pergunt. *Valesiana* 225.
924. *Centaurii*, iidem qui *Cantiani*, Angliæ populi, apud Asserum Menevensem anno 851.	Lege in Assero, *Cantuarii*, qui sane ipsi sunt Cantiani. p. 227.
1030. Clusoria, Clusuria. *Idem quod Clusa*. Novella Theodosii de Ambitu, 15. Quemadmodum se militum numerus habet, Castrorumque ac Clusoriarum cura procedat. MSS. habent, *Lusuriarum*.	Et MSS. quidem recte habent: *Lusuria* enim sive *Lusoria* erant naves, quas Impp. romani habebant in Danubio, Rheno & aliis fluviis, ad avertendas excursiones populorum. p. 228.
1106. Commendarum auctorem fuisse aiunt *Leonem IV*. P. R.	Commendæ institutæ sunt FRIDERICI II. Imp. ævo, sæculo XIV. C. S. *Schurzfleisch* in Epp. select. p. 217.
1130. *Compagum*. Leges HENRICI I. Regis Angl. cap. 93. Si quis in humero plagietur, ut *glutinum compagum* effluat, 30. solid. emendetur.	Compagum in Lege est *genitivus plur. numeri* in voce Compages, sensusque legis huc redit: Vt humor glutinosus e compagibus humeri effluat. Inde autem non potest formari nominativi casus *Compagum*. *Valesiana* p. 228.
1141. *Cona*. Clima vel angulus, ex Gall. coin. *Poëta anonymus* de Pontificibus eboracensibus: *Quinque poli conas*.	Lege in Carmine *Zonas*; atque ita evanescet fictum vocabulum *Cona*. p. 229.

Pag. 1143. Concentricus, *oppositus*. Vt, *Legi Dei concentricus*.

Potius *Appositus*, *conveniens*, *coninnctus*. Sic legi Dei concentricus dicitur, *qui ad legem Dei servandam, tanquam ad centrum suum, se demittit ac descendit. Valesiana* p. 229.

1145. Concilium ſanctorum. --- Auſonius in *Ephemer.*

In *Parentalib*. n. IV. v. 29. *Cren.* Animadv. P. II. 173.

1153. Condate in Turonibus ad confluentes Vigennæ & Ligeris, ubi obiit S. Martinus, hodie *Condé*. Condate in Brigienſi agro, *ad* confluentes Matronæ & alterius fluvioli.

Locus, ubi S. Martinus obiit, vocatur *Cande*. Et Condate in brigienſi agro *ſupra* confluentes ſita eſt. *Valeſiana* p. 230.

1191. Conſules in civitatibus, qui in aliis vulgo *Scabini* vocantur, *quorum dignitas antiqua*. Auſon. in Vrbibus: Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in illa, *Conſul in ambabus*, cunæ hic, ibi ſella curulis.

Conſulum, *qua Scabini vocantur*, dignitas & munus eſt *recentioris instituti*; & in Gallia quidem IIX. poſt Auſonium ſæculo demum locum habuit. Auſonius autem hoc duntaxat ſenſu fuit conſul Romæ & Burdigalæ, quod, cum ingreſſus eſſet dignitatem conſularem Romæ, eandem pariter obtinuerit atque exercuerit, ſicut in omnibus romanis provinciis, ita & in Gallia, patriaque ſua Burdigala. p. 231.

1293. *Culuſta*. Fragmentum Petronii: Nam mihi nihil novi poteſt afferri, ſicut ille *feri culuſta mel* habuit praxim.

Legendum: ſicut ille *feroculus tamen* habuit praxim. Quamvis ne ſic quidem plane ſanum obtineat ſenſum. Interim abigitur ſpectrum *Culuſta*. p. 232.

Tomo II. p. 117. Diſciplinare. Mich. *Scotus* lib. IV. Menſæ philoſophicæ.

Non Scotus, ſed *Therbaldus Anguilbertus*. *Menagiana* T. IV. 50.

Pag. 131. Diſtrictus, Territorium

Mala, ſi non *ridicula notionis ratio*.

feudi, seu tractus, *in quo Dominus vassallos & tenentes suos distringere potest.* — *tio.* A *tractu* fortasse ductum est. C. *Cellarius* Antibarb. 31.

492. *Foris* bannire. In exilium agere per bannum, seu banno & edicto promulgato. — Latino-barbara hæc. Forbannitus, Forbannire, a particula germanica *ver* potius, (quæ est in Verbannen, Verbannet) quam a foris deducenda sunt. Io. *Clauberg* in Etymol. teuton. (Leibnit. Collectan. etymol. P. II, 198.)

Tomo III, p. 349. 350. *Maialis.* — Post illam vocem poni potuisset *Maicampus*. Sic autem dicebantur comitia Statuum franconicorum, quæ agebantur in aperto campo sive sub dio, primitus quidem mense Maio, tametsi postea, etiam alio celebrata tempore, idem nomen retinuerint. I. G. *Eccard* Extr. menstr. A. 1702. m. Febr. p. 56.

Pag. 744. *Nodfyr.* --- De igne fricato de ligno, id est, *Nodfyr.* — Lege, *Nodfyr.* B. G. *Struvius* de Synodo francica A. 742. p. 16.

Tomo IV. p. 280. Pinca, subula. Petrus de Natalibus l. 2. c. 73. Felix presbyter & martyr *pro nomine* dicitur in Pincis, *a subulis, quibus passus perhibetur:* nam pinca dicitur subula. — Felix in Pincis (pro Pinciis) vocatur ille presbyter & martyr, qui humatus est Romæ *circa domum Pinciorum.* Abeat igitur fabula de subulis, ab ignaris veræ denominationis conficta. *Menagiana* T. IV. 190.

Pag. 1148. Certum est, *e Francia in Germaniam invecta torneamenta.* — At contrarium docet *Reimmannus* Hist. liter. p. 58.

Carolus *du Fresne*, latine *Fraxinetus*, ambianensis, Dominus *du Cange*, Regis a consiliis, & Franciæ apud Ambianos Quæstor, scripsit Epistolam de libellis adversus Henschenium & Papebrochium disseminatis, πασχάλιον sive Paschale, Notas in scriptores gallos

Jonvillam & *Villbarduinum*, & byzantinos Niceph. *Bryennium*, Annam *Comnenam*, Io. *Cinnamum*, Paulum *Silentiarium*, & Ioannem *Zonaram*, Dissertationem de portu Iccio, illustre opus de Familiis byzantinis & Constantinopoli christiana, & denique Glossarium ad scriptores mediæ & infimæ græcitatis, eoque ipso anno, quo Glossarium hoc absolutum est, id est, 1688. vitæ quoque suæ curriculum diuturnis stranguriæ doloribus confectus absolvit, natus annos 78. Vitam eius descripsit *Baluzius*, quæ Chronico paschali sive alexandrino præmissa est. A *Colomesio* p. 468. Dominus du Cange vocatur doctus & infatigabilis, a *Cave* Hist. literar. p. 452. vir CL. & ad iuvandas meliores literas natus, atque a *Morhofio* Polyh. lib. IV. c. 9. n. 18. vir summus, qui Augiæ stabulum illo stupendo plane labore non tam repurgarit, quam ornaverit.

LXI.

Georgii CRVCIGERI Harmonia linguarum IV. cardinalium, hebraicæ, græcæ, latinæ, & germanicæ. Francofurti 1616. Porro dicitur in rubro: In ea præter summum earum consensum, acceptionumque propriarum ab impropriis distinctionem, perpetuam unius ab altera originem perspicue deduci. Præmittitur isagogicum, in quo auctor ostendit vocalium & consonantium commutationes, spirituum, accentuum & quantitatis neglectum, vocis eiusdem sub diversis radicibus repetitionem, vocum diversarum, immo & oppositarum & contrariarum alicubi ex eadem radice deductiones. Nec perperam fit, ait G. *Pasor.* in Lexico græco-lat. in N. T. v. ἐριφος, p. 660. quum vocum originationes ad Hebræorum revocantur fontes: est enim lingua hebræa omnium prima, & proinde אם כל־ הלשנות mater omnium linguarum. Sed legendi sunt *Morhofius* Polyhist. T. I. lib. IV. c. 3. n. 8. & de Lingua teutonica p. 5. 44. 98. ac Io. Georg. *Eccardus* in Histor. studii etymolog. linguæ germ. p. 29. 30. docentes, germanica a latinis, græcis & hebraicis sinistre deduci, cum potius illorum multa a germanicis proveniant, adeoque Crucigerum nostrum crucem sibi figere in derivatione sua, & imaginationibus se suis fallere.

Georg. *Cruciger*, wittebergensis, primum logices, deinde theologiæ professor marpurgensis, & philos. æque ac theologiæ Doctor, exaravit Examen disp. theologicæ de cœna Domini, & Theoriam platonicam de quidditate, passionibus & munere idearum, ac naturæ debitum solvit A. 1637. *Witte* Diar. biograph. Ll 2. LXII.

LXII.

Dominici MACRI, eiusque fratris *Caroli* Hierolexicon, seu sacrum Dictionarium. Romæ 1677. Editio tertia, recusum autem fuit Bremæ A. 1692. 4. Dominicus conscripsit illud italice, Carolus autem, invita sæpe Minerva, in latinam convertit linguam, multaque addidit, quæ duabus litteris FR. id est, Frater, indicantur. In eo ecclesiasticæ voces, earumque etymologiæ, origines, symbola, cærimoniæ, dubia, barbara vocabula, sacræque scripturæ & SS. Patrum phrases obscuræ, ut titulus præ se fert, elucidantur. Similia scripta sunt Io. Casp. *Suiceri* Thesaurus ecclesiastus, Ios. *Arndii* Lexicon antiquitatum ecclesi. Vide S. W. *Slutri* Propyl. histor. christ. 149.

Domin. *Macrus*, melitensis, ex itinere antiocheno, quod iussu Pontificis ad Patriarcham susceperat, reversus, in urbe professionem obiit philosophiæ, theologiæ, & orientalium linguarum, præclarisque concionibus, etiam inter Conclavistas habitis, favorem sibi maximum comparavit, defunctus & sepultus Viterbii A. 1672. æt. 68. Fran. Mariæ Cardinali *Brancatio* fuit summe carus, Romamque pro arabica S. scripturæ translatione bis accersitus. Præter hoc scriptum alia quoque elucubravit, ediditque, videlicet Itinerarium, quod altera vice impressum fuit Viterbii, Epistolam de potione Kafè, Conciliationem S. scripturæ apparentium, quæ huic operi subiuncta est, & sub nomine *Nicodemo Grima*, in quo latet *Domenico Magri*, Explicationem hymnorum Breviarii romani. Neque eius eruditio ac virtus dignitatibus caruere: fuit enim cathedralis ecclesiæ viterb. canonicus, SS. Inquisit. & Indicis Congregat. consultor, protonotarius apostolicus, eques auratus, & comes palatinus. Vitam eius descripsit, sed minime favente Apolline, Mar. *Argolus*, eaque præsenti est operi præmissa.

Carolus *Macrus*, Dominici frater, fuit Bibliothecæ alexandrinæ in archigymnasio urbis præfectus.

Octavii FERRARII Origines linguæ italicæ. Patavii 1686. Præmissæ sunt Dedicatio ad Leon. *Pisaurum*, Senatorem venetum & D. Marci Procuratorem, atque Præfatio. In illa magnificis celebrat verbis summi viri antiquissimam præstantissimamque familiam, fortunas, palatium, eruditionem cultumque litterarum, virtutes ac merita; in hac autem docet, verborum originatione mul-

tum eruditionis contineri, idque probat exemplo *Platonis*, Stoicorum, & ICtorum. Oſtendit etiam, eandem viam, quod ad latinam attinet linguam, calcaſſe Iul. Cæſ. *Scaligerum* libris XXIV. qui interciderunt, & *Menoſinium*; in gallica vero Ægid. *Menagium*; in hiſpanica Sebaſt. *de Covarruvias*. Fatetur tamen, ſicut & in ep. ad Dan. *Iuſtinianum*, Opp. var. T. II. 128. multa eſſe, quæ ſe quoque ob materiæ ſecretum effugerint. Et recte quidem: nam ad enucleandas origines linguæ italicæ nemo idoneus eſt, niſi qui præter alias linguas callet veterem teutonicam ſeu gothicam, quoniam italica nihil aliud eſt quam mixtura latinæ & gothicæ, cum Gothi irrumpentes in Italiæ provincias, eaſque aliquandiu occupantes, vernacula ſua latinam corruperint, & novam inde formaverint, quæ italica dicitur. Quiſquis igitur bene & accurate explicare conatur origines italicæ linguæ, eum non modo latinæ & græcæ, verum etiam veteris teutonicæ ſeu ſuedicæ gothicæque linguæ notitia præditum eſſe oportet. Eiusdem mecum ſententiæ ſunt G. *Hickes* in Theſauro linguar. veter. ſeptentr. (in Actis erudit. A. 1706. 109.) & Matth. *Cramero* nel Dittionar. ital. tedeſco p. 314. Hinc eſt, quod toties erraverit *Ferrarius* noſter, nec minus *Menagius*, quantumvis hic Origines ſuas contra illum ſcripſerit, eumque corrigere auſus ſit, ſicut legitur in *Menagianis* P. II. 353. Nic. quoque *Erythræus* adornavit librum de origine linguæ italicæ, ſub titulo Stoici, cuius & *Ferrarius* noſter meminit Opp. var. T. II. 132. & huius libri p. 47. ſed qui nunquam in publicum prodiit, alioqui fortaſſis lumen allaturus tenebris huius materiæ. *On trouve dans cet ouvrage* (ſcribit *Bailletus* de præſenti opere Ferrarii in III. Tomo des Iugemens des Sçavans ſur les principaux ouvrages des auteurs f. 287.) *beaucoup d' erudition, mais l' auteur paroit jaloux de la langue de ſon païs, qu' il croit, que tout' autre origine, que celle, qu' il luy donne de la langue latine, auſſi bien qu' à la françoiſe & a l' eſpagnole, luy ſeroit injurieuſe. En quoy il abandonne le ſentiment du Card.* Bembe, *qui pretend, qu' elle doit un aſſez bon nombre de mots au Jargon de Languedoc, & de la Provence.* Sed nec ille modus doctiſſimi Bembi eſt ſufficiens ad eruendas italici idiomatis origines, niſi ſubſidium petas ab illis populis, qui latinam linguam corruperunt, & multa vernaculæ ſuæ vocabula ei infarſerunt.

Pag. 4. Abbigliare. *Eſt a Bello*, quod | Potius *a gallico*, *Habiller*, Veſtire,

pulchrum significat.	re. Matth. *Cramero* nel Dittionario ital. tedesco p. 3.
8. Agghiaccio. Septum ovium. *A iacendo* sive *adiacendo* ductum.	An a suedico, *Haga?*
Aggechirsi, Vilem se facere. Secundum non nullos, *ab Adiacere.*	Immo a teutonico *Geck*, quod stultum significat.
9. Aguzzare. *Acuere*, *acutiare*.	A german. *Wetzen*.
14. Ambasciatore. A latina voce *Ambactus*, quæ significat servum mercenarium.	Hebræis *Hambaffer* est nuncius. Io. *Olearius* in 1. Sam. 4, 17.
15. Annegarsi, aquis suffocari. *A græco* ἄγχω, ἀγχομαι.	Melius a Sued. *Necken*, antiquo illo maris deo,
Appiccare. *Ab affigere*, *affigitare*.	A gothico *Spicka*, affigere clavis: pick enim illis denotat clavum.
16. Approdare. Navem litori adpellere, adplicare. *A prora*, quæ ripæ obvertatur.	Melius a germanico *Bord*, ripa, litus, ora, extremitas. Et Suedis *Bro* est pons ad litus maris.
19. Arnese. *Ab armitio*, quod non tantum significat thoracem, & armaturam crurum, sed etiam generice instrumentum.	Quid ni a germ. *Harnisch*, quod arma, armaturam, supellectilem significat?
Ibid. Arpa. Instrumentum musicum. Pap. Arpa dicta *a gente Arporum*, qui hoc instrumentum musicum invenerunt. Alii *a græco* ἅρπη, quod in extrema parte incurvetur.	Germani vocant *Harffe*.
20. Arrecare. Recare, afferre, adducere, portare. Per aphæresim *a Carricare*, *Carro ferre*, *adducere*.	A germanico *Reichen*, i.e. geben, bringen; quod Suedi efferunt, *Recka*.
21. Arrostire. Torrere, attorre-	Descendit a sued. *Rost*, veru.

Im-

re. Arrosto, Rosto. *Attostum*, *quasi Attoristum*, *rostum*,

Pag. 22. Artichiocco, Articiocco. Germani vocant *Artichoct*. — Immo vero *Artischoc*, sive, ut ipsi scribunt, *Artischock*.

23. Aspo. *Ab ala* dici videtur. — A german. *Haspel*.

26. Attuffare. Mergere & mergi. *Rectius videtur a Suffocare*, *Stuffare*, *Tuffare*, quam a germ. Tauffen. — *Inverte*, si capere vis rectius. Suedis *Dæpffa* est mergere, immergere.

29. Bacino, Bacile. A latino *Abacus*. Vide p. 2. — A german. *Becken*.

Baccio & *Oppagaccio*, Vmbrosum, opacum, non est ab Abbacinare, *ut Adr. Politus existimat*, sed ab opacum. p. 3. — Lege, *Abbagaccio*. Et ipse *Politus exponit per opacum*.

Badare. Morari, cunctari, distinere, item attente contemplari. Est *a Vacare*: nam qui alicui rei vacat, moram trahit. — Suedis *Bida* est Exspectare, morari. Et *Beite*, *Bita*, idem ac substantivum Bada.

31. Baili & Bailini, *a Balia sive Baila*, id est, *potestate* dicti, quod essent præfecti, gubernatores. — In primis legatus sereniss. Reip. venetæ ad Portam ottomannicam *Bailo* dicitur, id est, Gubernator, *in memoriam veteris iurisdictionis & dominii*, quo Veneti olim ibi gavisi fuerunt. Abbas Mich. *Benvenga* nel Viaggio di Levante p. 27. (in *Actis erud*. A. 1689. 127.)

33. Baldachino. Vmbella, aulæum, sive velarium, quod super altaria ac Principum capita suspenditur. Si non *a Baldacco, quod hodie Babylone dicitur*, fortasse *a Faldachino*. — Prius illud est probabilius. Interim sciendum, esse etiam *vocem anglicanam* Baldekin. CL. V. Io. Georg. *Eccardus* in Extract. menstr. A. 1702. m. Iun. p. 62.

37. Bara. Feretrum vel *a græco* Φορεῖον, quod proprie lecticam — Melius a germanico *Bahr*, *Handbahr*, quæ Suedis dicitur *Bar*, sicut

& gestamen significat, vel a *vara*, pertica & longurione.	sicut *Bara*, portare.
Pag.49. Bergamotti. Pirorum species, lautiorum mensis expetita. Menagius tradit, esse vocem turcicam, & *Beg* significare dominum, *Armout* pirum, & *pro Begarmout* Bergamot factum.	*Bergamotte*. Menagius tradit, *Beg* significare dominum, & *Armol* pirum, & pro *Beg-armol* Bergamot factum, significans eius modi pira, quæ inter cetera principatum teneant. *Acta erud.* A. 1686. 543.
51. Bicchiere. *A græco* βῖκος, vel *a pocillum*.	A german. *Becher*.
57. Ab eadem similitudine *Bollo*, tumor ab ictu.	Potius a gothico *Bula*, ulcus. unde *Böld*. Quod Germani vocant, *Erboeld*.
59. Bord, non ab ora, sed *a prora*, Proda. Vnde Approdare etiam, proram ripæ sive litori applicare, ex quo Ripa ipsa proda, borda, & bordo.	Interim *Bord etiam extremum significat*; & sic etiam litus ac ripam. Hinc suedice dicitur, *Loggia om bord*.
Bordenale. Trabs sive lignum, cui tectum incumbit. Deducitur autem vel a *cardinato*, vel, quod rectius puto, a *Portenalio*, trabe scilicet, quæ ad ianuarum latera sustinendis foribus statuitur.	Rectius putasset, a germ. *Bord*, extremum, quia extremis muri partibus incumbit.
Borgo a πύργος.	A german. *Burg*.
61. Bosco. *a græco* βόσκειν.	A germ. *Busch*.
Bosima. Boum excrementa.	Suedice: *Bås*.
Bosso. Buxus. Bossolo. *Pyxis*, pyxidula.	Sued. *Böss*a. In inferiori Saxonia, *Büsse*: apud ceteros Germanos, *Büchse*.
Butte. Dolium, buttis. βυτίνη, cupa.	Sued. *Butta*, germ. *Butten*. Inde *Buttner*, doliarius.
63. Branca. Pro extrema parte sive crurum, sive brachiorum, in feris & avibus rapacibus.	Sued. *Bringa*.

Pag. 64. *Brauo.* A *græco* βραβεὺς, sive βραβεύειν. Hinc Brauo dicebatur, qui bravium reportasset.	A germ. *Brav*, fortis, audax, strenuus.
Breccia. Mœnium fractura. A latino *fractio.*	A german. *Brechen.*
Briccia. A *friando.*	A germ. *Bröcklein.*
68. Brodo, ius. A *bulliendo.*	A germ. *Brühe.*
Brolo. Brolgio, *Broglio.* *A græco* περίβολος, locus septus, & maceria aut mœnibus circum datus.	A germ. *Brul* vel *Bryl*, quod significat plantarium sive vivarium, sive locum spatiosum septum, & maceria aut mœnibus circumdatum. *Cramero* 146. *Wagenseil* Notabil. norib. III.
69. Brontolare. Incondito murmure ac compresso vocis sono conqueri, stomachari. Est fictum *a sono aquæ bullientis*, qui se habet ut, Bro, Bro.	A germ. *Brummeln.*
70. Bruno. Obscurum, subnigrum. *A prunorum colore.*	A germ. *Braun*, *Brun.*
72. Buffone. Scurra, mimus. *A bufare*, quod est subflare: quod quidem fit buccas inflando, & recipiendo spiritum, quem sufflando emittimus.	A germ. *Buffen*, sufflare.
86. Canto. Angulus. *A græco* κανθός.	Sed breviori via, a germ. *Kant*, latus. *Cramero* 175.
87. Capella. Cella, sacellum. *A Sacellum*, *vel Capitellum.*	Potius *a Cava*, quasi *Cavella*, unde Capella. Cava autem significat parvum ædificium fornicatum; qualia erant Capellæ.
88. Capitombolo. Vox conflata ex Caput & *Tumba*, quæ græce sepulcrum, sive locum subterraneum significat.	Potius ex Caput, & gall. *Tomber*, Cadere, decidere.
92. Carpione, piscis, a *Cyprinus.*	A germ. *Carpe*, *Carpf.*

A germ.

Pag. 96. Castaldo, Gastaldo. Villicus, quique domus curam gerit absente domino -- Proprie *positus*.	A germ. *Bestaldt, Gestellt*. Qui positus est ad vices domini gerendas.
103. Chiapino apud Insubres vocatur & dæmon, & faber æraminarius, qui ahena & lebetes resarcit, quod alta caminorum fuligine obsita sint, ac *veluti atram cacodæmonum speciem repræsentent*.	Sued. *Klappa*, tundere, melius quadrat ad originem vocis Chiapino. Nam fabrorum æraminariorum labor potissimum consistit in tundendo.
104. Chiasso. Angiportus, via angusta, & ferme ex una parte *clausa*.	A germ. *Gasse*, vicus.
109. Ciocco. Zocco, stipes. Vel *a trunco*, vel *a caudex*.	Immo a germ. *Stock. Cramero* 1282.
Cioncare, Intemperanter bibere. *A trunco*, alveo porcorum.	Quanto melius a sued. *Kluncka*; quod idem significat.
110. Ciuffo Capilli in fronte virorum ac mulierum erecti, & constipati. A similitudine *Cufa & Cufia*, vestis villosæ, ac densis pilis hirtæ.	A germ. *Schopf*, sive, ut ad morem Italorum, secundum germanicam pronunciationem scribam, *Sciopf*.
Ciurma. Hominum multitudo, ac vilis turba, præcipue remiges. A *turma*.	A germ. *Schvvarm. Cramero* 227.
111. Cocchio. Rhedæ species. A *cubando*.	A germ. *Gutsch*, sive *Kutsch*.
119. Corredo. Corredare, ornare. Corredo, ornamentum. Ab *arrhis nuptialibus*.	A Sued. *Reda*, germ. *Zurichten*, ornare, instruere.
123. Crena. Incisura *in ligno*.	Etiam *in calamo*. Et Suedis *Gren* est ramus, & calamus.
125. Crusca. Furfures, crassius farinæ recrementum. Vel *a cernere*, quod idem est ac cribrare; vel *a quisquilia*, purgamenta.	Sine ambagibus habetur hæc vox in germanico *Grusch*, vel *Krusch. Cramero* 314.

Pag. 127. Dardo. Iaculum. Fortasse *Verutum, vertum,* dardum: vel *a Dardanis populis.*	In promtu habemus vocem germanicam, *Darde*, telum acutum. *Cramero* 324.
129. Dieta. Conventus, comitia. *A cubiculo, & cœnatione*, seu *a consultationibus in conviviis.*	*A die conventus indicta*. Nec confundenda *Dieta* cum *Diata*.
Dileggiare. Irridere, deludere, diludiare: *non* a deliciis, aut *a risu.*	Sane non a deliciis, optime tamen *a risu*; nam Suedis Ridere est *Loeck*, Germanis *Lachen, Auslachen.*
130. Dirancare. Distorquere. Vox antiqua, translata *a gressu claudicantium*, quod Rancare dicitur.	A Sued. *Runka*, germ. *Verrenken.* Neque vox deducitur a gressu claudicantium, sed *vitium claudicantium est a distorsione*, sive vom verrencken.
138. Fello. Fellonia. Perfidus, perfidia, *a græco* Φηλωση, *Phelose.*	A germ. *Fehlen*, errare, delinquere, cadere.
139. Feudo. Genus clientelæ. Sic dictum *a fide seu fidelitate*, quia feudatarius domino suo obstringitur.	An non a Sued. *Fœda*, nutrire? quia feudi beneficio vasallo datur, unde vivat, seque & suos nutrire queat.
Fiasco. Lagena. Flascum a germ. *Flasch.* Hoc *a latino Vasculum.*	A germanico *Flasche.* Hoc autem a latino esse, probandum foret.
141. Fino. Perfectum, præstans. *A fine.*	A germ. *Fein, Fin.*
142. Foderare. *A foras.*	A germanico *Foder*, *Futter.* Nec minus Fodro, vagina, a *Foder, Futter.* Henr. *Meibomius* iunior, Rer. germ. T. I. 52.
143. Foggia. Modus, forma. Viris doctis assentimur, qui aiunt, factum a gallico *Fois.*	Commodius a sued. *Fegh.*
146. Frasio. Quod facile teritur, & comminuitur. Germ. *Frisch*: recens panis facile frangitur & friatur.	Bene, quod ex germ. velit deducere: sed vocabulum *Frisch* non quadrat; quadrat autem sued. *Fras.*
144. Forbire. Tergere. Fortasse	A germ. *Reiben*, belg. *Vryven.*

A germ.

a purgare, aut *a foria.*	
Pag. 146. Fresco. Frigus opacum, recens. *A frigusculum*, aut *virescens.*	A germ. *Frisch*, utriusque significationis.
147. Frezza, Freccia. Sagitta. A lat. Infligere, *inflixi.*	A germ. *Flitz*, *Flitzpfeil.*
148 Gabbare. Deludere, decipere. Est *a Captare.*	Valeant Latini; habemus vocem sued. idem significantem, *Gabba.*
152. Galoppo, Galoppare. Equi cursus incitatus, *a græco καλπαν, Calpan.*	At καλπαν, ut ipse mox addit Ferrarius ex *Salmasio*, non significat cursum incitatum, sed trotum, medium inter galopum & passum. Nimirum Galopo venit ex sued. *Læpa*, currere, quod inferiores Saxones efferunt *Læpen.*
Gabella. A lat. *Vectigalia*, vel a *Capital.*	A germ. *Gabe* quæ significat censum, vectigal, & quidquid Magistratui penditur.
Feltro. Penula e lana coacta, coactitium, sicut & pilei. πιλωτον, coactile. *Piloton, Piltrum*, Feltrum.	A germ. *filz.*
153. Gara. Contentio, certamen. A *guerra*, quæ & verra, & warra.	A sued. *Kara*, accusare, contendere.
155. Garzone. Puer, ferme a pedibus, opificum minister. Ab *Agaso*, *agasone*, garzone.	Suedis *Gasze* est puer; unde melius, quam ab agasone.
157. Ghetto. Stabulum Iudæorum, *ignota originis.*	*Wagenseil* in Norib. reb. notabil. p. 130. deducit a germanico *Gasse*, quod dialecto alia *Gatte* enuncietur, & significet vicum seu peculiarem urbis locum, Indæorum habitationi assignatum.

 Germa-

Pag. 161. Giubba, & Giubbone. Thorax & tunica superior, germ. *Iuppe*. Quod opinor esse ex *Supparus*.	Germanorum *Iuppe* in usu, erat, ante quam latinum didicissent.
164. Gonna. Vestis muliebris. *a graeco* καυνακη, *Caunace*.	Ab anglo-saxon. *Govvn*. Græcum autem est καυνακης, *Caunacu*.
165. Graffiare. Vnguibus scalpere. a graphio, i. e. stylo.	A germ. *Krallen*, *Kratzen*.
166. Granfio. Nervorum torpor. Fortasse a *cancro*.	Immo vero a german. *Crampf*, *Cranf*.
167. Grattare. Scabere, Scalpere. *ab Atterere*.	A germ. *Kratzen*.
Griso. Color cinereus. Ex *cinericius*.	A germ. *Greis*, *Gris*, *Grau*.
170. Guanto. Chirotheca. Vossius. Vuantus, chirotheca, *ex germ. & belg. Vuante*.	Sic & Suedi vocant *Vuanta*.
Guardare. Videre, contueri. Item servare, a germ. *Vvarden*, quod est *a latino Advertere*.	Potius *a Wahren*, *Bevvahren*.
177. Inghistara. Vini mensura, & ipsa lagena. Puto, factum ab *Hemisextarius*, vel potius ab ipso *Sextario*.	Potius a germ. *Engster*.
Ingombrare. Occupare, infercire, impedire, obstruere. *Incumulare*, ut *Guyeto* visum.	Longe melius *ab Vmbra*, vel germ. *Kummer*, mœror, qui animum, aut cæmenti & lapidum strues ex diruto ædificio, quæ locum in platea occupant.
179. Intoppare. Offendere, in obstaculum impingere. Intoppo videtur esse, quasi *in oppositum*. Vel a *titubare*, *Intitubare*.	Vox est formata *a sono*; qui enim offendit, audit quasi *top*. *Cramero* 628.
181. Laido. Fœdus, sordidus. Non a germ. Laidig, sed ab *illautus*.	A goth. *Led*, & germ. *Led*, *Ladig*, quæ idem significant. *Cramero* 642.
182. Lasciare. *A laxare*.	A germ. *Lassen*.

Pag. 182. Leccare. Lingere: a græco λειχειν, *Leichein*.	A germ. *Lecken*.
Legnaggio. Lignaggio. Stirps, prosapia, a stemmatis lineis & flexuris. Quamquam a & *ligno* sive stipite, ex quo gentis propago.	Melior est prior derivatio, a stemmatis *lineis* & flexuris. *Cramero* 667.
185. Liscio. Lævis, planus ac politus. *Lævis*, *Levitio*, *Liscio*. Vel *a lingendo*.	Potius a germ. *Glatt*, quasi *Glitscio*. Vnde gallicum Glissant. *Cramero* 668.
186. Liurea. Colorum insignia in vestibus familiæ. *A limbis* versicoloribus, quibus famulorum vestes distinctæ sunt.	Immo a germ. *Liefern*, dare: unde & in barbara latinitate *Liberare* usupatur pro dare. Et sic dicitur Livrea vestis illa, quæ famulo datur a domino, non vero ab illo comparatur. *Menagius* in Orig. L. gall. & *Cramero* 670.
187. Loggia. Mœnianum, Pergula, locus editior, ambulacrum, a græco λογειον, *Logeion*.	Melius a germ. *Laube*, *Löve*, *Loebe*. *Cramero* 671. I. G. *Eccard* Progr. de antiquo Helmstadii statu B 4.
Lordo. Sordens, sordidus. Non ab horrido, sed rectius *a sordido*.	Neutrum recte: quin potius a *Lort*, quod Suedis stercus significat.
190. Madrigale. Breve carmen amatorium. *Coaruvias*: Quasi Mandrigal, carmen, quo pastores lætantur, a mandra sive mandria. Quem sequitur *Menagius*. Aptius ab hisp. *Madrugar*, diluculo surgere, & ut ita dicam matutinare, mattinare: inde Madrigali, carmina, quæ ab amatoribus diluculo amicarum ostium occentantibus canebantur.	Prior derivatio Covarruviæ (quem Ferrarius semper *Coaruviam* vocat) & *Menagii a mandra*, non opus habet correctione. *Cramero* 686.

Plane

Pag. 191. Magazino, Magazeno. Horreum, apotheca. Coaruvias ex Vrrea ait vocem esse arabicam. Neque tamen absurdum videtur, a *Massa*, i. e. variarum rerum congerie deducere.

Plane congrue ab arabico *Machzan*, in plur. *Machazin*: quo denotatur locus, in quo reconduntur opes. *Bochart.* in Phaleg l. 2. c. 27. p. 138.

197. Marca. Regio, pondus, nota, limes, & terminus. Secundum *Vossium*, a germ. *Marck*, quod venit a *Mercken*, Notare, signare, quia lapides, qui pro termino forent, signabantur: Puto tamen, Marcam esse *a Margo*, limes.

Non est, quod Vossium deserat: Vocabulum enim Marca omnino germanicæ est originis, & dicitur *Mark*, *Cramero* 702.

199. Maroni. Castaneæ maiores. *Crescentius* lib. 5. ait, vocem esse Mediolanensium. Sed credo, *a* βαλανΘ- *Balanus*, glans viridis, vocem esse formatam.

Probabilior est sententia Crescentii, descendere *a Mare*, pro Madre, mater, & inde fieri *Marone*, sive Maroni, *magnæ matres*: in singulis enim folliculis est una castanea maior, e quibus collectis constant maroni. *Cramero* 705.

200. Martoro, seu Martora. Fera exigua e genere mustelarum. Secundum Sanctium, *quasi Sarmata*, quod e Sarmatia perferantur.

Immo a germ. *Marder*.

206. Merli. Pinnæ murorum. *A muralis*: sunt enim murorum pinnæ, & parvi muri.

Habemus vocem germ. seu sued. *Marla*.

207. Meschino. Pauper, infelix. Nihil attinet, Chaldæos & Arabas ad partes vocare. Puto enim simplicissimum esse *a Miser*, Misellus, Misellinus, Meschinus; aut *a Mendicus*, Mendiculus, Mendicinus, Meschinus.

Interim *Meschino*, pauper, est *pure syriacum*. Idemque significat chaldaicum מסכן *Mischen*. Io. *Drusius* in Lev. 25, 35. & 1. Sam. 2, 8.

A sued.

Pag. 213. Mucchio. Cumulus, acervus. *Contracte a Monticulus*, Muclus, Mucchio.	A sued. *Mychet*,
Muffo. Mucidus. Muffa. Lanugo, quæ longo situ contrahitur.	Muffa, a germ. *Muff*.
215. Nastro. Vitta, fasciola. German. *Nestell*. Forte hoc ab *instita*.	Nastro *a Nestel*; sed *non hoc ab instita*.
218. Onta. Ignominia, iniuria pudorem inferens. Affrontare, *frontem* cædere, quæ pudoris sedes. *Monosinus* ab Onio, hocque ab Ονειδίζω, iniuria afficio.	In medio stat vox germanica, *Hohn*: a qua Onta, *Cramero* 774.
220. Pacchetto. Fasciculus litterarum. Menagius *a pango*, pactum, pactetum. Forte *a Pasceolus*, sacculus ex aluta.	A germ. *Packet*. Et hoc a *Packen*, Colligere, & combinare res mittendas.
Padella. Sartago. *Quia patula est.*	A germ. *Panne*, *Pfanne*.
Pagare. Solvere. Mihi placet opinio Silvii, qui Pagare *a pago* derivat, quod pagorum incolæ, solutionis veluti officinæ sunt.	Melius *a Pacare*, Pacatum reddere, quia solutio pacatum reddit; sicut & Germani de solutione dicere solent, Einen zu frieden stellen. *Cramero* 788.
222. Palanca. Septum e stipitibus & asseribus ligneis, aut etiam argilla. *A phalangis*, sive fustibus, quibus transversis onera gestantur.	En vocem germ. *Planke*.
Palio. Bravium, victoriæ præmium in cursu equorum. *A pallio*, vel *palmario*.	Quid si *a palo*, cui imponebantur præmia? *Cramero* 791.
Panca, sive Banco. Alii *a planciis*. Sed *planca sunt tabula*. Banco autem sive Banca *ab abaco*. p. 2.	Alibi tamen, videlicet p. 2. Banche & Planche *pro iisdem habuerat*, quamvis minus recte. Banco autem sive Banca est purum putum germanicum, a voce *Banck*, quæ denotat sedem, in qua

	qua plures simul sedere possunt.
Pancia, Panca. Venter. A *pantice*, Panticium.	A germanico *Wanst*.
P.223. Pantofela. Solea, crepida. A græco παντοφελλος, quod tota ex subere. *Germani vocem* Pantoffel *vel a græco, vel ab italico accipere potuerunt.*	Vel Græci, Italique a Germanis sive Gothis, atque antiquis Celtis, quippe quorum lingua erat una cardinalium. Vide *Morhof* de Lingua teuton. c. 2.
224. Pappa. Pulticula infantium. Quin, ut Varro dicit, cibum ac potionem *buas* ac *papas* dicunt.	A germ. *Papp*, pulticula pro infantibus. Pappare, *Pappen*, Papp oder Brey essen.
Parco. Septum coërcendis feris. *Neque a germ.* Pferch, *aut belgico* Parc & Perc. *Quod ab inusitato latino Parco* i. e. coërceo.	Verba legimus, sed *nullam eorum rationem*.
228. Peltro. Stannum. Vox anglica: *Peczter*.	Scribe: *Pevvter*.
229. Perla. Vnio. A Pilula.	Convenientius a germ. *Beerlein*, acinus, baccula; quia uniones eiusmodi fructibus sunt similes.
230. Petecchie. Febris, qua corpus nigricantibus maculis adspergitur. Aliqui *a puncticulis*, alii a *peticulis*. Sed est a πιτταγος.	Immo ab ungarico *Petesthen*. *Cramero* 836.
231. Piaggia, Spiaggia. Litus maris, ac fluminum statio: item brevia. *Menagius a græco* πλαξ planities: an ab *exspatians ora*, aut simpliciter, *planitia?*	Quidni *a plaga? Cramero* 839.
Piastra, Lastra. Laminæ, sive latiores marmorum crustæ, quibus pavimenta struuntur, dictæ Platæ, Platoniæ, Platinæ, Platuniæ. *A græco* πλατυς, latus, amplus, patulus.	Non opus est ad Græcos excurrere: vicinorum enim Germanorum est *Pflaster*.

A germ.

Piato. Dar di piato. Non cæsim aut punctim, sed latiore ensis parte batuere. *A græco* πλατυς, latus.

A germanico *Platt*. Mit dem platten degen einen schlagen.

Piatta. Navis a lato fundo. *A græco* πλατη.

A germ. *Platte*, quæ alias etiam dicitur Fæhre.

Pag. 232. Picante. Vinum, *a pice* dictum, quæ ei adspergitur, ut odore cum saporis quodam acumine inficiatur.

Picante melius deducitur a germ. *Bicken*, quod idem est ac Beissen, grato acumine blandiri palato.

233. Piffaro. Tibia biforis. German. *Pfifer*.

Immo *Pfeiffe* vel *Pipe*: tibicen, *Pfeiffer*, *Piper*.

234. Piloto. Proreta. *A pedoto*; Pedoto autem a proreta. Quanquam Pedoto etiam a pede derivari possit, quia, qui veli curam habet, & illud ventis aptat, pedes sive extrema eius observare debet.

Vicinior est vox Germanorum *Peylen*, In fundo scrutari.

Pinta. Vini mensura, duarum ferme librarum. Budæus *a græco Bityna*, quod vas vinarium significat. Alii a germ. *Pinte*.

Et *hoc* quidem rectius. Illa autem græca vox, unde Budæus, germanicæ linguæ imperitus, derivare volebat, est πιτυνη, vas picatum, quo vina reconduntur.

Pipa. Tubulus ducendo Poeti fumo. Germ. *Pfeiffen*. *Quod a siphone ductum puto*.

Germ. vox, *Pfeiffe*, sive ut inferiores Germani enunciant, *Pipe*, minime omnium e latino formata, sed indigena est.

Pipare, Pipire. Vox avium ac pullorum. Hinc pulli Pipi, græce πιπποι. Vnde πιππιζω, Avium pullos voce imitor.

Germanis vox *Pipen* denotat tam Pipire, quam pullos avium, earumque, quæ voce fit, imitationem.

235. Pisciare, Meiere. Vel a germ. Pissen, *Beseichen*, vel *a græco* ομιχειν.

Quid ei cum græco ομιχειν; Vtique a germ. *Pissen*. *Beseichen* autem est Immeiere, urina conspurcare.

239. Potta. Id, quo fœminæ sunt,

Sed quid attinet a Græcis Latinisve

Vossius a Βυσσος. Sed quid attinet cuncta a Græcis morose repetere, cum Latina suppetant? Nam Puerus, Putus, unde Putillus & *Puta*.	nisve cuncta morose repetere, cum germanica suppetant? Vide enim, quæ *Cramerus* adfert p. 868. Nostrum non est, ista diutius persequi.
Pag. 235. Pizzi. *Linteorum* ornamenta. Vel *a Pinna*, vel *ab Apice*.	Non tantum linteorum, sed & rerum. A germ. *Spitzen. vestium, collarium*, aliarumque.
240. Pregione, Prigione. Carcer. *Prehensio*, tam pro loco, quam pro eo, qui in vincula coniectus est.	Sed & germanica est vox *Presaun*, carcerem significans.
244. Rachetta. Reticulum impellendæ pilæ: *unde nomen invenit*.	Potius ab Inferioris Germaniæ verbo, *Racken, Anracken*, attingere, contingere: quoniam Rachetta est instrumentum, quo pila aut simile quid attingitur & impellitur. *Cramero* 923.
246. Raspare. Radere. *A Rasitare, Rassare*.	Potius a germanico *Raspeln*.
249. Ricamo. Opus phrygium. Quod etiam dicebatur *barbaricum*, quia Phryges barbari vocati sunt. *Barbaricamen*; unde Ricamo.	In oriente nata vox, a רקם *Racam*, Acu pinxit: רקמה Acupictum, opus phrygionicum.
250. Ricco. Dives. *A Rege, quod divitiæ sint Regum propriæ*.	A germ. *Reich, Ryck*.
Ridda. Chorea *a redeundo*.	A germ. *Reihe*.
251. Rima. Versus in fine similiter cadentes. *A rythmo*.	Non a rhythmo, sed a germ. *Reime, Reime*.
253. Rocca. Colus. *Colicula, Colucula, Rucula, Ruca, Rocca*.	A germ. *Rocken*.
254. Rogna. Scabies. *Rubigo, Rubigine, Rubogine, Rogina, Rogna*. Quidam tamen a germ. *Raud*.	Et hi, qui a *Räude* deducunt, melius.
255. Ronda. Circitores, nocturnæ satellitum excubiæ, *a rotundus*.	A germ. *Runde*, quod excubias illas significat.

An

P.257. Ruffiano, leno, perductor. *A Ruffare*, scabere, polire, furfures capitis pellere: nam *Rufa* est capitis porrigo, sive furfures; inde etiam usurpatur pro blandiri & adulari, quod lenonum proprium.

An non promtius fluat a germanico *Ruffen*, Vocare, advocare, quia leno amasiis advocat amicas, & amicabus amasios. *Cramero* 997.

Sabbaione. Embamma ex ovis, vino, & saccharo. A *Cyceone*, vel a *Sapa*, quod est defrutum, sive mustum coctum.

A germ. *Sooff*, vel *Surff*, holland. *Suyp*, quia tale decoctum bibitur vel sorbillatur. *Cramero* 999.

258. Sacchaggiare. Depopulari. Vossius *a germ. Schacken*, rapere. Simplicius videtur *a sacco*, in quem præda coniicitur.

Immo *Vossii derivatio* est simplicior, quia non omnis prædatio fit cum saccis.

Sala. Olim pro tota domo, nunc pro parte eius, & quidem cœnaculo, sive maiore conclavi, a Germanis *Sall* dicto.

Saal dicitur a Germanis, a longo.

259. Sanna, Zanna. Dens apri prominens aduncus. A *sanna* dictum putant, id est, ab irrisione, quæ ore distorto fit. Quod si Græcos advocare placeat, sanna erit a γένυ, (imprimendum erat γένυς) *gena, maxilla*.

Mira devia, cum sit a german. *Zahn*, in plur. *Zähne*.

261. Sbroiare. Aqua bulliente perfundere.

A germ. *Brühen*, *Abbrühen*.

262. Scacchi. Ludus calculorum, sive latrunculorum. *A calculis.*

Quanto melius *Grotius* cum *Vossio*, a *Schacken*, prædari!

293. Scalco. Structor, carpus, olim servus quilibet. *A germ. Scalck*.

Scribendum fuisset, *Schalck*, quod ita ab Italis pronunciandum, quasi scriptum esset: *Scialc*.

265. Scaramucciare. Velitari, leve prælium committere. A

Recte Scaramucciare a germ. deducitur: Germanis enim *Sciarmüzeln*

Scharis sive Scheris, voce germanica, quæ aciem significat, Schaher sive Schaar.	*müzeln* est velitari. Atque hoc verbum derivatur a *Schar* sive Sciar, & *Mischeln*, miscere: neque vox Sciar aciem significat proprie dictam, sed turmam, sive manum militum.
Pag. 265. Scarpa. Calceus. *A caliga*, vel a καρφια, *Carphia*, quæ sunt claviculi, quibus suppingebantur militum calcei.	Potius a gothico, quo & Suedi hodieque utuntur, *Skor*.
266. Scatola. Pyxis, sive arcula ex tenuissimis tabellis confecta. Vel *a capsula*, vel a scapula, vel *a Castula*.	A nulla istarum, sed a germanico *Schachtel*, Sciachtel. I. C. *Wagenseil* in Hydrasp.
Scemare. Imminuere, aliquid detrahere. Non a germ. Schemen pudere, sed ab *eximere*.	Sane non a germ. *Schamen*, seu *Scemen*, secundum pronuntiationem Italorum, quid enim pudori cum imminatione? interim optime a germ. seu gothico *Shamma*, quod idem significat, videlicet Imminuere.
Scempio. Poena, supplicium, tormentum. A latino *Exemplum*.	Sed & simplicem denotat, fatuum, mentis inopem. *Et* in hac significatione descendit a *Scemo. Cramero* 1026.
Scheggia. Assulæ, hastulæ, & fragmenta, quæ, dum ligna, aut lapides cæduntur, inde cadunt. *A græco* σχίζα. Et σχίδαι proprie ligna fissa in usum sacrificiorum.	Potius a germ. *Scheit* sive *sceit*, quod eiusmodi fragmentum seu particulam ligni denotat. Nec σχίδαι sed σχίδια, *Scidia*, Græcis dicuntur ligna ad sacrificium divisa.
267. Scheggiale. Scossiale, cinctus, semicinctium: *a coxis*.	Scossiale quidem aut a germanico *Schoos*, gremium, aut etiam, si placet, a coxis deducatur; neutiquam vero Scheggiale, quippe quod pronius fluit ex germ.

germ. *scheiden*, dividere: quia semicinctium dividit corpus hominis in duas partes.

Pag. 267. Scaramuccia. Velitatio. *A scara*, ut aciem significat.

Lege: *A Schar*, sive *Sciar*.

Schernire. Subsannare, illudere. *A germ.* Lips. Epist. XLIII. Cent. IV. ad Belgas ex vetere *Glossario*: *Scerni*, subsannatio; *Scern*, illusio.

Bene, quod Germanis relinquit, quod ipsorum est: sed verba illa Lipsius non habet ex vetere Glossario, verum *ex vetere Psalterio* belgico, cuius excerpta sive Glossarium dedit non in 43. ep. Centuriæ IV. ad Belgas, (non enim tot sunt centuriæ illarum) sed 44. Centuriæ III.

Scherzare. Iocari, illudere: Quod mihi videtur a latino *Scurra* deductum: eorum enim proprium, illudere, & iocis risum captare.

Sed multi iocantur sine scurrilitate. Cur recedit a fonte germanico, cui adstabat? nam est *a Scherzen*, sive *Scerzen*, Iocari. Et Scherzo, substant. a *Scherz*, *Scerz*. Nihil clarius.

Schizzare. Liquorem quassando exprimere.

A germ. *Schiessen*, iaculari. *Cramero* 1030.

Schiaffo. Colaphus. German. *Schlapp*.

Non a colapho, sed ab ipso germ. *Schlappe*, quam etiam vocant *Maulschelle*, *Ohrfeige*, quando colaphum exprimere volunt. *Martinius* in Lex. v. Salapitta.

Schiamazzo. *Exclamatio*, strepitus.

Est sonus ore factus, qui germanice, dicitur *Schmatz*, unde verbum *Schmatzen*.

268. Schiavo. Servus, mancipium. *A Captivus*, *captivus*.

Minime; sed a germ. *Sclav*. Primitus autem sic dicebantur, qui e forti Slavorum gente captivi erant & mancipia facti.

Schidone. Veru & verutum. A germ. *Spiss*.

Immo a germ. *Scheit*, quo ad varia utimur instrumenta: & fortasse.

	tasse olim veru dicebatur *Bratscheit. Cramero* 1029.
Pag. 269. Schietto. Purum, non mixtum. *Ab excretus.*	Convenientius, a germanico *Geschlacht.*
Schifare. Effugere, declinare. *A cavere, excavere.*	A gothico *Skifa*, germ. *Schewen.*
Schifo. Cymba, Scapha. *A scypho.*	A germ. *Schiff.*
275. Sensale. Proxeneta, mediator, sequester, pararius, interpres. Vel *Xenialus*, qui hospites & peregrinos cum civibus conciliat, ad emendum & vendendum: vel vox Venetiis orta, ubi per festos Ascensionis dies celeberrimæ nundinæ sunt, & tam ipsum festum, quam nundinæ *Ascensa*, & *Sensa* dicuntur.	Vel: Sensale, quasi *censale. Cramero* 275.
278. Sgurare. Aes tergere, & in splendorem dare. Ab Aerugo, quasi *Exeruginare.*	A germ. *Scheuren.*
280. Snello. Agilis, velox. a germ. Schnell; sed *hoc a latino Hinnulus.*	Magna opus foret *probatione.*
Smalzo. Veneti *butyrum appellant*, a germ. Smalz, quod forte ab *emulctum.*	Non butyrum simpliciter, sed *butyrum purificatum.* Smalz autem sive Schmalz, *vocem germanicam*, ab emulctum derivare, est hircum mulgere.
284. Spanna. Palmus maior. *Ex græco* Σπιθαμη *Spithama.* Vnde germ. Spann.	Immo ex germ. *Spann* est italicum Spanna. *Cramero* 112.
Sparagnare. Parcere, rem servare. Rectius *a parsimonia* deduxeris, quam ab *exparro.*	A german. *Sparen*, quod Suedis *Spara.*
285. Sparviere. Accipiter. *A latino corruptum*: Accipiter, accipitrarius, asparuarius, sparuarius,	Quorsum hæc? Habemus vocem germanicam *Sperber.*

Vtique

Pag. 286. Sperone. Calcar. Vel a germ. Sporen vel a *Spola*, hiſpan. Vtrumque ab *expellendo*, aut a *Sphærulis*, quæ extremitati calcarium adduntur.	Vtique a germ. *Sporn.*
Spiedo. Veru, venabulum.	A germ. *Spies*, ſued. *Spett.*
287. Spola ſive Spoula. Inſtrumentum textorium. Vel ab *Aſpo*, vel a Spicula.	A german. *Spule.*
Springere. Calces impingere. A germ. Springen, ſaltare, crura iactare. Sed *Springen eſt ab Impingere.*	*Petitio eius, quod in principio.*
Spruzzare, a lat. *Spargere, a quo & germ.* Beſprengen, Beſpritzen.	Immo Spruzzare a germ. *Sprützen.*
289. Staggio. Staggia. Stanga. Fuſtis, ſalanga, vectis, præcipue ſuſtinendis oneribus. *A baſtagium.*	A germ. *Stacke. Cramero* 1135.
Stalla. Stabulum. *A quo* illa vox.	Potius a germ. *Stall.*
Stanga. Fuſtis, ſalanga, vectis, a *baſtagium*.	A germ. *Stange.*
290. Steccato. Septum, ſudatum, vallum ex ſudibus, ac ſtipitibus defixis. Stecco, Steccone, pro palo, ſive ſude acuta. Vnde german. *Stechen*, pungere	Immo Steccato a Stecco, & Stecco a germ. *Steke*. Verbum Stechen autem attulerunt, non petierunt Germani ab Italis.
Stelo, thyrſus, petiolus. A *ſtylus.*	A germ. *Stiel.*
291. Stinca, Schinca. A *Spina.*	A germ. *Schenkel.*
Stivali. Ocreæ. Germ. *Stieffel, quod eſt a latino*, Ocreæ æſtivales.	Inverte, & dic, *eſſe a germanico*, ſi non vis errare. *Cramero* 1145.
292. Stocco, gladius punctim feriens, a *Stipes, Stipicum.*	A germ. *Stock, Stechen.*
Stormo. Turba, multitudo, certamen. A *Turba.*	A germ. *Sturm.*
Stracciare. Diſcerpere, lacerare. A *diſtrahere.*	Formatum potius a *ſono. Cramero* 1147.

Pag. 293. Strada. Via lapidibus *ftrata*. Vnde illa vox.	Quin a a germ. *Straffe*, *Strate*.
Strale. Sagitta, a *Tragula*.	A germ. *Strahl*.
294. Stronzo. Stercus compactum & rotundum. Gloff. *Struntus*, στεκοθος.	Sit ita: fed & notetur, *Trin* Suedis effe rotundum.
Strozza. Guttur, iugulum, animæ canalis. Quis non videt effe a τραχεια, trachea, afpera arteria?	Nemo id videt, qui novit effe a germ. *Strozz*, five *Troffel*, belg. *Strot*. *Cramero* 1555.
Stufa. Hypocauftum. Ab *Aeftuo*.	Cur non a germ. *Stube*, belg. *Stoove*?
Struccare. Premere, ftringere. A *ftrictum*, vel a *torquere*.	Eft purum putum germanicum, *Ausdrucken*, exprimere.
296. Suppa. Zuppa. Panis iure aut vino imbutus, & maceratus. A latino *Infipare*.	A germ. *Suppe*.
Tabarro. Pallium, palliolum. Corruptum *ex Ampallium*, aut a *Caperone*.	A germ. *Tabbart*, belg. *Tabbaert*.
Tabì. Pannus fericus. *Vnde nam*, adhuc quæro.	Invenitur apud Germanos vox, *Tobin*.
297. Tagliare. Scindere. A *talea*, qui eft furculus, præcifus abutraque parte, ut in terram inferatur.	A goth. & fued. voce, *Talga*, fcindere. *Cramero* 1169.
298. Tamifo. Cibrum fetaceum.	A germ. *Temft*.
Tane. Color ex fufco & rubro mixtus. Qui quia *caftaneus*, five *caftaneus*, inde Tane. Aut etiam a *Tan*, nucis putamine.	Aut a *tan*, voce gallica, quæ fignificat corticem iuvenis quercus, qua coriarii utuntur. *Cramero* 1171.
Tanfo. Odor teter e re mucida.	A germ. *Dampf*.
Targa. Parma, clypeus. A *Tergum*.	A germ. *Targe*: qua & Galli utuntur, vocantes *Targue*.
299. *Tartaruga*. Tartaruca. Teftudo. Sic dicta, quod varis & diftortis cruribus fit. Græce χελωνη, unde Germ. *Schyterott*.	*Mifera origo* vocabuli germanici *Scildcrot*, five, uti nos fcribimus, *Schildkrot*! *Cramero* 1174.

Pag. 299. Tartufi. Tartufoli. Tube-res: Quasi *terra tubera*, terræ callum.	Si non corruptum a germ. *Erdapfel* ſive Aerdapel, certe a gothico Tufiva, ſive Tofnea. *Cramero* 1174.
Taſca. Mantica, pera, crumena. A germ. *Taſſche*, ut Voſſius. Quid ſi a *theca?*	Nihil certius, quam quod a germ. *Taſche*. Sic enim ſcribendum. ibid.
Taſtare. Tangere, tactum. Germ. Betaſten. *A taſtone & tentone*.	Taſtare aliunde deducere quam a germanico *Taſten*, *Betaſten*, eſt manifeſtam ei vim facere, atque in tenebris micare. *Idem Id.* ibid.
Tazza. Patera. A πλατυς trahunt. Videtur per aphæreſin a *Teſtacea*.	Quam non neceſſarius circulus! Eſt a germ. *Tazze*.
301. Tetta. Mamma, papilla, uber. A germ. Τιτθη, altrix, Τιτθος, Mamma.	A germ. *Titte*, *Dutte*. Altrix autem ſive nutrix Græcis dicitur Τιθη.
Tina. Vas vinarium. *Tinum*. *Tina*.	*Tina* eſt etiam gothicum.
Tinta. Atramentum. *Vox hiſpanica*.	Maneamus apud Germanos, quorum eſt *Dinte*, ſeu Tinte.
302. Tirare. Trarre. *Trahere*, *attrahere*, iaculari.	Quid, ſi a germ. *Trecken*? *Cramero* 1190.
Toccare. Tangere. Vnde *Tactum*, *Tocco*, Toccare.	A verbo Infer. Germaniæ *Tokken*, Carpere, tangendo attrahere; aut goth. hodieque ſued. Taga, tangere. *Idem* 1191.
Topo. Mus. A *Talpa*, ut recte coniicit Coaruvias. Species pro genere.	Quid *muri* cum talpa?
303. Toppa. Sera, clauſtrum. A *tubo*, in quem clavis immittitur, vel *a græco* Οπη, oſtium,	A goth. *Tæppa*, claudere.
Torchie, Torcie. Faces, funalia. A *torquendo*.	Tamen Germani habent vocem idem ſignificantem, *Torts*, vel *Torz*. *Cramero* 1195.

Torso. Caulis. A *thyrsus*.	A germ. *Torsche*. *Cramero* 1197.
Torta. Placenta, moretum, scriblita. A *torquendo*.	Habemus etiam germanicum, *Tarte*, *Torte*.
Pag. 304. Touaglia. Mantile, mappa. A *toralibus*, quæ fuerunt lectorum triclinarium lintea & stragula.	Potius a barb. lat. *Tobalia*, aut a germ. *Twael*, *Twcel*, quod Anglicanis *Towel*. *Cramero* 1199.
Traccia. Vestigium. A *tractus*, vel *tramus*.	A germ. *Strich*.
306. Trauaglio. Cura, ægritudo, molestia, a *Tribulatio*.	A celtico *Trafael*. G. G. *Leibnitius* in Collectan. etymol. P. II. 144.
307. Treccia. Coccionatrix. A *trafficare*. p. 305.	Nec deest german. *Trædelerin*.
Treccie, Trezze. Crines in fertam compacti. A *græco* τριχες.	Aut a *Tra* latino, quia fertæ illæ, sive funiculi, quibus mulierum crines intorquentur, tribus fere constant partibus.
Trinciera, Trincea. Vallum, agger. A *truncis* arborum.	Potius a voce gall. *Trenchée*.
308. Trottare. Succutere. A *quadrupedere*.	A germ. *Traben*.
309. Truffare. Decipere, fallere, dolis ludere. A græco στροφη *strupha*.	A germ. *Triegen*, *Betriegen*. *Cramero* 1219. Truffare significat etiam deliciari, iocari, a german. *Truffen*. Henr. *Meibom* iunior Rer. german. T. I. 52.
Truppa. Grex & multitudo iumentorum. A *turme*.	Adest vocabulum germ. *Tropp*.
Tuffo. Toffa. *Olfactus*, odor.	A germ. *Dumpf*, *Duft*.
Tuorlo, Torlo. Ovi luteus, sive vitellus. A *toro*, *torulo*, arboris medulla.	A germ. *Dotter*.
Turbante, Tulbante, Tulpante. Pileus turcicus. *Gr.* κυρβασια.	Est *vox turcica*: & Persæ vinculum capitis vocant *Dulbant*.
310. Vai, *Varii*, pelles *varia* exoticorum murium.	A german. *Vehe*, sive *Fehe*, specie hermellinorum, maximeque eorum ventribus, qui mollio-

res

Pag. 311. Valigia. Bulga, pera, marsupium. A *pasceolus*.	res sunt. *Cramero* 1225. A germ. *Felleis*.
Vanni. Pinnæ avium. A *vanno*, quo fruges ventilantur, cuius illæ figuram inter volandum referunt; vel a *pennis*.	Fuerit vetus celtica vox, *Wanne*, a qua anglicana *Wing*, ala. *Cramero* 1227.
312. Vassallo, Vasallo. Cliens, fiduciarius, servus, minister. A *Vas*, vadis, vel *Vasarium*, quia clientes sunt quasi in vasario dominorum.	A gothica *Wessel*, obnoxius, vel germ. *Gesel*, *Gisal*, id est, Gesell, quod postea mutatum in Gasallo, & Vasallo, quia Principes germani habebant comites suos, sive ministros; quibus postea fundos dederunt, ea conditione, ut fidem & obsequium præstarent, & vocati militiam sequerentur. *Cramero* 1229. *Gundlingiana* T. I. 25.
314. Vessa, Ventris flatus occultus & mutus. A *visire*.	A germ. *Feist*, *Feisten*, sued. *Fisa*.
Vetta. Summitas, fastigium. A *vertex*.	A germ. *Wede*, *vvide*, *vvedel*. *Cramero* 1247.
316. Vrtare. Trudere. Vel ab hoc verbo *Trudere*, vel ab *Arietare*. Simplicius ab *Vrgere*.	Simplicius vero a goth. *Vrta*, trudere, potrudere.
Vsoliere. Ligula. *Ansularium*.	A sued. *Sælia*.
Zacchera. Lutum, quo vestimenta fœdantur.	A germ. *Zacker*, Klacker, Kluncker. *Cramero* 1279.
317. Zampillo. Saliens, id est, aqua ex fonte fistulatim emicans, & erumpens. A *Siphunculus*.	Videtur vox formata *ex sono*. *Cramero* 1280.
Zanni. Mimi, ludiones. *A græco σαννας, σαννοι*. Vel a latino, *Sannio*, & *Sanna*.	A Venetorum *Zuanni*, *Zanni*, i. e. Ioannes; sicut Galli moriones suos appellat Iean-potages. *Cramero* ib.
318. Zeba, Capra. Vnde nam ignoro; nisi sit a germ. *Ziege*.	*Posterius hoc* probabile est.

Zecca. Moneta, officina monetaria, ubi nummi cuduntur. A ζυγὸς, *libra*, *statera*. | Ab urbe *Cyzico*, quæ nobilis erat ob elegantiſſimi operis nummos, qui ibi cudebantur. Atque inde etiam *Zecchini*, venetorum aurei, nomen habent. I. C. *Wagenseil* differt. de Re monet. vet. Romanorum, c. 4. p. 18.

Zezzolo, Zizza. Papilla, mammillæ capitulum. A *ſugendo*, quaſi ſuggiolo. | A germ. *Zitze*.

Atque hic finem attingimus libri, poſtquam ille diu nos detinuit; ſpero autem, obſervationes iſtas, quibus quaſi integrum Ferrarii volumen correctum & illuſtratum eſt, haud ingratas Lectoribus futuras; neque ipſe, credo, auctor clariſſimus in peiorem inſtitutum noſtrum partem, ſi viveret, rapturus eſſet, conſiderans, laudi eius ac famæ immortali nihil per hoc detrahi, quando veritati litatur, & ſuus peregrinæ linguæ, cuius ille imperitus erat, honos modeſte vindicatur.

Octav. *Ferrarius*, patricius mediolanenſis, Caſp. *Scioppii* diſcipulus, orator ſuo tempore incomparabilis, ac propterea a CHRISTINA auguſta M. aureorum torque, & Equitis dignitate ornatus, a LVDOVICO M. Gall. & Navarræ Rege quingentorum aureorum honorario per ſeptennium affectus, a Rep. veneta primum quingentorum, poſtremis autem temporibus bis mille ducatorum (quorum unus valet 19. fere groſſos miſnicos) ſtipendio nutritus, vir gravis, humanus, diſertus, & ob dexteritatem conciliandi animos diffidentium, *Conciliator* vocatus, orbem eruditum libris de re veſtiaria, & Electorum, item Proluſionibus, Epiſtolis, Inſcriptionibus & Formulis ad capienda doctoris inſignia, quæ iunctim II. tomis A. 1711. in 8. edidi, ſibi devinxit; ſcripſit etiam gentis *Martinenga* ſtemma, & IIX. libros Hiſtoriæ mediolanenſis, ſed qui nec editi ſunt, nec edentur unquam, atque exſpiravit A. 1682. æt. 75. Vide Appendicem Operum Ferrarii variorum, ubi vitam & epitaphium viri exhibeo, cum teſtimoniis & iudiciis de eo virorum eruditorum.

LXIII. Vo-

LXIII.

Vocabolario degli ACADEMICI DELLA CRVSCA, riveduto e ampliato, con aggiunta di molte voci de gli Autori del buon secolo, e buona quantità di quelle dell' uso. In Venetia 1680. Priores editiones sunt de anno 1612. & 1623. postrema vero de anno 1691. Atque hoc Vocabularium quadragesimo demum anno absolutum est. Societas sive Academia della Crusca, id est, furfuris (des beuteltuchs) floret in elegantissima Italiæ urbe, quam Florentiam esse notum est, atque ita dicitur, quod eius socii, cultui linguæ italicæ in primis dediti, operam dant, ut puriorem farinam, animi & linguæ cibum, a furfuribus sive erroribus & barbarismis secernant. *Bene*, inquit *Boeclerus* Dissertat. T. I. 653. *quod sociatis laboribus res gesta est: rarissimus enim quisque omnem vitam unus velit impendere labori omnium gravissimo.* Idem institutum laudatur & a Rich. *Lassel* in Itinerar. ital. p. 199. & *Chimentellus* lib. de Honore bisellii c. 29. ingentem vocat etruscarum litterarum thesaurum. Collegium hoc graphice describit *Monconisius* in Itinerar. P. I. 125. eiusque verba repetunt *Morhofius* Polyhist. liter. l. 1. c. 14. n. 28. & collectores *Lexici univ. histor.* T. I. 778. Initio nimis erant diligentes in secernendo, neque alia volebant admittere vocabula, quam tusca; (*Leibnitius* in Collectan. etymol. P. II. 265.) sed postea, ne ad paupertatem redigeretur lingua, etiam alia receperunt, ut ipsi testantur *Academici* in præf. huius editionis. Ceterum notant in ead. Præf. primos auctores huius Dictionarii, (quorum caput, si Gabr. *Naudeo* in Bibliograph. milit. p. 75. credimus, cuiusque verba etiam leguntur in *Placcio* de anonym. p. 656. fuit Angelinus *Monesinus*) ad auctoritatem scriptorum recurrisse, qui eo vixerunt tempore, quo maxime floruit idioma italicum, videlicet a Dante usque ad obitum Boccaccii & amplius, hoc est, per integrum fere sæculum XIV. Alex. *Tassonus* Annotationes scripsit in hunc librum, ediditque Venetiis A. 1698. f. de quibus vide *Acta erud.* A. 1700. 132. Illustris Apostolus *Zeno* e Vocabulario nostro Compendium fecit, publicatum Venetiis A. 1705. II. tomis in 4. & recusum A. 1717. Paulus autem *Benius* divulgavit Anticruscam: de quo *Ghilini* negli Elogii P. I. 185. & *Tomasinus* in viror. illustr. Elog. P. I. 355. Nic. *Castellus* aperuit atque erexit Fontana della Crusca, ouero Dittionario Italiano, e Tedesco-italiano. Lipsiæ 1709. 4.

Melius,

Pag. 478. Liurea. *Vestitus consimilis.*	Melius, *Vestitus varius.* Alesf. *Tassoni* nelle Annotationi sopra il Vocabolario della Crusca (in *Actis erud.* 1700. 134.) Et Matth. *Villanus*, quem excitant, potius de mansione seu statione famulorum loquitur, quam de eorum vestitu.
531. Mortorio. *Onoranza, e cirimonia nel seppellire i morti.*	Præcipue vero *Cœmiterium. Idem* 135.
778. Sestiere. *La sesta parte d' un tutto.*	Significat *mensuram liquidorum. Id.* 135.

Angelinus *Monosinus* floruit vergente sæculo XVI. & vulgavit IX. libros Florum italicæ linguæ.

LXIV.

Matthiæ CRAMERI Recht vollkommen königlich Dictionarium, i. e. vere perfectum Dictionarium regium, radicale, etymologicum, synonymicum & syntacticum, gallico-germanicum, & germanico-gallicum. Noribergæ 1712. Tomi II. Præfatio in forma dialogi conscripta, agit de Dictionariis gallicis in genere, & in specie de Dictionariis *Academiæ francicæ*, Abbatis Ant. *Fureterii*, Pet. *Richeleti*, & *Pomeyii*, quid in illis laudandum, quidque desiderandum, de methodo seu via, quam auctor calcavit, radicali, eiusque contra aliorum obiectiones defensione, & denique de usu huius operis. In primis sedulus est auctor in indicandis pronominum & particularum, ut coniunctionum, præpositionum, adverbiorum, interiectionum, variis significatibus & usibus, & cuique litteræ subiunxit derivata, quorum radix non omnibus fortassis est nota, & pag. 1372. docet armorum sive insignium distinctionem. Nota etiam, Gallos multa vocabula habere æque a Germanis, ac Latinis, ut præter alios ostendit *Morhof* de ligua teutonica p. 99. Hoc tamen non obstat, quo minus auctor designare potuerit radices, vel quasi radices vocabulorum gallicorum.

In Præfat. c. 2. Pet. *Richelet*, celebris suo tempore *magister linguæ.*	Dubito, quoniam scio, eum fuisse advocatum Parlamenti. Erat campanus, & Parisiis obiit A. 1698. æt. 67. *Auct. N. bibl.* T. V. 458.

Scriben-

Pag. 708. *Dauphin.* Delphin, it. der erstgebohrne Cron-Prinz von Franckreich.	Scribendum *Daufin.* Ægid. *Menagius* Orig. linguæ gall. f. 243.
1022. Fauteuil. (*Von Ital. faldistoro.*	A *faldistolio*, faldstul, sella plicatili. *Leibnitii* Collectan. etymolog. P. I. 224.

Matthias *Cramer*, coloniensis, non tantum gallicæ, italicæ & hispanicæ, sed anglicæ etiam & belgicæ linguæ magister, adeoque dignus, qui linguas, prout Noribergæ & alibi locorum fecit, doceret, Lexico non minus hoc, quam italico, itemque Grammatica italica, hispanica, & gallica magnam sibi inclyta in urbe, & apud ipsos etiam exteros laudem peperit, & socius est Academiæ regiæ berolinensis, octavum & septuagesimum ætatis annum iam (scribo autem hoc anno a Servatoris nativitate 1719.) agens. Optandum esset, ut ad modum huius & italici Dictionarii composuisset hispanicum: Sobrinianum enim miserum atque ieiunum esse perhibetur. *Nova biblioth.* T. V. 453. b. 459.

LXV.

Barnabæ BRISSONII Lexicon iuris sive de verborum, quæ ad ius pertinent, significatione libri XIX. p. 1. Cum Appendice prætermissarum quarundam vocum, & Parergon libro singulari. p. 637. 669. Francofurti 1587. Quibus accesserunt eiusdem *Brissonii* 1) selectæ ex Iure civili antiquitates, p. 1. excusæ etiam Parisiis A. 1607. & Helmstadii A. 1663. 2) Ad legem Iuliam de adulteriis liber I. p. 81. 3) de Solutionibus & liberationibus libri III. p. 127. 4) de ritu nuptiarum. p. 203. Qui liber valde laudatur ab *Henelio* in Otio vratislav. c. 30. 5) de Iure connubiorum liber I. p. 241. repetitus Lutetiæ Parif. 1605. Lugduni Bat. A. 1641. & Amstelodami 1662. Item Fran. *Hotomani* 1) commentarius de verbis feudalibus. p. 1. 2) tractatus de legibus romanis tam certi, quam incerti nominis. p. 59. 3) de ICtorum vitis, qui a Pomponio commemorantur. p. 157. a Papyrio usque ad Herennium Modestinum, id est, a tempore Tarquinii Superbi usque ad Gordianum. 4) de Magistratibus Roman. p. 105. 5) de Senatu romano, & insignibus aliquot Senatus consultis. p. 137. 6) de Formulis ac sollemnibus populi romani verbis. p. 173.

173. Præterea Io. *Oldendorpii* Narratio de tempore, quo leges Romanorum introductæ, oppressæ ac iterum restitutæ sunt. p. 191. Omnia recognita a Fran. *Modio*, qui etiam Leges regias & decemvirales adiunxit, tanquam fontes, e quibus potissimum Ius civile manavit, collectas & digestas a Iusto *Lipsio*. Atque hæc in operis initio, post Modii dedicationem, exhibentur. Notabis etiam, illa Brissonii scripta, libris de verborum Significatione exceptis, additis autem Commentariis de Spectaculis & feriis, librisque de regio Persarum principatu, quos, ab aliis improbatos, a *Naudæo* in Syntagm. de Stud. liberal. (T. I. Methodor. *Crenii* p. 604.) laudatos, Io. Henr. *Lederlinus* de novo edidit, multo quam antehac emendatiora, & tertia parte auctiora cum locupletissimis indicibus sub prelum revocata fuisse Parisiis A. 1606. 4. libros autem de Verborum significatione, ex Analectis Io. Otton. *Taboris* editos, novisque accessionibus locupletatos a Io. *Ittero*, Francofurti A. 1683. in fol.

Barn. *Brissonius*, natus Fontenæi in Pictonibus, primum advocatus in summa Galliæ curia, isque dexterrimus, & *Tiraquello* longe superior, inde Fisci patronus, postea sacri Consistorii assessor, & denique Curiæ amplissimique Senatus parisiensis præses, ab HENRICO III. Gall. Rege tanti æstimatus, ut sæpe in hæc verba erumperet: *Nullum in orbe christiano Principem esse, qui eruditorum aliquem in litterarum gloria Brissonio opponere posset suo*; ab eodem Rege maximarum rerum caussa in Angliam missus, & Constitutiones regias in unum volumen, sicut & præstitit, sub titulo Iuris gallici redigere iussus, in summa fortuna infelix fuit: nam cum urbs Parisiorum a Rege defecisset, & seditiosi ipsi etiam Brissonio insidias struerent, isque de illis, ab ipso iam conducto carnifice, deinde etiam a senatore quodam monitus esset, vitæque periculum secessu facillime evitare potuisset, tamen, fato ne an ambitione occæcotus, in urbe mansit, & Curiam frequentare perrexit; sed & ita in manus rebellium incidit, ab iisque horrendum in carcerem abreptus, ibique, non audita deprecatione, qua sese obtulit muris includendum, quo librum qui sub prelo esset absolvere posset, immaniter, atque iniustissime, quamvis sub specie iusti, tanquam divinæ humanæque maiestatis reus, & proditionis convictus, (sic enim

enim a furentibus formata erat sententia) laqueo a tigno suspensus & exstinctus fuit anno 1591. Neque vero hæc rabies sufficiebat scelestissimis hominibus, nisi eius aliorumque insontium eodem modo interfectorum corpora postridie e carcere producta, & ante ædes urbanas in ripensi platea totidem crucibus sive patibus lis ignominiose adfixa, addito cuilibet infami proditionis elogio, ad spectaculum furenti plebi per biduum prostituerent. Quanquam non æque eorum famæ, ac vitæ nocere potuerint: nam sub HENRICO IV. Navarro, cui urbs A. 1594. reddita, glorioso Senatus consulto interfectorum nomina ab infamia fuere vindicata. Fertur autem, hoc Brissonio fuisse damno, quod nimis popularis esset: ita enim factum, ut, quam alii severitate conservarunt auctoritatem, ille urbaniore comitate, & nimia indulgentia amitteret, pœnamque, quam aliis infligere debuerat, ipse incurreret. Frid. Iac. *Leickher* in Vitis clariss. ICtor. p. 299. *König* 134. *Magirus* 148. *Pope-Blount* 791. *Du Saussay* 60. *Morhof* Polyh. l. 4. c. 9. n. 20. Dan. Guil. *Moller* disp. de Brissonio, *Neu Bücher Saal* T. I. 262. *Crenius* Differt. I. de furib. librar. §. 17. Ios. Iust. *Scaliger* autem ep. 63. & in Scaligeranis p. 67. non bene de eo sentit: quo lectores remitto.

Fran. *Hotomanus*, parisiensis, gente silesius, & quidem vratislaviensis, ob transitum ad religionem Reformatorum a patre destitutus, nummisque ad vitæ sustentationem necessariis privatus, mox tamen mitiorem fortunam expertus est, cum in academia lausannensi ad humaniorum litterarum professionem introduceretur. Inde ius docuit Argentorati, in Galliam autem vocatus, atque in regia navarrena Admissionum magister constitutus, in Germaniam bis abiit legatus, Regisque & Regni nomine gravissimas res Imperii Comitiis proposuit, & Valentinam academiam restauravit Sed ortis in Gallia turbis ab una urbe ad aliam confugit, bibliothecam amisit, & lanienæ, quam ad exemplum parisinæ, reliquæ urbes incredibili immanitate sequebantur, immersus fuisset, nisi discipulorum suorum, ac præcipue Germanorum, pietatem sensisset. Vt igitur in salvo esset, ad Allobrogas rediit suos, &, cum & hic bellum ingrueret, ipseque ab hydrope, quam tympaniten

 vocant,

vocant, infestaretur, Basileam repetiit, ubi scripta sua per otium recognovit, & tertia minimum parte adauxit, eorumque editione filio Ioanni commendata, Deo spiritum reddidit A. 1590. æt. 65. Præter scripta tribus tomis comprehensa, curaque Iac. *Lectii* A. 1599. in fol. edita, eius quoque sunt, Antitribonianus, (de quo vide *Placcium* de anonymis 201.) sive Dissertatio de studio legum, qua nimium insultasse Triboniano visus est, Græco-Gallia, liber de Statu primitivæ ecclesiæ, eiusque sacerdotiis sub nomine Fran. *Vilierii*, Protestatio adversus Formulam concordiæ sub persona Io. *Palmerii*, & Protestationis huius defensio sub schemate Io. Fran. *Aspastii*, Fulmen brutum SIXTI V. Pont. rom. contra HENRICVM Franciæ & Navarræ regem, libellus de cœna Domini, Monitoriale adversus Ant. *Matharelli* Italo-Galliam, sub nomine *Mathagonis de Mathagonibus*, & Strigilis Papir. Massonii. Mirari subit, tot eum legisse aliorum scripta, cum tot ediderit; totque edidisse, cum tot legerit: adscribendum autem hoc eius victui sobrio, & summæ, quam in studiis præstabat, industriæ. Toto corpore erat decorus, statura excelsa, naso oblongo, oculis cæsiis, & vultu augusto: (quod eum in finem annoto, ut aliquam eius habeamus imaginem, quam ille pictori denegavit) ceterum moribus probis, gravibus & compositis, pietatis amantissimus, in precibus ad Deum, quas πανχρηστον medicamentum esse dicebat, ardens, patriæ amans, animi aperti, inter amicos iucundus & facetus, ingenioque sublimi, vivido & promtissimo. Pet. *Neveletus*, Dominus Doschii, in eius Elogio, quod exstat in Vitis ICtor. *Leickheri* p. 206. *König* 414. *Magirus* 463. *Pope-Blount* 773. *Baillet* in Anti T. II. 161. Io. Phil. *Slevogt* in Iudicio sapient. 34. *Eccardus* Extract. menstr. A. 1700. 676. *Crenius* Animadv. P. VII. 197. Differt. II. de furib. libr. §. 39. Neque reticendum, eum adversarios habuisse Anton. *Matharellum*, Papir. *Massonum*, Matth. *Zampinum*, Iac. *Cuiacium*, Fran. *Balduinum*, Remund. *Rufum*, Andr. *Pouchenium*, Guid. *Papium*, & *Paponium Arrestographum*.

Io. *Oldendorpius*, hamburgensis, primum syndicus rostochiensis, deinde iuris professor in academiis coloniensi & marpurgensi, veræ iurisprudentiæ in Germania instaurator, & praxeos forensis

sis reformator cordatissimus, inclaruit utilissimis scriptis, quæ sunt, Practica actionum forensium, Variæ lectiones, Collatio iuris civilis & canonici, libellus de Executoribus ultimarum voluntatum, de Copia verborum & rerum in iure civili, Restauratio politiæ orbis romani, Index digestorum, Assertiones ex iure & æquitate de his rebus, sine quibus neque iudicia recte constitui, neque publica tranquillitas retineri potest, & Antinomiæ de diversis regulis iuris antiqui, atque inter mortales vivere desiit A. 1567. Opera eius omnia iunctim edita sunt Basileæ 1559. Melch. *Adamus* in Vitis ICtor. 175. *König* 586. *Frisius* in Epit. Biblioth. gesner. 479. Io. *Moller* de Homon. 707. Elogia eius dat *Magirus* p. 621. Et præclaras eiusdem sententias de modo docendi ius, commentatoribus iuris, iudiciis, causis obscuratæ iurisprudentiæ, fundamento legum, disputationibus, necessitate scholarum & gradibus academicis annotavit *Adamus* l. c.

Fran. *Modius*, brugensis, canonicus fani S. Audomari, philologus insignis, calamitatum oneri aliquando in tantum succubuit, ut de Deo & providentia divina dubitaret; sed credendum, ex profundo isto ereptum ac liberatum fuisse, postquam Lipsii epistolam, meliora docentem, accepit. Scripsit Pandectas triumphales, Novantiquas lectiones, Notasque in Livium, Curtium, Iustinum, Vegetium, Frontinum, Aelianum, Modestum, mundoque vale dixit Aeriæ apud Artesios anno 1597. æt. 41. M. *Adamus* in Vit. philos. 425. *König* 544. *Lexic. univers. histor.* T. III. 537. *Miræus* Elog. belg. 134.

Petri FABRI Commentarius ad tit. de Diversis regulis iuris antiqui. Lugduni 1590. Ea, quæ hic illustrantur, petuntur tam ex Digesto veteri, & novo, ex codice *Iustiniani*, ex eiusdem novellis constitutionibus, ex aliis libris, qui ad ius civile pertinent, ex auctorum ecclesiasticorum libris, proponuntur etiam quæstiones, quæ arrestis tolosani Senatus decisæ atque definitæ sunt, iusque, quod in Gallia obtinet, profertur atque illustratur.

Pet. *Faber* sanioranus, ex antiqua & celebri familia, *Cuiacii* discipulus, tolosani Senatus præses, distinguendus a Petro Fabro, qui fuit arvernus, & lingvam hebræam docuit Rupellæ, scripsit III. libros Semestrium, in quibus romanas in primis antiquitates expli-

cat, & Agonisticon, sive librum de re athletica veterum, ludis gymnicis, musicis & circensibus, iusque pro tribunali dicens apoplexia ereptus est A. 1600. æt. 60. *König* 291. *Magirus* 333. *Pope-Blount* 826. *Sammarthanus* P. II. Elogiorum p. 128. In *Scaligeranis* quidem p. 152. dicitur, eum esse merum compilatorem, nihilque diiudicare; interim idem ibi fatetur Scaliger, fuisse unum e doctissimis Galliæ viris.

LXVI.

Lexicon universale historicum. (Allgemeines historisches Lexicon) Lipsiæ apud Thomam Fritschium 1709. Partes IV. volumina II. In quo proponuntur vitæ & facta Patriarcharum, *Prophetarum*, Apostolorum, Patrum primitivæ ecclesiæ, Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Prælatorum, insignium theologorum, cum hæreticis, nec non Imperatorum, Regum, Electorum, Principum, magnorum heroum & ministrorum, item celebrium virorum doctorum, scriptorum, & artificum, præterea relationes de præcipuis Comitum, Nobilium aliorumque familiis, de conciliis, Monachorum & Equitum ordinibus, diis gentium &c. denique descriptiones Imperiorum, Regnorum, Principatuum, liberorum Statuum, provinciarum, insularum, urbium, castellorum, monasteriorum, montanorum, fluviorum &c. Omnia ordine alphabetico. Auctor huius operis est Io. Fran. BVDDEVS, tunc, quum primum tanti ædificii lapidem poneret, & magnam eius partem exstrueret, professor philosophiæ in academia Fridericiana sive halensi, cui quidem, pluribus laboribus & negotiis cum ibi, tum in primis in alma Salana districto, litteratissimi viri Ferdinandus Ludovicus *a Breßler* in Aschenburg, patricius vratislaviensis, Io. Andr. *Vhlius*, uffenbacensis, ac philos. magister, & Burchardus Gotthelf *Struvius*, professor ienensis celeberrimus, manus opitulatrices admoverunt, ita tamen, ut omnia & singula, quæ fideles parastatæ conscripserant, ille revideret atque recognosceret. In Præfatione erudite disserit de aliorum, atque cum primis *Morerii* & *Bailli* Lexicis, fateturque, se illius Lexicon fundamenti loco posuisse, operam autem dedisse, ut errores ab aliis commissos evitaret, &, si quid in hoc opere desideretur, id per novas Tabulas chronologicas ac

ac Supplementa compensatum ac suppletum iri. Vide *Acta erud.* A. 1710. 145. *Novam bibliothecam* T. I. 1. & *Struvium* Introduct. in notit. rei liter. c. IIX. 424. Quorum primi, nobilissimi videlicet Actorum eruditorum Collectores, merito hoc opus vocant pretiosum.

Io. Fran. *Buddeus*, Anclamiæ in Pomerania anno 1667. natus, Conr. *Waltheri*, Conr. Sam. *Schurzfleischii*, & Io Georg. *Numanni* discipulus, primum in gymnasio coburgensi græcarum & latinarum litterarum, deinde in academia Fridericiana moralium, & nunc in salana sive ienensi, impetratis doctoris insignibus ac privilegiis, theologiæ professor, pariterque serenissimi Saxoniæ Ducis hildburghusani consiliarius, & civium gothanæ altenburgicæque ditionis in prædicta academia inspector, vir doctrina ac virtute præstantissimus, multisque scriptis, quorum catalogus typis impressus est, celebris. Encomiastæ eius indicantur in catalogo scriptorum. Quibus adde Io. *Mollerum* Hypomnem. ad Morhofii Polyhist. T. III. lib. IV. 122. I. H. *Bœhmer*. Dissert. ad Plin. & Tertull. 405. & *Reimmannum* Introd. in histor. literar. antediluvian. 225. Sed nec hoc prætereundum, eum more academico oppugnasse non nullos, ab aliis autem ipsum oppugnatum esse, iique sunt Petrus *Chauvinus*, Frid. *von Leenhof*, Anton. *von Dalen*, Bened. *de Spinoza*, Io. *Tolandus*, D. Christ. Gottl. *Koch*, D. Val. Ern. *Læscher*, *Sideralius*, Guil. God. *Leibnitius*, Seb. *Edzardus*.

LXVII.

POGGII Opera. Argentinæ 1513. Comparavi ex bibliotheca academiæ Iuliæ. Quæ editio præferenda est priori, anno 1511. in lucem emissæ. Secuta autem basileensis A. 1538. Et hæc nostra cum priore debetur curæ ac favori Thomæ *Aucuparii* poëtæ laureati, qui, cum Io. Knoblauch iterum edere vellet Facetias Poggii, alia eiusdem opuscula coniungenda putavit, ne crederent homines, Poggium nihil aliud, quam Facetias scripsisse. Et placuit ei opera illius in duas dispescere Partes; quarum Prima continentur, 1) Historia disceptativa de avaritia. 2) Historiæ disceptativæ convivales III. Scriptæ ab auctore iam valde sene, cum in prædio suburbano tempore pestis degeret. 3) Liber de nobilitate.

Quem

Quem acriter oppugnavit Laurus *Quirinus*, patricius venetus, nec non Leonardus *Chiensis*. 4) De humanæ conditionis miseria. 5) Ruinarum urbis Romæ descriptio. 6) Asinus *Luciani*, per Poggium in latinum versus. 7) Liber invectivarum contra *Felicem* antipapam, Fran. *Philelphum* & Laur. *Vallam* Quarum quidem V. sunt contra Vallam, sed quartam, in omnibus editionibus omissam, solus manuscriptam possidet CL. V. Iustus *Fontaninus*, sicut illustrissimus *Recanatus* indicat in Vita Poggii c. 11. p. 22. Secunda 1) liber Epistolarum, in quibus digniora notatu sunt 1. de laude ruris seu rei rusticæ. 2. Balneorum badensium prope Thuregum descriptio. 3. *Hieronymi* (pragensis) obitus, & supplicii enarratio. 4. de TRAIANI Cæs. excellentia. 5. de laudibus Florentinorum. 6. *in lascive scribentes poëtas*. 7. de præstantia SCIPIONIS Africani, qua superavit C. IVLIVM Cæsarem. 2) Dialogus de infelicitate Principum: optimam enim vitam sive felicitatem apud viros privatos reperiri, atque in virtutum consistere exercitio. 3) Facetiæ; de quibus cum *Aucupario* in præfat. fatendum, plerasque esse admodum lascivas & spurcas. Quanquam non paucas, & fortasse turpissimas, in duobus codicibus accuratissime evolutis, se non invenisse testetur prædictus, atque omni exceptione maior Io. Bapt. *Recanatus* c. 11.

Poggius *Bracciolinus* (prænomen habuit ab avo, & nominis gentilis caussa in insignibus gerebat brachiolum, quod *Italis est Bracciolino*) Poggii Guccii filius, natus obscuro loco in Terranova, oppido ditionis florentinæ, prope Aretium, Ioannis *Ravennatis*, & Immanuelis *Chrysolora* discipulus, græce, latine, &, quod temporum illorum caussa probe notandum, ebraice doctus, Romam bis adiit, ibique primum litterarum apostolicarum scriptor, deinde a secretis non unius aut alterius, sed, quod mirum, & sine exemplo, IIX. Paparum* fuit, iisque omnibus carus, nec minus gratia & favore usus præstantissimorum Cardinalium, tempore Concilii constantiensis cum Bartholomæo *de Monte Politiano* missus in Germaniam, ut latentes in monasteriis aliisque locis conquireret vetustos codices, seu græcos seu latinos, atque his quasi spoliis Romam locupletaret; tantumque

* Innocentii VII. Gregorii XII Alexandri V. Ioannis XXIII. Martini III. seu V. Eugenii IV. Nicolai V. & Calisti III.

que ei favit hoc in negotio fortuna, ut non modo integrum pæne *Quinctilianum*, *Asconium* Pedianum, & tres priores Valerii *Flacci* libros invenerit, verum etiam *Tertullianum*, partem aliquam *Lucretii*, *Silium* Italicum, *Marcellinum*, Nonium *Marcellum*, *Manilium*, L. *Septimium*, *Caprum*, *Eutychium*, *Probum*, & complures alios, inter quos, ut elegantissimus c. 6. coniicit Recanatus, fuerint *Ciceronis* libri de Finibus & de legibus, eiusdemque orationes pro Cæcinna, de Lege agraria, ad populum contra Legem agrariam, in L. Pisonem, pro C. Rabirio perduellionis reo, & pro Q. Roscio. A constantiensi reversus concilio, in Angliam se contulit, ac simile ibi librorum aucupium, auctoritate Superiorum, instituit, postque ea legatus in Vngariam a Pontifice missus est; diu etiam Ferrariæ & Bononiæ fuit, ad extremum autem, ducta in ætate declivi, h. e. cum 54. annos natus esset, uxore iuvencula, qui iam antea, cum clericus esset, tres filios ex femina quadam susceperat, Romam rediit, & muneri secretorum suo operam dare perrexit. Vrbs illa erat altera ei patria, nam 50. fere annos in ea hæsit; nihilo tamen minus curiæ tandem pertæsus, patriam ei præferre, atque anno 1453. ætatis 72. ad Florentinos, civitate ab ipsis diu ante donatus, abire, & cancellarii dignitatem, defuncto Carolo *Aretino*, suscipere nullus dubitavit, eamque gessit, sæpe interea ruri degens, atque in eo Historiam florentinam scribens, usque ad annum Christi 1459. d. 30. mensis Octobris æt. 78. quo vitæ, negotiorum & honorum satur mundo valedixit, filiisque concessum, ut patris effigiem publico & spectabili in loco ponerent. Aeternam interim sui memoriam non tantum illis scriptis, quæ tomus operum præsens complectitur, apud posteros reliquit, sed etiam Historia, ut diximus, florentina, tractatu de imaginibus virorum illustrium gentis de Bondelmontibus, (e qua Vaggia sive Silvaggia, Ghini Manentis filia, suavissima eius, nec, ut ipse fatetur, satis laudanda uxor erat) scriptis adversus Concilium basileense, quæ tamen oculis se hominum subduxerunt & translatione *Xenophontis* de Vita Cyri, ac *Diodori* siculi in latinum. Gessit & bella litteraria cum diversis, & quidem præter illos, qui in recensione operum supra nominati sunt, cum Nicolao *Perotto*, *Guarino* veronensi, Thoma *Reatino*, quos omnes satis acerbe accepit; sed bonum

 est,

est, quod illæ simultates non fuerint perpetuæ; neque sane fuissent, nisi ille prius ab hostibus fuisset lacessitus. Multo plures autem, & clarissimos, genereque & dignitate eminentes viros habuit amicos & familiares; & quamvis dictio eius non sit omnibus numeris perfecta & absoluta, ipse tamen iuxta cum Leon. *Aretino* hanc laudem meruit, quod pæne abolitam eloquentiam in lucem revocaverit, scriptisque suis melius, quam qui prius vixerunt, tullianum dicendi genus imitari sciverit. Io. Bapt. *Recanatus* in Vita Poggii, *Vossius* de Histor, gr. lib. III. c. 5. p. 170. *Giornale* de' Letter. d' Ital. T. IX. 166. & X. 416. 419. *Erasmus* præfat. in Annot. Vallæ in N. T. & in Ciceroniano, ac *Pope-Blount* 451. Clarissimus vir, Iac. *Lenfant*, in eo iam est occupatus, ut Poggiana colligat, atque in publicum emittat; quæ iucundius utiliusque erit legere, quam ut ego hic loci plura de iis verba faciam.

LIBRI

LIBRI IN QVARTO, ut vocant, MAIORI.

I.

Biblia latina. Tiguri 1544. Interpres horum Bibliorum est *Leo Iuda*, cuius, operi immortui, telam pertexuit *Bibliander*, & transtulit quidem IIX. postrema capita Ezechielis, Danielem, Iobum, Psalmos 48. ultimos, Ecclesiasten & Canticum. Apocryphorum autem librorum versio est Petri *Cholini*. N. Trum ad græcorum exemplarium fidem, versionem veterem & erasmianam est recognitum & castigatum. Sunt & aliæ editiones huius versionis, quæ Tigurina dicitur, de A. 1548. 1554. 1570. 1589. 1597. 1618. De quibus & reliquis vid. *Hottinger* in Bibliothecar. 154. Eamque suppresso *Iudæ* nomine Rob. *Stephanum* in opere suo biblico ad veterem adiecisse scribit Melch. *Adamus* in Vit. theol. 96. sed periculum facienti, fortasse aliter res apparebit. *Le Long* Biblioth. S. P. I. 692. Hispani Salmanticenses postea eam per Guil. *Rouillium* denuo excudendam curarunt A. 1584. Vide *Kortholtum* de Var. script. edition. 262. *Placc.* de Anon. 416. & de Pseudon. 601. *Episcop.* T. I. opp. 227. Rich. *Simon.* Hist. crit. des vers. du nouv. Testam. c. 23. p. 266. & *Hottingerum* Biblioth. 166. 178. *Lychardus* neocomensis, qui Vindicias huius versionis adversus Gretserum edidit, est Io. Iac. *Huldrichus*, teste *Placcio* de Pseudon. 459.

Pet. *Cholinus*, tugiensis, professor tigurinus, vir linguarum litterarumque peritissimus, dedit quoque Dictionarium latino-germanicum, & libellum de conspiciliis, ipsoque illo die, quo versio ipsius a prelo fuit liberata, vitæ suæ absolvit curriculum, anno 1542. Melch. *Adam.* l. c. & *Frisius* Epit. Biblioth. gesner. 669. *Lexic. univ. histor.* T. I. 643.

II.

Biblia latina, & V. quidem T. libri canonici ex hebræo latine redditi ab Imman. TREMELLIO, & Fr. IVNIO, eorumque notis illustrati; apocryphi autem latine redditi, & quibusdam notis aucti

a Fr. *Iunio*. N. Teſtamentum ex verſione latina Theod. *Bezæ*, & verſio ſyriaca in latinum translata *a Tremellio*, cum utriusque notis. Hanoviæ 1692. Prodierunt etiam Francofurti ad Moenum A. 1579. f. & 1590. 4. Hanoviæ 1618. 4. & 1624. f. ac Genevæ 1630. f. Editores illi in V. T. ſecuti ſunt antiquiſſimum cod. hebræum in pergamena ſcriptum, teſte *Hottingero* in Bibliothecar. 178. *Le Long* Biblioth. S. part. I. 704. ubi ex aliis obſervatur, verſionem hanc eſſe potius paraphraſin, quam metaphraſin: *Iunium* poſt Tremelli obitum ſuis eam additionibus auctiorem magis, quam meliorem reddidiſſe: dictionem eſſe nimium ebraizantem, vocesque quasdam ſatis audacter textui inſertas; unde & merito ſæpe caſtigata ſit a Iano *Druſio* & Conſt. *l' Empereur*.

Gen. 2, 19. Nam quum formaviſſet Deus e terra omnes beſtias agri, omnesque volucres cæli, & adduxiſſet ad Adamum, ut videret, *qui* vocaret *ſingulas* (etenim *quocunque nomine* vocavit *illas* Adam *animantem quamque*, id nomen eius eſt.	*Quid* vocaret *ſibi* (etenim *quid quid ſibi* vocavit Adam *animal erat*, id nomen eius eſt.) Herm. *von der Hardt* Ep. ad Noltenium p. 30.
v. 20. *Vocaviſſetque* Adam.	*Advocaviſſetque* Adam.
Cap. 3, 4. Non utique moriemini. Non dicit, Moriendo non moriemini, id eſt, utique non moriemini, ſed inverſo vocum ordine *tantum negat mortis certitudinem.*	Cur ergo illud Pſ. 49, 8. Fratrem *redimendo non redimet* quisquam, ad hunc modum, Fratrem *nullo modo redimere poteſt* quisquam, interpetantur? *Glaſſius* Philol. S. lib. III. 864. 1521.
Cap. 21. 9. Filium Hagaræ *irridentem.*	*Laſcivientem*, & fratrem ſuum perſequentem, *Gal.* 4, 29. pariterque *luſui venereo deditum.*
Cap. 22, 17. Me prolixe benedicturum tibi) Hebr. *quod* benedicendo benedicam tibi.	*Ideo.* Sal. *Glaſſ.* Philol. S. 831.
Cap. 24, 22. Imponeret naſo eius *monile* aureum.	*Annulum* aureum. *Ezech.* 16, n. 12. Prov. 11. 22. *Reuchlinus*, *Forſterus* & *Schindler* in Lex. atque *Clericus* in h. l.

Aliena

Gen. 27, 41. Ecce *propinquus soli* erit habitatio tua.	*Aliena a pinguedine*; ſicut & aliis in locis מ ſignificat *procul, extra*: ut Lev. 10, 7, Ioſ. 19, 47. Iud. 7, 3. 1. Sam. 14, 1. 20, 22. LXX. *interpp.* & *Le Cene* 188.
Cap. 37, 3. Eo, quod filius eſſet *ipſi in ſenectute natus.*	Eo, quod *filius ſeu diſcipulus ſenectutis eſſet ſenatorum*, ſeu ſapiens ac prudens, aut, quod eſſet prudens inſtar ſenatoris. *Le Cene* 189.
Cap. 41, 35. Et congerant *commeatum.*	בר *Zeam* ſive ſpeltam, quæ album nobiliſſimumque eſt triticum.
v. 40. Et *ad os te oſculabitur* univerſus populus meus.	Et *ad os tuum armabitur.*
Cap. 42, 38. Sic demiſeritis canitiem meam moerore *in ſepulcrum.*	In *infernum.* Sic & alibi, ut Num. 16, 30. 33. M. S. *Grabe* Append. ad Regii Form. c. l. 187. 207.
Cap. 47, 22. Agros *præſidum.*	Vel: agros *ſacerdotum.* Sic & v. 26.
Cap. 48, 16. Vocetur in eis nomen meum. Id eſt, *mei & maiorum meorum filii vocantor eodem gradu, quo reliqui filii.*	*A me cognominentur*, & in diviſione terræ æquales portiones habeant cum meis, quaſi mei eſſent filii. Confer v. 5. *Gen.* 4, 26. *Iac.* 2, 7. 2. *Sam.* 12, 28. *Druſius* in Adverſar. 1240. *Glaſſ.* 744. *Le Cene* 83.
Cap. 49, 5. Inſtrumenta violentiæ, *conventionibus ipſorum.*	*Fuerunt gladii eorum.*
v. 14. Cubans inter *duas ſarcinas.*	*Inter duo repagula*, quibus a ſe ſeparantur iumenta.
v. 21. *Elegantia.*	*Libere.*
Cap. 50, 10. Vſque ad aream *quandam, ſepeam cynosbatis.*	Vſque ad aream *Atad.* Sic & v. 11.
Exod. 15, 2. *Cui habitaculum decorum ponam.*	*Idcirco laudibus eum decorabo.*
v. 21. Sic illis autem *reſpondebat* Miriam.	*Præcinebat.*

Ss 3 *Flatio-*

Exod. 19, 13. Quum *tractim* ſonuerit cornu.	*Elatiori ſono.* Confer v. 19. *Von der Hardt* Program. de lege Moſis per angelum, A. 1715. p. 5.
Cap. 22, 2. 3. *Si in effoſſione deprehendatur -- fur vero omnino rependito.*	Hæc verba *parentheſi ſunt includenda.*
Cap. 23, 8. Et pervertit *verba iuſtorum.*	*Cauſſas rectas & iuſtas.*
Cap. 28, 39. *Teſſellatam* facies tunicam illam.	*Adſtrictam.*
Levit. 2, 13. Omnem oblationem muneris tui *ſale ſalito.*	*Bitumine condito.* H. *von der Hardt* Ephemer. philol. 139.
Cap. 5, 15. 25. *Cum æſtimatione tua.*	*Aut pro* æſtimatione pretii, ſiclos argenteos, ſive pecuniam.
Cap. 10, 19. Si comediſſem peccatum hodie.) Gratumne ei foret, ſi ego *adhuc in peccato hærens, peccatum populi expiandum in me transtuliſſem?*	*Si lato convivio intereſſem*, duobus filiis ſubito orbatus?
Cap. 13, 5. Si ecce plaga illa conſtiterit *iudicio eius*) Heb. in oculis eius: nam *pro ſpecie cum accipitur, ſingulare eſt*, ut infra v. 37. & 55.	*Sed & in plurali*, ſive duali. *Druſius* in Lev. 13, 55.
v. 11. Ne igitur *recludito* eum.	Ne igitur *includito* eum, ſcilicet in domo ſua. Confer v. 46.
v. 19. Popula alba *ſubrubida.*	Popula alba *& lucida admodum.* Sic & v. 42. *Clericus* in h. l.
v. 45. Caput eius eſto *retectum, & myſtace obvelato.*	Caput eius eſto *obvelatum, cum* myſtace. *Epiſcopius* T. I. 83.
v. 48. Aut in *trama*, aut in licio.	Aut in *ſtamine*, aut in *trama*. Sic & v. 59. *Druſ.* in h. l.
Cap. 15, 7. Qui tetigerit carnem gonorrhoea affecti.) Quamlibet corporis partem, *præterquam lotas manus.* v. 11.	At v. 11. vocabulum *manus* ponitur ſynecdochice pro toto corpore. *Daſſovius* de Imagin. hebr. rerum p. 23.
Cap. 16, 8. Sortem vero alteram	Hazazel eſt *nomen hirci in deſertum dimiſſi*;

Hazazelis) Sic *horridus locus* appellatur & desertus plane.

dimissi; isque sic dictus fuit, quia abigebatur. *Dassov* 24.

Lev. 16, 14. Insperget digito suo *superficiem* ipsius operculi propitiatorii.) Et quidem *semel tantum*.

E regione. Dassovius p. 9. Ipsum autem operculum sive superficiem *eius ne semel quidem*. p. 24.

Cap. 18, 7. Nuditatem patris tui, *aut* nuditatem matris tuæ ne retegito.

Et (id est) nuditatem matris tuæ.

Ad v. 9. Domesticæ cognationis sunt *liberi ex eodem patre*; exteræ vero, *ex altero patre nati*.

Immo illi sunt *ex legitimo toro*, hi *ex scortatione. Aben Esra, Fagius, Brückner* P. I. 363. *Dassov*. 26.

v. 18. Mulierem *unam* ad *alteram* ne assumito. Accipimus hoc *de monogamia*.

Mulierem ad *sororem eius* ne assumito. Prohibetur enim coniugium cum sorore uxoris, si 1. hæc adhuc in vivis est, ac 2. metuendum est, ne ab altera angustia afficiatur. *Acta Oettingensia* A. 1682. de tali matrimonio, Chr. Ioach. *Bucholz* in Iudicio eadem de materia, *Facult. theol. regiomont.* in Responso, cuius auctor est Melch. *Zeidlerus*, & *Facult. theol. helmstad.* in Responso A. 1698.

Cap. 19, 20. Quæ sit *ancilla despecta cuique*.

Quæ sit *mancipata viro. Episcopius* T. I. 27.

Cap. 21, 18. Aut *curvus*.

Aut *mutilus*.

Cap. 24, 19, Quemadmodum fecit, sic fiat ei.) *Prout exempla huius rei* (talionis) *exstant* Iud. 1, 6.

Rabbini negant talionis poenam in usum fuisse introductum, istamque legem accipiunt *de pretio damni*, quod secundum prudentiam suam Magistratus imponit solvendum. Ita & *Drusius* in h l. *Episcopius* T. I. 124. T. II. b. 489. & *Grotius* de I. B. ac P. 121.

Exclusive,

Lev. 25, 10. Vt ſanctificetis annum *quinquageſimum*.) Nimirum *a iubilao antecedente incluſive*, ut Iudæi ſupputare ſolent.	*Excluſive*, ita ut ipſo año quinquageſimo, die decimo anni civilis tubæ ſono indiceretur annus iobeleus, atque illico celebraretur. *Lundius* 1085.
Cap. 26, 41. Et tunc *acquieſcant in pœna iniquitatis ſua.*	Et tunc *expient iniquitatem ſuam*, ſcilicet confeſſione illius, divinæ miſericordiæ imploratione, & vitæ emendatione. *Onkelos*, & *Samariticus*.
v. 44. *Sed inſuper huius etiam recordabor, quum erunt* in terra inimicorum ſuorum, *me* non *ſprevisse* eos, neque *faſtidivisse* eos.	ואף *Et quamvis fuerint* in terra inimicorum ſuorum, *tamen* non *ſprevero* eos, neque *faſtidivero* eos. Inde Iudæi ſibi faciunt Simiam auream, den guldenen Affen. *Fagius* in h. l. & *Glaſsius* philol. S. 1097.
Num. 7, 10. Afferebant Principes illi *cum* dedicatione altaris.	*Dedicationem altaris*, i. e. victimas, quibus primum altare dedicatum fuit. Confer. 2. *Paral.* 7, 5. 9.
Cap. 8, 8. Iuvencum *ſubrumum*.	Iuvencum *media inter bovem & vitulum ætatis*. *Druſius*.
v. 17. *Quo* die percuſſi.	*Qua* die percuſſi: ponitur enim pro tempore. *Druſius*.
v. 19. Et ut ſint *pretium redemtionis*.	*Expiatio*. Nempe tum Levitæ ſacra ſupellectilia diligenter curant, neq; quemquam temere accedentem admittunt, Deum Iſraëlitis propitium reddunt.
Cap. 13, 22. A deſerto *Sinis*.	צן A deſerto *Zinis*. Hadr. *Relandus* Palæſt. 117.
Cap 18, 8. Ego do tibi *ad* obſervationem *oblationis meæ*.	Ego do tibi aſſervationem oblationum mearum, i. e. id, quod ſervatur ex oblationibus mihi factis, & non adoletur. *Cramer* Not. in Moſis Maimon. Conſtitut. de Primitivis p. 5.

In

Propter unctionem.	*In cibum. Clericus* in h. l.
Num. 31, 20. *E pellibus* caprarum.	*E pilis* caprarum. *Ex.* 25, 4.
Cap. 34, 5. Ad *vallem Ægypti.*	Ad *fluvium* Aegypti.
Cap. 35, 32. *Ab eo, qui effugit* in civitatem receptus *fui, ut* revertatur ad habitandum in terram suam.	*Vt effugiat* in civitatem *receptus, aut* ut revertatur, ad habitandum, in terram suam.
Deut. 8, 4. Vestimentum tuum *non veteravit.*	*Ita ut deficeret. Von der Hardt* Ephemer. philol. 154.
Cap. 25, 5. Levir eius] *Si ab uxore liber est.*	Huic expositioni *obstant loca* Gen. 16, 3. 28, 9. 30, 4. 9. *Haclspan.* Miscellan. 120. *Frischmuth* disp. II. de VII. Noachi præceptis §. 31.
Cap. 29, 26. Deos, quos non noverant, *neque* impertitus fuerat eis *Deus.*	*Et quorum nullus* impertitus fuerat eis *quidquam. Clericus.*
Cap. 32, 11. Pullis suis *incubat.*	*Super* pullis suis *volitat.*
Iof. 19, 13. *Gittham*-Chepheris, *alias* Hittam Katzinis: proceditque *Rimmonem - Methoarum*, *alias* Nehan.	*Gatham*-Chepheris, *versus* Heth-katzinis: proceditque Rimmonem, *Hamthoarum*, & Neam. *Drusius* & Seb. *Schmidius.*
Cap. 21. 36. 37. *Ex tribu autem Reubenis --- civitates quatuor.*	Hi duo versus videntur petiti *ex 1. Chron.* 6, 78. 79. *Leusden.* præf. in Biblia hebr.
Iud. 17, 5. Micæ erat ædes *Deorum.*	*Dei.*
Cap. 18, 1. *Satis* ipsi non acciderat --- in *possessione eius.*	Ipsi non acciderat --- *in possessionem.*
℣. 7. Vt erat sita *in tuto* secundum rationem Tzidoniorum.	Vt *nullus ei erat timor*, sicut nec Zidoniis. *Drusius.*
Cap. 20. 2. *Vsque ab extremitatibus* totius populi.	*Primores sive Duces* totius populi. *Idem.*
Ruth 1, 8. *Quaque.*	*Vtraque*, vel *amba. Id.*
℣. 13. *Nam* mihi multo amarius est quam vobis: *verum* exseruit se contra me manus Iehovæ.	*Quamquam* mihi multo amarius est, quam vobis: *nam.*
Cap. 4, 8. Extraxit (vindex ille)	*Ipse* vindex *extraxit calceum suum*, in-

calceum ſuum] *Paſſus eſt* ſecundum legem, *ab ea, cuius connubium recuſabat, extrahi*, ut cui ea nuberet, illum in ceſſionis ſignum traderet.	in ſignum ceſſionis. Io. *Clodius* diſp. de ritu excalceandi in contractibus, habita witteberga A. 1672. Io. Iac. *Cramer* Theol. Iſraël, p. 2. 152.
1. *Sam.* 1, 5. *Et* Iehova occluſiſſet vulvam eius.	*Quamvis.*
Cap. 2, 3. Et *non diſponuntur actiones.*	Et *ei librantur facinora improborum.*
v. 16. *Immo*, iam nunc dabis.	*Nequaquam, ſed* iam nunc dabis.
v. 30. *Leves fient.*	*Vilipendentur. Druſius.*
Cap. 4, 8. Quis nos eripiet e manu *iſtorum deorum magnificentiſſimorum? hi* ſunt *illi dii, qui percuſſerunt* Aegyptios *ſingulis plagis*, in deſerto.	E manu *iſtius Dei magnificentiſſimi? Hic* eſt *ille Deus, qui percuſſit* Aegyptios *omnimoda plaga* in deſerto. *Druſius.*
Cap. 6, 19. *Et* percuſſit ex populo *quinquaginta mille ſeptuaginta* homines.	Percuſſit, *inquam*, ex *illo* populo (quinquaginta *ex* mille) ſeptuaginta homines. *Lundius* 104.
Cap. 7, 15. Obibat *domum Dei fortis.*	*Bethlehemum.*
Cap. 16, 1. *Quum* luxiſſet Schemuel de Saule.	*Quamvis.*
v. 17. Aliquem ſcientem, *pulſantem* citharam.	Aliquem *ſcientem pulſare* citharam.
v. 19. Valens robore, & vir bellicoſus] Ex his colligitur, *Davidem iam ante Peliſchthaeum interfeciſſe.*	*Contrarium* vide c. 17, 15. Poſſunt autem hæc intelligi *de aptitudine ætatis & ſtatura:* iam enim 20. annos agebat.
Cap. 21, 6. Eſt autem *ratione communi penes ſacerdotes*, præſertim quum eo die ſanctificatur alius in vaſe ſuo.	Eſt autem *hic panis inſtar* communis, & *hoc ſabbathi* die ſanctificatur alius in vaſe ſuo. *Piſcator.*
Cap. 24, 8. Et *diſpoſuit* homines ſuos David verbis.	Et *placavit.*
Cap. 26, 20. *Perdicem.*	קרא *Ruſticulam. Le Cene* 423.
2. *Sam.* 4, 6. Baiulantes triticum]	Triticum *exportantium*, vel, ſicut

emtores

Baiulorum specie, triticum *importantium*, & dissimulato habitu.	emtores frumenti.
1.*Sam.* 6, 2. Vt abiret *Babalibus* Iehudæ.	*Bahalam* Iehudæ, quæ alias dicebatur Kiriath-Ioarim, ubi Abinadab habitabat.
v. 6. Ad aream *Naconis.*	Ad aream *Nacon*: quæ 1. Chron. 13, 9. vocatur area *Chidon.*
1. *Reg.* 13, 13. *Considerarunt* filii eius viam, qua *ibat* vir ille Dei.	*Indicarunt* vel *ostenderunt* filii eius viam, qua *iverat* vir ille Dei. *Hebraeo-teutonicus.*
Cap. 14, 17. Thirzam.] *Ad Ephratem sitam,*	Sita fuit *in tribu Manasse*, 6. tantum milliaribus ab Hierosolymis. *Rauppius* in h. l. *Adrichom.* 74. *Reland.* Palæst. 770.
Cap. 17, 4. *Corvis* autem præcepi, ut te sustentent ibi.	*Orbeinis*, seu civibus urbis Orbo. Sic & v. 6. Herm. *Von der Hardt* des corbeaux d' Elie.
Cap. 18, 29. Vt *prophetas agerent.*	Vt *furorem simularent propheticum.*
Cap. 19, 10. Altaria tua destruxerunt.] Id est, *cultum.* Metonymia: nam proprie altaria Dei erant Hierosolymis.	Esto: Sed & intelligi potest de *altaribus excelsorum* extra Hierosolymam, in quibus veri & fideles sacerdotes sacrificaverant. *Rauppius*, *Lundius* 770. & *Voigt* de Altarib. p. 15.
v. 11. Iehova *transibat* -- non *erat.*	Iehova *transiturus est* --- non *erit.*
Cap. 21, 9. *In principiis* populi.	*Coram principe* populi. Sic etiam v. 12. *Rauppius*, & *Danzius* Interpret. ebr. chald. 341.
2. *Reg.* 3, 11. Qui *infundebat* aquam manibus *Elija.*	*Infundit*: nam Elias tunc temporis fuit superstes inter mortales. *Glass.* 881.
Cap. 4, 10. Faciamus cœnaculum parvum *muro.*	*Cum pariete*, scilicet ligneo; idque cœnaculum fit destinatum precibus, meditationibus, & studiis sacris Elisæ. *Rauppius*, & *Vitringa* de Synag. 150.

2. *Reg.* 5, 18. Hac in re condonet Iehova servo tuo: quum *ingreditur* dominus meus ædes Rimmonis, ut *incurvet* se ibi, (nam is *nititur* manu mea) si *incurcavero* me in ædeRimmonis.	Quum *ingressus est* --- ut *incurvaret* se ibi, (*nixus est*) *quod incurvavi* me. Io. *Saubertus* in Præservativo spirituali p. 45.
1. *Chron.* 11, 20. *Sed non* fuit ei nomen inter tres illos.	*Et fuit* ei celebritas inter tres illos. *Hiller* Arc. 70.
Iob. 28, 18. *Sandastri* aut *unionis* nulla fiat mentio.	*Sardonychis* aut *berylli*, *Le Cene* 262.
v. 19. Non potest quisquam æstimare eam topazio *æthiopico*.	Topazio *arabico*. *Bochart* in Phaleg. 211.
Ps. 34, 3. Audient *mansueti*, & lætabuntur.	*Miseri.*
Ps. 78, 60. Tentorium, quod collocaverat *inter homines*.	*In Adama. Ios.* 3, 8.
Ies. 9, 3. *Non* magnificasti lætitiam.	*Et* magnificasti lætitiam. *Hiller* Arc. 68.
Cap. 34, 15. Ibi nidificabit *merula*.	*Serpens iaculus. Le Cene* 405.
Cap. 42, 29. vel cap. 43, 4. Et *subiect* homines *tibi*, & nationes *desiderio tuo*.	Et *dedi* homines *alios pro te*, & nationes *prædictas loco animæ tuæ*. *Amama* Antibarb. bibl. 687.
Hos. 1, 2. Assume tibi uxorem scortum & natos scorti.] Typus hic a Deo imperatus *non aliter a propheta effectus est, quam prophetica prædicatione*.	Immo vere exteriori actu hæc ita gesta sunt. *Glass.* 785. 1715.
Cap. 9, 13. Ephrajim, *quemadmodum video* Tyrum, plantata est in amoeno habitaculo.	Ephraiim, quando *eam*, sive omnem eius terram *contemplor usque ad* Tyrum, *tota* plantata est in amoeno habitaculo.
Cap. 10, 11. Nam Ephrajim vitula est edocta, amans *triturare*, *quamvis* ego *transivissem* super præstantiam colli eius, *usurus ad equitandum fuissem* Ephraji-	Amans *solvi iugo: ideo* ego *transivi* super præstantiam colli eius, *libidinem eius dominandi in Iudam reprimendo*, (*& dixi*:) *Num equitare* seu dominari *facerem*

mo, araturus Iehuda, occaturus Iahakob.	*cerem* Ephraiimum? *num* araturus Iehuda? occaturus Iahakob?
Cap. 11, 4. Et ſum eis, ut qui levant iugum impoſitum maxillis eorum, *ut admoveam ei cibum.*	Sum eis (*ipſorum opinione*) ut qui levant iugum impoſitum maxillis eorum, *& inclinabo me*, aut aures *ad miſericordiam? (tolerabo eos?)* Non faciam.
Obad. v. 20. *Quod eſt in fine dominatus.*	*Sippharam*, Babyloniæ urbem. H. *von der Hardt* de Sipphara Babyloniæ p. 40.
Matth. 6, 16. Ne ſitis *atrati* (*tetrico vultu.*)	*Moeſti & turbati. Caſauboniana* 91.
Luc. 16, 9. Vt quum *defecerit.*	*Peſſime* ἐκλίπῃ legit *Syrus*, atque ad mammona tranſtulit. *Heinſius* Exercit. SS. 170.
Io. 4, 54. Hoc *rurſus*, *id eſt*, ſecundum ſignum edidit, quum veniſſet ex Iudæa in Galilæam.	*Rurſus* pertinet ad verbum *veniſſet.*
Cap. 18, 13. Qui erat pontifex maximus *anni* illius.	*Temporis* illius.
v. 22. *Bacillo* cecidit Ieſu.	*Palma.*
Rom. 6, 4. Sicut Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis *in* gloriam Patris.	Διὰ, *per* gloriam patris. Er. *Schmid.* in h. l.
1. *Cor.* 6, 2. Indigni eſtis minimis *iudiciis*?	*Subſelliis?* κριτηρίων. *Knatchbull.*
Cap. 10, 2. Et omnes *per* Muſche baptizati ſunt.	*Ad* Muſche. Id eſt, ad hoc quaſi aqua merſi ſunt, ut Moſen profiterentur ſervum dei fidelem, eique ut ſuo imperatori, a Deo ad ſuam ſalutem ſuſcitato, conſtanter ſumma cum fiducia, quibusvis in caſibus, adverſiſſimis etiam, adhærerent. *Vitringa* Obſervat. lib. III. 792.

I.Cor.12,27. Vos autem estis corpus Christi, & membra *particulatim.*	Vos autem omnes membra estis, *quæ inter sese in uno corpore cum capite cohærent. Heinsius* 372.
Cap. 13, 4. Charitas non agit *perperam.*	Non agit, aut nihil agit *insolenter, Idem* 815.
I. *Tim.* 2, 5. Pro *quibusvis.*	Pro *omnibus. Limborch* Theol. christ. 309.
Heb. 10. 38. At si *quis* se subtraxerit.	At *si is* subduxerit. *Pearson* Defens. version. LXX. interpp. §. 18.
Cap. 11, 11. Per fidem & ipsa Sara vim *ad concipiendum semen* accepit.	*Ad fundationem seminis. Knatchbull.*
I. *Io.* 5, 29. Et sumus in vero illo, *id est*, *in* eius *filio*, *Iesu Christo.*	Et sumus in vero illo, *per* eius filium Iesum Christum. *Io.* 17, 12. *Grotius.*

Immanuel *Tremellius*, natus Ferrariæ patre iudæo, ebrææ linguæ peritissimus, docuit eam Lucæ, quo cum Petro Martyre Vermilio concesserat, deinde cum eodem eiusque sociis in Germaniam profugiens, prædictæ linguæ præcepta tradidit Argentinæ, ac postea sub EDVARDO VI. rege in Anglia, & denuo in Germania, primum quidem Hornbaci, deinde Heidelbergæ, ubi Biblia vertit cum socio *Iunio*, & denique Divioduri Mediomatricum, & Sedani in Gallia: quo ultimo in loco supremum diem obiit A. 1580. septuagenario proximus. Scripsit Catechismum fidei christianæ ebræa lingua, sub titulo חנוך בחירי יה excusum Argentorati A. 1554. & Lugduni Batavorum 1591. 8. I. C. *Wolfius* Biblioth. hebr. 952. *Koenig* 816. *Pope-Blount* 723. I. Fr. *Mayer* Biblioth. bibl. 91. *Scaligerana* 396. & *Börner* in Indice auctorum ad Biblioth. S. Iacobi Le Long, P. II. 983. Aiunt quidem, Tremellium, ut Catholico-romanorum, ita & Reformatorum relictis castris, ad iudaicam impietatem rediisse; sed eum post Christian. *Gersonem* defendit Petrus Adolph. *Boysen* disp. de Apostas. m. & f. suspect. 72. Falso quoque accusatur a *Genebrardo* & *Raynaudo*, quasi versionem Novi Testam. syrici per plagium suffuratus sit Guidoni *Fabricio* Boderiano. *Thomas.* de Plag. lit. 567. *Placc.* de Pseudon. 276. eique scriptum doctum & elegans, uti *Hottingero* Bibliothecar. p. 167. videtur, sub nomine Specularii opposuit Fran. *Iunius.*

Fran.

Fran. *Iunius*, gallice Du Ion, ignobili, si Scaligeranis p. 222. credimus, natus genere, in Orbilios incidit, & in atheum quendam, qui eum seduxit, ut amplius annum crederet seu deliraret, nihil curare Deum vel sui vel alieni; liberatus autem ab impietate hac per lectionem scripturæ sacræ, & libris IV. sacris videlicet Bibliis, Institutionibus *Calvini*, Confessione *Bezæ*, & Grammatica hebr. *Cevalerii*, contentus, studia sua prosecutus est Genevæ. Docuit in ecclesia antverpiensi, & schönaviensi prope Heidelbergam, ac tandem in acad. lugdunensi, ubi ad plures abiit A. 1602. æt. 57. *König* 440. *Mayer* Biblioth. bibl. 89. *Scaligerana* 221. *Pope-Blount* 863. Laudatur ob eruditionem, moderationem, & vitæ exemplum: sed *Thuanus*, Ios. *Scaliger* in Scaligeranis, & Rich. *Simon* ei iniquiores sunt. De eius translatione biblica, Notisque adiectis, aliter atque aliter iudicant *Grotius* & *Polus* apud Pope-Blount 854. *Franzius* de Interpret. Script. 33. I. *Förster* in Consil. stud. theol. 418. *Hülsemann* Prælect. in Form. Concord. 238. *Calovius* Part. I. Bibl. illustr. 4. *Episcop.* T. I. 277. a *Cren.* Animadv. philol. P. V. 53. *Rentz.* in præfat. in N. T. Rich. *Simon* in Hist. crit. V. T. 326. & in Append. ad Crit. V. T. 31. Fuit quoque ab eo distinctio capitum non nihil mutata. *Hottinger* Thes. philol. 14. omniaque eius opera edita sunt Genevæ A. 1613. in fol. II. volum. Habuit IV. uxores, sed nulla earum fuit e sanguine Tremellii.

III.

BIBLIA sacra, ex linguis originalibus in latinam linguam translata a Sebast. *Schmidio*. Argentorati 1708. Editio secunda, priori A. 1696. ut in altera Facultatis theologicæ argentoratensis Præfatione asseritur, emendatior. Hæc versio recensetur in *Actis erud.* A. 1696. 350. estque ceteris quidem versionibus, uti *Schurzfleischius* scribit Epp. arcan. P. II. 200. accuratior, sed *per omnia eius exspectationem non respondet, & in plerisque obscura est, &c.* Sciendum autem, hæc cum scriberet *Schurzfleischius*, novam hanc emendatamque editionem nondum exstitisse. Certe theologi argentoratenses in eius laudes eunt, cum primis in priori præfatione, qua etiam docent, versiones S. Scripturæ in ecclesia Dei exstare & posse & debere. Hisce adde Car. *Arndium* Continuat. Biblioth. bibl. Mayeri 47. Libri *Genesis* & *Danielis* latine ex Seb. *Schmidii* translatione descripti, ab erratis quam plurimis emendati, proque hebraicæ & chaldaicæ lingua-

linguarum studiosis separatim editi sunt Giessæ A. 1701. 4. & Io. Henr. *Michaëlis*, in corollario VII. disp. de Accentibus Hebræorum, fatetur quidem & ipse, eam omnium versionum esse accuratissimam; sed & hoc addit, ex accuratiore fontium cognitione, & doctrina præsertim accentuationis, perfectiorem reddi posse, e. g. *Esr.* 4, 14. 5, 2. *Es.* 1, 13. 8, 22. 23. 10, 29. 16, 1. 11. Nec minus Christian. *Reineccius* in Bibliis sacris quadrilinguibus N. T. græci eam subinde emendat. Vide *Musei novi* (quo intelligimus den Neuen Bücher saal) Tomum III. 626.

Gen. 4, 13. (*Ergone*) maius est delictum meum, quam ut *remittatur*? Id est: Minime maius est delictum meum, quam ut remittatur.	Maior est iniquitas mea, quam ut *attollam*, scilicet, faciem meam. Io. Christoph. *Ortlob* dissert. de Caino non desperante p. 3. 20.
2. *Reg.* 8, 10. (*Num*) vivendo vives?	*Vivendo vives.* *Starck* observat. in h. l.

Seb. *Schmidius*, in pago lampertheimensi, ex parentibus tenuis conditionis, attamen honestis natus, & in pueritia cum inopia conflictans, ex præceptore scholastico D. & prof. theol. ac postea Ordinis sui senior, conventus ecclesiæ præses, & capitulo thomano præpositus, vir lenis, moderatus, prudens, & assiduus S. literarum scrutator, atque versioni suæ latinæ, de qua diximus, immortuus, ex apoplexia obiit A. 1696. ætat. 79. Videatur *Pipping* in Memor. theologor. 628. Scripta eius ibidem enumerantur p. 637. inter quæ sunt Collectanea talmudica, Vberzeugtes Pabsthum, & liber de discrimine Ecclesiæ lutheranæ & reformatæ, quo ostenditur, illud non versari in quæstionibus annatis, sed fundamento fidei; denique multæ conciones, & disputationes. Elogia eius reperies multis in locis *Actor. erudit.* nominatim A. 1687. 429. A. 1691. 380. item apud *Fechtium* præfat. in Comment. Dorschei in ep. Iudæ, & *Crenium* Animadvers. P. III. 177.

IV.

Io. PISCATORIS Biblia germanica. Herbornæ 1604. volumina IV. Editio secunda. Adiuncta sunt singulis capitibus Summaria, Loca parallela, Annotationes, & sub finem operis Index biblicus & chronologicus, Mappæ geographicæ, Instructio de nummis biblicis, & Dissertatio de lectione ac meditatione scripturæ

ræ atque capitibus christianæ fidei. Caussas autem, quibus ad hanc inductus fuerit versionem, exponit auctor in Præfat.):(iij b. Distinguendum est hoc opus a Bibliis Lutheri apud Herbornenses A. 1593. emissis, de quo *Zeltner* in Differt. de novis Biblior. versionib. german p. 9. 10. Versionem hanc impugnaverunt Paulus *Röder*, pastor kochbergensis, anno 1607. in Collatione versionis Piscatorianæ cum Lutherana, (cui Piscator anno 1698. Apologiam opposuit, de qua collectores *Relat. innoc.* ad A. 1714. p. 962. sic iudicant, Piscatorem in uno & altero satis se explicare, in plurimis autem hærere, & amarulenta dicacitate adversarium excipere) Io. *Fladung* in eius Præfatione, Pet. *Piscator* in Exercitationibus, & *Wittebergenses* theologi in Relatione, quæ legitur in Consiliis & iudiciis theologor. wittebergens. T. I. 29. 30. Eandem notat *Calovius* in Præloq. generali in Biblia illustrata p. 6. *Rauppius* præfat. in Biblioth. portat.)( )( )(, Mich. *Havemann* apud Crenium Animadverſ. P. IIX. 255. Io. Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. p. 99. 142. & *Dilherrus* Eclog. sacr. p. 404. quod crebro impingat in linguam ebræam, sæpe etiam germanas offendat aures. *Hulsemannus* in Methodo studii theolog. 286. Indices Piscatoris, & *Kortholt* de var. scripturæ editionibus stilum eius improbat. Sed nec desunt, qui eum defendant. Sic *Graserus* apud Sixtinum Amama Orat. de barbarie, Antibarbaro eiusdem biblico præmissa, d 4. fidem eius in versione Bibliorum se agnoscere & suspicere profitetur; *Becmannus* in der Exception-Schrift wider die Allerunterthænigste Addresse ad potentiss. Regem Prussiæ p. 27. negat tantam eius amaritudinem in Apologia reperiri; & *Hottingerus* Bibliothecar. p. 155. eius industriæ & iudicio multum scribit deferendum, illos non diffessuros, qui versionem Piscatoris sive cum fontibus, sive cum aliis translationibus contulerint. Interim eum interdum aberrasse, neutiquam est negandum.

Gen 3, 4. Es ist *nit gewiß*, dass ihr sterben werdet.	Bene Lutherus vertit: Ihr werdet *mit nichten* des todes sterben. *Dilherr* Eclog. sacr. p. 403.
Levit. 16. in annot. ad v. 8. p. 329. per Asasel intelligendus est *locus*, quo mittendus est hircus.	*Ipse hircus*, qui in montem ductus est, Asasaël dicebatur. *Dassovius* in Exam. Criticor. sacror. in Levit. p. 24.

Num. 18, 19. Dis ist ein *gesaltzener* ewiger bund für dem Herrn.	Dis soll ein *unverwesentlicher* bund seyn, ewig für dem Herrn. Mich. *Havemann* apud *Cren*. l. c.
1. *Reg*. 20, 30. Benhadad flohe auch, und kam in die Stadt, *in ein innerste* Kammer.	*Hebraeo-teutonicus*: Von einer Kammer *in die inwendigste* Kammer. Nempe non inveniebat locum satis tutum, ubi delitesceret.
Ps. 23, 5. Du machest mein haupt *fett* mit oele, *mein becher lauft über*.	Optime *Lutherus*: Du *salbest* mein haupt mit oel, und *schenkest mir voll ein*. *Havemann*. l. c. 256.
Ps. 32. 7. Du bist mein *Schlupfwinckel*.	Lutherus bene vertit: Du bist mein *Schirm*. *Dilherr*. Eclog. sacr. p. 404.
Ps. 81, 8. Ich erhoeret dich *in dem Schlupfwinckel des donders*.	Luculente *Lutherus*: Ich erhoerete dich, *da dich das wetter* überfiel. *Havemann* l. c.
Ier. 31, 20. Darum *prauset mein eingeweid über ihm*.	Eleganter *Lutherus*: Darum *bricht mir mein hertz*, dass ich mich seiner erbarmen mus. *Idem*.

Io. *Piscator*, argentinensis, philosophiam & theologiam professus est in patria, sed cum Reformatorum dogmata immiscere coepisset, dimissus Herbornam abiit, ibique docuit, tanta quidem fama, ut passim ad eum confluerent studiosi, non modo e Germania, sed etiam e Gallia, Polonia & Vngaria. Sedulus fuit in collatione philosophiae aristotelicae & ramisticae, deditque Dialecticam Audomari *Talai* praelectionibus illustratam, Scholas physicas ac metaphysicas, Analysin librorum Ciceronis de officiis, & aliquot eiusdem orationum, Responsionem ad epistolam Guil. *Timpelii* de Dialectica Petri *Rami*, Exulem christianum ad patientiam & reliquas virtutes plene informatum, Tractatum de gratia Dei, aliumque de praedestinatione, & Commentaria in omnes V. & N. T. libros Hebornae edita anno 1646. III. volumin. in fol. defunctus anno 1626. aetat. 80. *Kanig* 642. *Lexic. univ. histor*. T. IV. 206. de quibus vide quid adferat *Crenius* ex Phil. *Zeisoldo*, quod ego quidem sedulo inquirens non possum invenire, & Io. *Winckelmanno*, in Animadv. P. V. 172.

S. Scri-

V.

S. Scripturæ V. Tti prima Pars, sereniſſimi Auguſti Ducis Brunſvic. & Luneb. auſpiciis ex ebræo in germanicum translata, (Helmſtadii A. 1666.) Der H. Schrifft altes teſtaments Erſter Theil. Interpres hic erat Io. SAVBERTVS, tum temporis linguarum orientalium profeſſor helmſtadienſis. Non autem abſolutum, ſed interruptum fuit hoc opus beato ex hac vita diſceſſu laudatiſſimi & Principum Neſtoris *Auguſti* A. 1666. & prelum quidem ceſſavit in capite XVII. prioris libri Samuelis; exempla autem omnia, quæ impreſſa erant, translata Wolfenbuttelium, ubi tenebris mancipata adhuc aſſervantur. Meum exemplum debeo ego ſingulari gratiæ ſereniſſimi Ducis Antonii Vlrici, qui mihi illud pro MSto auctoris, quod Bibliothecæ Auguſtæ conſecravi, clementiſſime dari iuſſit. Auctor preſſe ſecutus eſt fontem ſacrum, & cuique capiti annotatiunculas ſubiunxit. Præmiſit etiam ſingulis libris biblicis Præfationes, in quibus de librorum denominatione & partitione, eorumque auctoribus agit. De hac verſione pluribus agit *Conring.* in Epiſt. gratulator. ad Ducem Auguſtum, eamque contra aliorum obiectiones vindicat pag. 6. & ſeqq. Antequam illa imprimeretur, ſpecimina eius, iuſſu magni Principis a *Conringio* cum eruditis nonnullis, interque eos etiam cum I. M. *Dilherro* ac *parente* meo, libere cenſenda, communicata fuere: quorum hic quidem candidam & ingenuam XXVI. priorum capitum Geneſeos cenſuram inſtituit.

Io. *Saubertus*, Ioannis antiſtitis noribergenſis eccleſiæ filius, primum ebr. linguæ, deinde etiam theol. profeſſor helmſtad. ac poſtea, impetratis prius hoc in loco doctoris inſignibus, inter theologos altorfinos primus, eccleſiæque paſtor, vir eleganter doctus, gravis, moderationis amans, & magno præditus animo, mortalitatem exuit A. 1688. æt. 51. Edidit *parentis* ſui Prodromum philol. ſacræ, cum notis, Mich. *Piccarti* Pericula critica, & alia, de quibus vid. *Pipping* in Memor. theol. T. I. 226. Programmatis funebris, quod ibi apud eundem exſtat, ipſe ſum auctor, qui & in funere Sauberti ad cœtum dixi eccleſiaſticum. Laudatur a *Collectoribus Actor. erudit.* ad A. 1694. p. 55. & Supplem. T. III. 507. ac G. D. T. (id eſt, Ger. *a Maſtricht*) præfat. in N. Ttum græcum p. 20.

VI.

Eliæ HVTTERI Novum testamentum harmonicum, ebraice, græce, latine, & germanice. Noribergæ 1602. Edidit etiam N. T. VI. linguarum, A. 1599. & XII. linguarum, A. 1603. nec non Biblia ebræa, Hamburgi 1587. f. ubi litteræ radicales plenæ sunt, serviles autem & quiescentes vacuæ. Atque hæc editio nova quidem characterum figura singularis est, sed nullius fere usus. Iac. *Le Long* Biblioth. S. P. I. 110. Cui adde *Hottinger*. Bibliothec. 142. Simili modo M. Christianus *Reineccius* edidit Biblia sacra quadrilinguia N. Tti græci, cum versionibus, syriaca, græca vulgari, latina & germanica. Lipsiæ 1713. f. de quibus vide Tomum III. Musei Novi p. 621. & *Kortholt* de var. scripturæ editionib. 384.

El. *Hutterus*, lusatus, linguæ ebrææ professor lipsiensis, postea infelix Hamburgi & Noribergæ typographus, obiit haud longe post initium sæculi XVII.

VII.

Frid. LANKISCHII Concordantiæ bibliorum hebraico- & græco-germanicæ. Lipsiæ & Francofurti 1680. Sunt magni Concordantiarum operis epitome, cuius prior pars omnes hebraicas & chaldaicas V. T. voces, posterior voces omnes græcas cum N. Tti authenticas, tum in apocraphis usurpatas, & quæ in versione LXX. interpretum leguntur, exhibet. In Præfatione instruitur lector, quomodo hunc librum ad usum adhibere possit, ac debeat. Conr. *Kircheri* Concordantiæ in libros græcos V. T. Francofurti impressæ A. 1607. 4. notæ sunt; sed Abraham *Trommius*, pastor groninganus, teste Io. Alb. *Fabricio* in Biblioth. gr. l. 4. c 35. p. 553. pleniores & emendatiores, aptiusque digestas promisit, ac tandem edidit A. 1718. quibus Io. *Gagnier*, prætendens, Kircherum iniuste accusatum esse, opposuit Vindicias Kircherianas; has autem *Trommius* mox Epistola excepit apologetica, qua se suasque Concordantias contra viri illius doctissimi animadversiones tuetur: de quibus omnibus vide clarissimum Io. *Clericum* T. X. de la Bibliotheque ancienne & moderne pag. 365. 380. 390. 391.

IIX.

Martini DEL RIO Adagialia Sacra V. &. N. T. Lugduni 1612. Ex bibliotheca D. Io. Sauberti, qui & quædam annotavit. Notandum vero, opus non respondere titulo: nam auctor morte præventus

ventus Adagia N. T. colligere & illuſtrare non potuit. Immo & in Adagiis V. T. non nulla deſiderantur. Vide Præfat. & p. 277. Ampliorem laborem ſuſcepit Aloyſ. *Novarinus*, edens Adagialia eccleſiaſtica, in fol. Andr. *Schotti* Adagia ſacra ſunt continuatio operis Delriani. Ceterum de Adagiorum ſacror. ſcriptoribus videatur *Grenius* Animadverſ. philol. P. 2. 236. de præſenti autem opere *Dannhauer* Hermeneut. S. 299. & *Morhof* Polyhiſt. T. 1. l. 1. c. 21. n. 94. 95. In Prologo huius operis agit auctor de differentia parabolæ & parœmiæ, item parabolæ & adagii, de ænigmate & apologo ſive fabula, de differentia ſententiæ & apophthegmatis, de laude adagiorum, & ſacrorum adagiorum collectoribus; e quibus nominat *Pelydorum*, eum, qui *farraginem Adagiorum* edidit Pariſiis ex Sonnii typographio, *Manutium*, & *Calvinianum unum*, (quem ne quidem nomine dignatur) intelligit autem Ianum *Druſium*: At Ioach. *Zehnerum* ſilet.

Pag. 210. Notandum, *veteres Rabbinos* Seol proprie accepiſſe pro inferno, ut patet ex apocrypho Eſdræ IVto, cuius author valde antiqus eſt.	Ridiculus homo! Quosnam ergo per iuniores, quos per veteres Rabbinos intelligit? Scilicet hi ſunt veteres, qui quartum Eſdræ compoſuerunt, *cuius auctor tamen fuit chriſtianus*. D. Io. *Saubertus* in annotat. ab ipſomet adpoſita. Adde Io. Alb. *Fabricium* Cod. apocryph. N. T. 936.
Quam cauſam diſcere poterant ex Dav. Cimchi. Tradit enim, *eos exiſtimaſſe*, animas impiorum cum corpore interituras.	Imo vero *Kimchi ipſe huius* erat opinionis. Iterum D. Io. *Saubertus*.

Mart. *Del Rio*, natus Antverpiæ, ex antiquiſſima & apud Cantabros celeberrima familia, a victoria inter duos fluvios aliquando a Mauris reportata *Del rio* dicta, in iuventute militiam ſecutus, ac poſtea PHILIPPI II. Hiſpan. Regis conſiliarius, & ſupremus in eius exercitu iudex, quem *Auditorem generalem* vulgo dicimus, ac regio fiſco præfectus, ſeculo relicto, commutatoque Marci Antonii, quod ante gerebat, cum Martini nomine, Ieſuitarum ordinem in Hiſpania ingreſſus, divinarum litterarum ſtudia tractavit

vit adeo feliciter, ut theologiam dehinc doceret Lovanii, Graecii, & Salmanticae, tandemque obiit Lovanii 1608. aet. 58. Latine, graece, hebraice, chaldaice, belgice, hispanice, italice, gallice, germanice ita loquebatur, ut in plerisque eloquentissimus, in nullo hospes esset. Auctor *Praefat.* in hunc librum, *König* 240. *Witte* Memor. medicor. 126. *Miraeus* in Elog. belg. 70. 147. 150. *Magirus* 709. *Pope-Blount* 886. Io. *Moller* de Homon. 666. *Dannhauer.* Hermen. sacr. 299. *Morhof* Polyh. T. II. lib. III. §. 15. Histoire *d'Ousle* 15. *Cren.* Animadv. P. II. 237. & de Singularib. scriptor. 106. Iac. *Thomas.* in Struvii Actis litter. Fasc. VII. 28. ubi a *Drexelio* laudatur; a Ios. autem *Scaligero* pessime vituperatur. Laudatur etiam in eo integritas, & abstinentia a mendaciis & adulatione, submissio, & indesinens discendi studium.

Io. LORINI Commentarius in III. epistolas Iohannis & duas Petri. Moguntiae 1610.

Io. *Lorinus*, avenionensis, S. I. philosophiam docuit Romae, theologiam Lutetiae ac Mediolani: fuit etiam ordinis sui Praepositus generalis, & librorum censor, obiitque Dolae in Gallia A. 1634. aet. 75. Scripsit & Commentarios in Levitici, Numerorum & Deuteronomii libros, nec non in Psalmos, Ecclesiasten, Sapientiae librum, & Acta Apostolorum. Quidam eum vocant alterum Longium Cassium. *Kœnig* 481. *Pfeiffer* Thes. hermeneut. 584. Rich. *Simon* Histor. crit de Commentat. N. T. 636. Et hic ultimus observat, Lorinum quidem facere non nunquam digressiones non necessarias, interim nec praeterire, quod facere possit ad penetrandum sacrorum scriptorum sensum.

IX.

Francisci SIXTI Bibliotheca sancta. Coloniae 1626. Multis antea vicibus prodierat Coloniae, Venetiis, Francofurti, Lugduni, Parisiis, ut annotat *Lipenius* in Bibliotheca reali theologica P. I. 174. Sed haec nostra editio, ab auctore recognita & aucta, a Io. *Hayo* postea revisa, scholiisque illustrata, ac demum auctorum recentiorum accessione locupletata est. Constat IIX. libris, quorum primus agit de numero, partitione & auctoritate divinorum voluminum; secundus de scripturis & scriptoribus, quorum in Bibliis fit mentio; tertius de arte illa exponendi; quartus de catholicis eorum expositoribus; quintus de annotationibus & censuris in V. Tti expoſi-

expositores; sextus de annotationibus & censuris in N. T. expositores; septimus de oppugnantibus N.T. octavus de oppugnantibus V.Tum. Horum utilitatem totius operis Præfatio demonstrat.

In Præfat. p. 3. Proximis annis perniciosum *Oecolampadii* volumen adversus Sacramentum corporis Christi invulgarunt sub titulo Bertrami presbyteri; & *Carolostadii* opus contra cultores imaginum cum inscriptione: Caroli M. opus contra cultores imaginum.	At vero prius est *Bertrami*, & posterius *Caroli* M. Vide *Placcium* de pseudon. 122. *Mollerum* de homon. 550. & *Casauboniana*. 26.
Lib. I. p. 14. Athanasius in *sua* Synopsi volumen psalmorum *ante captivitatem a regis Ezechiæ amicis* collectum scribit.	Primo disputatur, *an ista Synopsis sit Athanasii*. Deinde alii, probare conantes, collectum illud esse *ab Esdra post captivitatem babylonicam*, ad eandem provocant Synopsin. *Cave* Hist. liter. 104. *Placcius* de anon. p. 7.
Pag. 15. Ieremias vaticinia litteris mandavit, *sermone* quidem *inculto, & pene subrustico*, sed sensuum maiestate sublimi.	*Facilitas & simplicitas stili* non efficit sermonem subrusticum, aut eloquentiæ derogat quidquam, sed insignis est virtus eloquentis orationis. Auctor *Dedicationis* commentarii Hülsemanniani in Ieremiam ad Io. Georgium II. Electorem Saxon. A 3.
Lib. II. p. 63. *Tertullianus adversus Praxeam* dicit, canones Apostolorum esse per manus traditos.	Apud Tertullianum *neque in libro adversus Praxeam, neque in alio ullo* (quod ego quidem sciam) *illius scripto* eiusmodi quidquam exstat. Iac. *Usserius* de Ignatii & Polycarpi scriptis (Tomo III. Patrum apostolicorum c. VI. 196.)
76. Esdras 1. Paral. 6, 14. 15. *Iose-*	*Confusionem* hanc oppugnat *Placcius*

aech sacerdos appellatur, & ab Hebræis *Malachias*, ultimus Prophetarum, esse putatur.

cius de anon. p. 4.

Pag. 152. *Adversus Christum Blasphemia exsecrabiles*, quas impii Iudæi *in Talmude* suo emittunt.

Portentosa illa & prorsus exsecranda, in Misna, quæ prima & præcipua Talmudis pars est, *plane non reperiri posse* arbitror. *Cartvvright* Præfat. in Annot. in Exodum § 4. (Tomo I. Supplement. criticor. sacror.) *Odhelius* Synag. bifront. 29.

180. In Physica laborarunt apud Latinos *Beda* in libro de natura rerum, *Anselmus* in libro de imagine mundi, & *Honorius Augustodunensis* in libro eiusdem tituli.

Bedæ liber, ut exiguus est, *ita parum quempiam invenit*; Anselmi liber *nec in catalogo operum eius, nec apud Trithemium reperitur*, aut, si in antiquis codicibus cum Anselmi scriptis coniungitur, *Honorio tribuitur Incluso*; neque est unus liber, sed *duo*, *qui unum eundemque habeant parentem*, non duos. Val. Henr. *Vogler* in Program. Commentario de reb. natural. ac medicis in Scriptura sacra præfixo c.

194. *Nota literata & illiterata.*

Partim sunt *perperam picta*. *Casauboniana* 27.

Ibid. & p. 195. X *Xenov.*

Ξ *Ξενον*. Io. Frid. *Mayer* Histor. version. Biblior. german. per Lutherum 211.

244. Anselmus, Episcopus Lucensis. Anselmus *Mantuæ episcopus.*

Est *unus idemque*, qui tamen *nunquam fuit Mantuæ episcopus*. Error autem inde natus, quod Mantuæ diem obivit, ipsumque Sanctis adscriptum Mantuani in patronum civitatis elegerunt. Natal. *Alexander* P. I. Sæc.

	Sæc. IX. p. 437. (in El. *Veselii* Differt. isagog. in illius Dissertat. histor. p. 160.)
Pag. 278. Diodorus, Tarsensis episcopus, Ioannis *Chrysostomi* in sacris litteris *praeceptor*.	*Nestorii praeceptor*. Io. *Moller* de homon. 446.
281. Ephrem Syrus Sermones plurimos syriaca primum, ac *deinde Graeca lingua edidit* in varios divinæ scripturæ locos.	Qui Ephræmi tempore proxime sequuti sunt scriptores, *ei graeca linguae notitiam adimunt*. Andr. *Rivetus* Crit. sacri lib. III. 336.
304. Hieronymus, ut *ipse testatur* in epist. ad Sophronium (T. III. 79.) transtulit universum divinæ scripturæ corpus *in linguam Dalmaticam*.	Loquitur de translatione *in latinam linguam*. Rich. *Simon* Hist. crit. V. T. 491.
313. Iacobus de Voragine utriusque instrumenti divina volumina *primus omnium in italicam linguam* summa fide ac diligentia *transfudit*.	Ipse Iacobus de Voragine, S. Antoninus, Trithemius & Castillus *hoc de opere tacent*. Neque in Bibliothecis Italiæ nobilioribus eiusmodi *codex MS*. reperitur. Adde, quod Iac. de Voragine *politioris lingua italica* fuerit *imperitus*. Iac. *Le Long* Biblioth. sacr. T. II. 119. 120.
336. Ioannes Quinquarboreus, *Arelatensis*.	*Aurilacensis* arvernus. *Colomesius* 69.
337. Iosephus, a recentioribus Iudæis *Bengarion* vocatus.	*Ben Gorion*: sed *falso*. Io. Christoph. *Wolf* Biblioth. hebr. 509.
347. Nicolaus Lyranus, natione *Anglus*, vel, ut quidam scribunt, ex Lyra *Brabantiae* oppido, *genere iudaus*.	*Normannus*, genere *christianus*. Vide Histor. nostram bibliothecar. P. I. 9.
370. Rabanus *Magnentius* Maurus.	*Magentius*. *Labbe* T. II. 264. Dav. *Hoffmann* disp. de Otfrido p. 6.
Radulphus, Benedictinus, ut quidam dicunt, *fuldensis*, claruit *anno Domini* 910.	*Flaviacensis*, sive flaicensis in diœcesi bellovacensi, (sicut antea recte posuerat) claruit *anno*

	Domini 1157. *Labbe* T. II. 273. *Kœnig* 675. *Olearius* P. II. 114.
Pag. 372. Richardus *Pampolitanus.*	Richardus *Holle de Hampole.* I. G. *Eccard* præfat. in Catech. theotisc. 38.
374. Rupertus abbas tuitiensis scripsit in XII. prophetas minores *libros* 30.	*Libros* 34. Natal. *Alexander* l. c. p. 490. (in Veielii Dissertat. 160.)
390. Vincentius *Belluacensis* sumptibus PHILIPPI Valesii scripsit Speculum naturale.	Sumtibus S. LVDOVICI. *Idem* P. I. Sæc. XIII. 535. (in Veielii Differt. 160.)
393. In Vetus Testamentum scripserant *Aquila*, *Eusebius* cæsariensis, *Hesychius* monachus, *Iosephus* Ierosolymitanus, *Iustus* Tyberinus, *Lucianus*, Matthæus *Doringus*, *Paulus* Burgensis, *Patrophilus*, LXXII. *interpretes*, *Sophronius*, *Symmachus*, *Theodotion.*	*Ex his ne unus quidem est*, qui perpetuo commentario V. T. illustraverit. *Patrophili versio nunquam exstitit*; & LXX. interpretes universum codicem reddidisse, si non aperte falsum, oppido tamen *dubium est.* Io Frid. *Mayer* Biblioth. bibl. 4.
397. In Maccabæos commentati sunt *Bernardus*, *Gregorius* Nazianzenus, Ioannes *Chrysostomus*, *Iosephus*, Marius *Victorinus*, Simon *Anglus.*	Quis illos, quorum ultimus est Sim. *Angelus*, *perpetuo commentario* libros Maccabæorum exposuisse, Sixto credat? *Idem* 5.
456. *Anianus in præfat.* Commentariorum Chrysostomi in Matthæum annotavit, Chrysostomum interdum naturæ nostræ vires plus æquo extulisse.	At ego ea verba in Aniani præfatione *reperire non potui. Crenius* Animadv. P. V. 210.
619. Christum concessisse Apostolis iustum gladii usum *in persona totius ecclesiæ & pro futuro tempore*, quia exordio nascentis ecclesiæ armorum usus minime conveniret.	*Vtrumque esse falsum*, ex genuina verborum Christi interpretatione patet. Melch. *Ziegler* de Episcopo milite cap. 1. §. 23.
Ibidem. Erasmus, negans, Chri-	Erasmus sic commentatur ad *Luc.*

ſtianis licere militare, ipſe ſe prodit euangelicæ diſciplinæ adverſarium, & chriſtianæ politices everſorem, dum *Chriſtianis adimit iura iuſta defenſionis.*

Luc. 22, 36. (Criticor. ſacror. pag. 1470.) *Neque vero*, cum hæc dico, *ius adimo Principibus gerendi belli*, modo chriſtiane geratur. Dico, *viris apoſtolicis non convenire bellum*, nec religionem chriſtianam armis tantum eſſe propagandam, *nec Principi bellum ullum ſuſcipiendum, quod aliquo pacto queat vitari.*&c. *Multa conceduntur, quæ non docet euangelium*, veluti iusiurandum, & lites forenſes.

Pag. 657. Lucianus monachus in Annotationibus ſuper Chryſoſtomum *a Concilio tridentino* damnatis.

Non a Concilio, ſed *in Indice librorum prohibitorum*, qui non eſt eius pars. *Sainjore* Biblioth. crit. Tomo I. 753.

695. Hieronymus Comment. in 3.caput Ionæ *IV.argumenta* promit contra eorum ſententiam, qui putant, damnatos chriſtianos ab inferni ſuppliciis aliquando liberandos.

Ad ea quidem, pro ſua hypotheſi, reſpondere, eaque ſolvere nititur D. Io. Guil. *Peterſen* in ultimo ſcripto Tomi II, τῆς ἀποκαταςασ. πάντων, p. 19.

715. Clemens *Romanus* libro Ὑποτυπώσεων.

Clemens *alexandrinus*. *Sandius* Interpret. paradox. IV. Euangel. 145.

758. *Arius* (ut Epiphanius, Theodoretus & Hieronymus narrant) Aëriani, & Ariomanitæ, videntes, Epiſtolam ad Hebræos, *maxime ipſorum dogmati repugnare, negarunt illam eſſe Pauli.*

In loco Hieronymi ne verbo quidem mentio fit Arii. Apud Epiphanium *probare contendunt ex hac epiſtola*, Chriſtum eſſe creatum. *Sandius* Nucl. hiſtor. eccleſiaſt. lib. I. 148.

817. Liber Sapientiæ, & Eccleſiaſticus *a Ioanne Damaſceno numeratur inter canonicos.*

At Pet. *Victorius* comentator Damaſceni, & Melch. *Canus* lib. II. Locor. comun. c. 10. agnoſcunt, Damaſcenum a canone reiicere. Io. *Gerhardus* Exeg. p. 39.

Fran. *Sixtus*, italus, a patria Senensis dictus, ortu iudæus, ad christianismum conversus a Generali Dominicanorum, qui postea Pontifex creatus assumsit PII V. nomen, a quo & habitum illius Ordinis accepit, si non græcæ, ebraicæ tamen linguæ peritissimus, & concionatoris fungens munere, obdormivit Genuæ A. 1569. ætatis 49. Scripta ipse sua enumerat l. 4. p. 378. inter quæ sunt liber de Vsu concordantiarum biblicarum, Quæstiones physicæ, astronomicæ, & geographicæ in varios S. scripturæ locos, Commentarii in Proverbia, Ecclesiasten, librum Sapientiæ & Ecclesiasticum, variæque Conciones. *Thuanus* lib. 46. eum vocat virum eruditæ diligentiæ. Notatur autem ab *Hulsemanno* in ep. dedicat. commentarii in Ieremiam, *Voglero* in Program. Commentarii de reb. natural. & medic. in SS. lit. occurrent. c. Vide etiam *Hulsemannum* Meth. stud. theol. 291. *Quenstedt* de patr. doct. viror. 319. Rich. *Simon* Hist. crit. V. T. l. 3. c. 17. *Casauboniana* 26. 409. *Mayer* Bibliothec. bibl. 1. & Car. *Arnd* in Continuat. prædicta Biblioth. 3.

X.

Mosis PFLACHERI Analysis typica omnium cum veteris, tum novi Testamenti librorum. Basileæ 1620. Editio quinta, eaque optima. Cui subiecta est Methodus resolvendi quoscunque auctores. Gisbertus *Voetius* arbitratur, tabellas V. & N. T. apud *Alstedium* in Præcognit. theol. & *Himmelium* in Memoriali biblico e Pflacheri Analysi petitas esse; sed *Crenio* in Dissert. II. de furib. librar. p. 10. secus videtur. Auctor hanc Analysin vocat *typicam* eo, quod continuo typo seu in tabulis eam oculis subiicit. Promittit etiam didacticam, propheticam, & apostolicorum scriptorum Resolutionem. In Præfatione autem agit de via tractandi interpretandique S. scripturam, eamque constituit duplicem, Syntheticam & Analyticam.

Mos. *Pflacher*, theol. D. & pastor ecclesiæ campedunensis in Suevia, spiritum Deo reddidit A. 1589. & reliquit Homilias in Catechismum & I. librum Samuelis, nec non Postillam. *Kœnig* 628.

Iacobi BRANDMYLLERI Analysis typica omnium N. Testamenti epistolarum apostolicarum, nempe Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ, nec non libri Apocalypseos Ioannis. Basileæ 1622. Est hæc veluti tertia pars ad Analysin typicam librorum biblicorum ante editam pertinens, adeoque continuatio operis Pflacheriani.

Iac.

Iac. *Brandmyller*, senior, Philos. magister, & ecclesiæ in minore Basilea minister, floruit anno 1622. atque in Epistola dedicatoria ab effectis & adiunctis Scripturæ propheticæ & apostolicæ, quo etiam accedit Patrum consensus, probat, eam esse certo divinam.

XI.

Zachar. MVTHESII Notæ exegeticæ & paraphrasticæ in libros N. T. Francofurti 1656. Editio altera. Iis obscura explanantur, dubia discutiuntur, controversa deciduntur, & loci communes e textu eruuntur.

Zach. *Muthesius*, natus Budstadii in Ducatu saxo-vinariensi, Ienæ Philosophico ordini adiunctus, & verbi divini minister, deinde superintendens brandenburgensis, denique pastor northusanus, inde, quod cryptocalvinismi suspectus esset, reversus Ienam, ærumnosæ huius vitæ finem ibi nactus est A 1597. *Kindervater* in Northusa illustri 223. Præclare doctus fuit vir, sicut ex eius in N. T. paraphrasi videre licet.

XII.

Sal. GLASSII Philologiæ sacræ libri V. Lipsiæ 1705. In primo agitur de scripturæ sacræ stilo & literatura, in secundo de eius sensu, tertio & quarto traditur Grammatica sacra, & quinto Rhetorica sacra. Inserta quoque est Oratio auctoris de necessitate cognitionis linguæ hebrææ p. 507. & disputatio de proteuangelio p. 1395. ac denique subiuncta Logica sacra. Opus hoc primum prodiit Ienæ 1623. ac postea 1636. 1643. Francofurti 1653. (de qua editione *Crenius* de libris scriptor. opt. 30.) Francofurti & Lipsiæ 1691. & Amstelodami 1694. In præfat. Grammaticæ docet auctor, Ecclesiam debere esse grammaticam, h. e. ea, quæ a Spiritu S. tradita sunt, debere discere ex genuina significatione vocabulorum, quibus ille in tradenda doctrina cœlesti utitur, & tanto meliorem futurum theologum, quanto melior sit grammaticus. Cui adstipulantur hoc in puncto *Buxtorfius* & *Cappellus* apud Hackspan. in Lipmannum 423. *Cocceius* præfat. in Comment. in Sanhedrin (T. IV. Mischnæ Surenhusianæ,) & *Hottinger* in Dedicat. Thesauri philol.)(4. Præfatio autem in Rhetoricam sacram exhibet testimonia Doctorum de eloquentia S. scripturæ, nominatim Io. *Gerhardi*, *Flacii*, *Mornai*, *Bezæ*, *Alstedii*, *Riveti*, *Pici*, *Billiandri*; disputat quoque de solœcismis & hebraismis scripturæ S, & Rhetorices præ-

 cepta

cepta ad ſacras literas applicanda, ſermonemque proprium a tropico diſtinguendum eſſe docet. Auctor in hoc opere uſus eſt Clave *Flacii:* id quod, præter *Carpzovium* Theol. exeget. 8. & *Bibliothecam Schrader*. P. I. B 7. ipſe fatetur p. 261. 287. Laudatur hoc ſcriptum ab *Hulſemanno* Meth. ſtud. theol. 286. *Dannhauero* Hermen. S. 183. *Dilherro* Diſpp. T. II. 109. in *Actis erud.* A. 1706. 48. a *Frankio* Manud. ad lect. S. ſcript. 63. *Crenio* Animadverſ. P. I. 58. 109. *Amama* Antib. bibl. 11. *Hottingero* Biblioth. 172. *Vitringa* Obſervat. SS. lib. I. 210. *Clerico* in Diſſert. I. Prolegom. in Comment. in Geneſ. p. 7. Quibus adde Rich. *Simonii* Hiſtoire crit. du nouv. Teſtam. 719. Matth. *Polus* multa excerpſit ex libris III. & IV. noſtri Glaſſii, retulitque ſuam in Synopſin. Neque tamen pro exegeſeos nervo habendum aut commendandum. Herm. *Von der Hardt* in Conſil. Lutheri de linguis):(Pag. 2048. optat auctor noſter, ut quis ſcribat de Comparatis ſacris. Epitomatores huius ſcripti ſunt H. Ph. *Heervvartus* in Nucleo philol. ſacræ, (qui cum præfat. I. G. *Pritii* iterum in lucem prodiit Francofurti anno 1713. in 8.) & Io. Andr. *Danz* in Syntaxi hebr. linguæ.

Pag. 171. (Ex his duobus פלוני *Ploni* & פלטי *Palti*) depravatum *alterutrum* eſſe, *Schindlerus* æſtimat.

Valent. *Schindleri* in Lex. pentaglotti p. 1444. hæc ſunt verba: Eſt & פלוני Pelonites, gentile. 1. *Paral.* 11, 27. חלץ הפלוני Helez Pelonites ſeu Pelonæus; pro quo habetur 2. *Sam.* 23, 27. חלץ הפלטי Helez Paltites ſeu Paltita. Figuræ ט & ני ſimiles ſunt. Facile igitur *depravari potuit*. E quo patet, eum loqui de *altera*, quod videlicet ex פלוני factum ſit פלטי.

220. *Omnes* omnino codices græci Matth. 27, 9. conſtanter nomen Ieremiæ legunt.

Mox ipſe dicit in eadem pagina, *plurimos*.

355. *Pontificii ad unum fere omnes* errant, *multos* literales ſenſus eidem ſcripturæ textui attribuendo. Confer p. 352. 373.

Sententiam hanc, Vnius eiuſdemque loci quandoque *plures* eſſe ſenſus literales, maxime quidem theologorum poſt D. Tho-

D. Thomam ſeqitur; negativam vero tenent *Medina* & *Ribera*, quia alioqui incerta eſſet Scriptura, & æquivocationi obnoxia, nec poſſet quis a ſenſu litterali efficaciter argumentari. Diſtinguendum *inter ſenſum Scriptura, quem primarius eius auctor intendit*, & *inter intentionem ſcribentis, aut proferentis ea, qua in ſcripturis traduntur.* Priori reſpectu probabilior videtur eſſe Medinæ & Riberæ ſententia; *poſteriori, fieri poteſt*, ut unus idemque locus *duplicem* ſenſum litteralem ſortiatur, ut certum eſt de Caiphæ effato: *Expedit, ut unus moriatur pro populo. Io.* 18, 4. Matth. *Petitdidier* Diſſert. in S. ſcript, V. T. p. 106.

Pag. 396. Can. V. Senſus literalis *præcipue* eſt argumentativus, non tamen excluſo myſtico.

Solus ſenſus litteralis eſt argumentativus, ſive ex ſolo ſenſu litterali Scripturæ S. legitime eruto peti poſſunt argumenta firma, efficacia & ſtringentia. Aug. *Pfeiffer* Theſauri hermeneut. p. 165.

557. 2. *Cor.* 5, 21. Peccatum fecit.] Id eſt, *peccatorem ſummum*, non peccatis propriis, ſed alienis.

Peccatum, id eſt, *victimam pro peccato* Theophil. *Amelius* Explicat. diffic. dictor. N. T. T. I. 178.

681. *In ſepulchro* iacebo.

Ἐν ᾅδῃ, *In inferno.*

682. *Luc.* 3. contexitur genealogia *Mariæ*, non Ioſephi, uti Matth. 1.

Vtrobique texitur genealogia *Ioſephi*, mariti Mariæ, qui Ieſum pro filio adoptaverat. *Grot.* in Matth. 1. & *Clericus* in Hiſtor. Chriſti & IV. euang. p. 10.

Ad

Pag. 752. Si Genuit (*Gen.* 5, 32. & c. 11, 26.) positum est pro Gignere cœpit, (uti volunt *Tremellius* & *Iunius*) *emerget hic sensus:* Noa gignere cœpit Semum & Chamum, & Iaphetum. Sic & in altero exemplo.

At illi τὸ Gignere cœpit intellexere *de primo filio.*

862. 2. *Reg.* 8, 10. Abi, dic ei, vivendo vives, h. e. omnino vives. *Ironice* impium Regem & populi Dei hostem ludit.

Vix quidquam εἰρωνείας subest illi permissioni, quam in hoc loco agnosco. Sensus enim est: Vade, & dic modo (*κατ' ἐπιτροπήν*) ipsi, Vivendo vives; Deus tamen mihi ostendit, illum certo esse moriturum. *Vitringa* Observat. lib. III. 703.

984. 2. *Reg.* 6, 7. Ne servet te Iehova! unde servarem te? Hic *impatientis & indignabundi nota est* hæc particula.

Potius *negantis*, hoc sensu: *Non iuverit te Dominus: unde ego te iuvarem? Danz.* Interpr. ebr. chald. p. 151.

1075. Εἰς denotat *per*, *Matth.* 5, 35. 1. *Cor.* 10, 2.

In neutro loco denotatur caussa instrumentalis. Vitringa Observat. lib. III. 794.

1120. כי *redundat* in 2. *Sam.* 23, 5.

Non redundat, si quædam verba parenthesi includantur, hoc modo: Non enim sic domus mea apud Deum, (*quia* fœdus diuturnum posuit mihi, per omnia bene ordinatum, atque a Deo probe servandum & custodiendum: *ideo* salus & beneplacitum meum in illo est fœdere) ut non germinatura sit. *Rauppius.*

1122. Particula ὅτι, *quod*, *quia*, interdum redundat, atque in latino sermone omittenda est, ut otiosa, & *hellenistica lingua*

Ad ipsius græca lingua genium pertinet planissime: Sic enim locuti sunt *Thucydides*, *Aristoteles*, & plures alii boni auctores.

Io.

(ex origine chaldæo-syra) *propria.*

Pag. 1972. 2. *Reg.* 9, 8. Ne mingentem ad parietem relinquere, denotat extremam internecionem, ubi *ne villissimo animali, nedum hominibus ullis parcitur.*

Io. *Vorstius* de stylo N. T. (in Crenii Fasce I.) §. 2.

Ne pueris quidem, *Bochart.* Hieroz. 676.

Io. *Glassius*, natus Sondershusii in Thuringia, fuit hebr. & græc. linguæ prof. ienensis, inde in patria superintendens, tum in prædicta academia theol. D. & prof. demum generalis superintendens gothanus, obiitque A. 1656. æt. 63. vir probus, pius, lenis, modestus, inculpatus, & variis calamitatibus probatus. *Witte* Memor. theol. 1199. & *Spizel.* in Templo honor. reserato 224. Inter scripta eius sunt Explicatio orationis Christi, *Io.* 17. Oratio de usu fructuque sessionis Christi ad dextram Dei, Conciones in psalmum LXXX. Arbor vitæ I. Christus, Postillæ dictorum propheticorum Partes IV. Enchiridion S. scripturæ practicum, Infamia ebrietatis, & Selecta scripturæ mosaicæ & davidicæ. *Amama* Antibarb. bibl. p. 11. *Clericus* Prolegom. in comment. in Genesin b 3. *Crenius* Animadv. P. I. 58. & *Struvius* Actor. litterar. Fasc. V. 39.

XIII.

Lud. LAVATERI Commentarii in Proverbia Salomonis. Tiguri 1562. In his Commentariis ostenditur non solum singularum sententiarum scopus, sed obscuri quoque ac varii sensus explicantur: illustrantur etiam pleræque sententiæ similibus gnomis, proverbiis, apophthegmatis & exemplis, cum ex sacris, tum ex profanis scriptoribus depromtis. Et ad calcem accedit libellus, in quo singulæ sententiæ Salomonis ad locos theologicos, ethicos, politicos, oeconomicos, & miscellaneos referuntur.

Lud. *Lavater*, tigurinus, in patria & scholæ & ecclesiæ minister, ac Bullingeri gener, scripsit Historiam de ortu & processu controversiæ sacramentariæ, & Tractatum de spectris, lemuribus, fragoribus & præsagitionibus, quæ plerumque obitum hominum & magnas clades præcedere solent, obiitque A. 1586. Melch. *Adamus* in Vit. theol. 572. *Verheyden* in Elog. p. 205. & *Kœnig* 461. *Thuanus* ad A. 1586. p. 77. illum ait multis editis scriptis, etiam extra religionis controversias, claruisse.

XIV.

Dan. TOSSANI Annotationes seu Commentarius in libros N. Tti. Hanoviæ 1604. volumina II. Excipe tamen epistolam. Pauli ad Philem. & secundam ac tertiam Ioannis, in quas auctor nihil scripsit aut dictavit. Quod ad Euangelistas attinet, neque in singulos illos commentatus est, sed Harmoniam euangelicam, seu consensum 4. euangelistarum tradidit. Commentario in epistolam Pauli ad Romanos Notæ sunt additæ, quibus Thomæ *Stapletoni* Antidota, aliorumque Pontificiorum sophismata discutiuntur. Commentarii hi non quidem mole sunt grandes, sed tamen, Paulo & Christophoro, auctoris filiis, in præfat. Tomi II. iudicibus, methodici & didascalici, qui paucis multa comprehendant. Iidem filii ibidem optant, ut parens ipse extremam Commentariis suis manum imponere, eosque edere potuisset. Nec diffitentur Collectores *Narrationum innoc.* ad A. 1714. p. 961. non parvam ibi contineri eruditionem in linguis & theologia polemica. Quamvis addant, *eum ubivis studere dogmata sua contra dissentientes defendere, & scripturarum interpretationi immiscere.* Quod quidem eiusmodi est vitium, a quo nulla secta est libera.

Daniel. *Tossanus*, natus Montisbelgardi, pastor Aureliæ in Gallia, & in Germania Neustadii ac Heidelbergæ, ubi etiam theologiam professus est, scripsit de Pelagianismo, de Senectute, & in Threnos Ieremiæ, atque ante, quam obiret A. 1602. æt. 61. professionem suam cum salario Senatui academico in manus resignavit. Vide *Programma funebre*, a Senatu acad. perscriptum, Tomique prioris epistolæ dedicatoriæ subiunctum, & Melch. *Adamum* in Vit. theol. p. 700.

XV.

Dav. PAREI Commentar. in Hoseam prophetam. Heidelbergæ 1605. Singula prophetæ capita triplici exhibentur translatione videlicet latina gemina, quarum altera ex hebræo, altera ex chaldæo Targum *Ionathanis* est expressa, & græca LXX. Interpretum. In Epist. dedicatoria differitur de iure Principis circa ecclesiastica: in Prolegomenis, de propheticæ scripturæ auctoritate. Et hic disputat contra Io. *Mulhusium*, vero nomine *Spiznasium*, iesuitam moguntinum, ceu patet ex pag. 14. Prolegomenorum. In horum fine subiicitur ex Clari *Bonarscii* i. e. Caroli Scribanii, iesuitæ, Amphi-

phitheatro honoris, aut secundum *Casaubonum* horroris potius, Carmen ad Divam hallensem & puerum Iesum, quo ille animum inducit dextra prensare ubera Mariæ, & læva Christi vulnera. Quam superstitionem, immo & impietatem castigat Guil. *Forbesius* in Consid. controv. 338. Præterea libro nostro adiectæ sunt Orationes IV, quarum 1. agit de legum dignitate, usu, & obedientia, ex 1. *Tim.* 1, 8. 2. de studii theol. difficultatibus, eorumque remediis. 3. de LXX. hebdomadibus, *Dan.* 9, 24. & 4. quæ auctorem habet Dan. *Tossanum*, de 2. testibus. *Apocal.* 11, 3.

Dav. *Pareus*, bohemus, alias dictus *Wangler* (vide eius Sieg der Neustädter Bibel, & *Mollerum* de Homon. 836.) post alia officia fuit D. & prof. theol. in acad. heidelberg. & consiliarius ecclesiast. palatinus. defunctus A. 1622. æt. 73. Opera eius theologica iunctim prodierunt Francofurti 1647. f. inter quæ Commentarius in epist. ad Rom. de monarchico quippe regimine liberius scriptus, Londini combustus fuit. Meliores & copiosiores ipsius commentarii sunt in Genesin, Hoseam, Matthæum, epistolas ad Rom. Corinth. Galatas, & in Apocal. Ioannis; reliqui autem non nisi parvæ annotationes. *Godavius*, episcopus grassensis, suam psalmorum paraphrasin ex Pareo desumsit, teste *Ancillonio* Mel. crit. P. II. 410. *Kœnig* 608.

XVI.

Dav. PAREI in Ioannis Apocalypsin Commentarius. Heidelbergæ 1618. In Commonefactione scribit auctor, se hos Commentarios liberis suis in peculio relinquere voluisse, sentientem, se altitudinem istorum mysteriorum nondum attigisse, deinde autem aliorum de edendo libro monitis, qui non indigni quid ab ipso de his ænigmatibus proditum esse putarent, morem gessisse; rogare se etiam, alii defectum post se suum maiore diligentia ut suppleant, neque credendum, se in ullius probrum vel scandalum, nec illud etiam de antichristo romano, quidquam scripsisse. In Prolegomenis autem agit de auctore, auctoritate canonica, obscuritate, interpretibus antiquis & recentioribus libri Apocalypseos, item de dignitate, tempore, utilitate, & scopo huius prophetiæ, de argumento, partitione, forma, methodo generali & speciali Apocalypseos, & ratione interpretandi a se ipso observata.

XVII.

Frid. SPANHEMII Dubia euangelica. Genevæ 1658. Volumina II. Distribuuntur in tres partes, suntque partim exegetica, partim elenctica contra cavillos & corruptelas atheorum, paganorum, iudæorum, samosatenianorum, anabaptistarum, pontificiorum & sectariorum aliorum. Prima parte continentur dubia 34. secunda 100. tertia 150. Rationem operis exponit auctor in Præfatione I. Partis, lectu sane dignissima. Recusum est hoc opus A. 1700.

Frid. *Spanhemius*, ambergensis, Genevæ primum professor philosophiæ & ecclesiastes, deinde ibidem, ac tandem Leidæ professor theol. & pastor ecclesiæ gallo-belgicæ, obiit A. 1649. æt. 49. & scripsit etiam V. T. Dubia, sed charactere adeo obscuro, ut, teste *Benthemio* præfat. in Statum eccles. & schol. anglic. D 7. ne quidem filius ea sciret legere. Et hic, ad patris exemplum, tres concinnavit libros Vindiciarum biblicarum, quorum duo priores prodierunt Heidelbergæ A. 1663. & tertius Lugduni Batav. A. 1685. atque in iis pervenit usque ad c. 20. Matthæi. Sequentibus libris remora iniecta fuit ab historicis scriptis, quibus auctor studium impendere debebat. Vide T. I. *Supplem. Act. erud.* p. 73. Ceterum Dubia *Spanhemii* nostri euangelica laudantur a *Bocharto* & Hug. *Grotio* apud *Pope-Blount* p. 1028. *Hottingero* in Bibliothecar. 73. & Ger. Io. *Vossio* in Epp. p. 394. at *Calovio* in Catalogo commentatorum S. Matthæi, sicut & ex eo refert Rich. *Simon* in Hist. crit. præcipuorum N. Tti commentatorum p. 725. dicitur *felicior in dubiis conquirendis quam solvendis, non pauca magis dubia reddens, deque iisdem saltem pyrrhonice disputans.*

XIIX.

Conr. VORSTII Commentarius in omnes epist. apostolicas, exceptis secunda ad Timotheum, ep. ad Titum, ad Philemonem & ad Hebræos. Hardervici 1631. Modus tractandi hic est auctori, ut singulis epistolis præmittat argumentum & partitionem, singula autem capita analysi, paraphrasi, notis in paraphrasin, & locis communibus explicet atque illustret. In Prolegomenis differit de controversiis religionis, tempore Apostolorum agitatis: unde multa in illorum Epistolis, præsertim Pauli, intelligi possunt.

In Ep. ad Corinth. II, 10. p. 198. | Melior est prior interpretatio: *In*
Ἐν προσωπω Χριστου.] Dupliciter | *conspectu Christi*, hoc est, vere at-

que

hæc verba converti possunt, videlicet in facie seu conspectu Christi, item *in persona* h. e. *nomine & vice seu loci Christi.* que ex animo, quasi inspectore Christo. G. *Calixtus* Exposit, litterar. illius Epistolæ, p. 129. Christ. *Democritus* Opp. p. 612.

Conr. *Vorstius*, coloniensis, S. theol. D. eiusque primum in gymnasio steinfurtensi, deinde ad eandem professionem in acad. leidensem vocatus, mox autem ob novitatum & socinianismi imputationem, a qua tamen bis se se purgavit, solum vertere coactus, obiit Tonningæ in Holsatia A. 1622. æt. 53 sepultus autem fuit Fridericopoli, ubi a sereniss. Holsatiæ Duce designatus fuerat prof. theol. *Sand.* B. antitrinit. 98. *Cloppenburg* præfat. de orig. & progr. socin. 26. *König* 855. *Acad. leidensis* 58. *Sorberiana* 227. *Epistolæ* præstantiss. viror. in Indice v. *Vorstius*, & p. 590. *Ruarus* Epistolar. P. I. 60. *Episcopius* eum vocat virum, quo modestiorem & conscientiæ bonæ studiosiorem in vita sua non fuerit expertus. Plura eius encomia reperies in Epp. viror. præstant. si Indicem evolvere haud displicuerit. De scriptis autem eius & adversariis vid. *Placcius* de Anon. p. 200. a. Quibus adde Henr. *Pontani* Orat. funebrem in excessum Petri *Van Mastricht* p. 6.

XIX.

ORIGENIS contra Celsum libri IIX. & eiusdem Philocalia, cum annotationibus Guil. *Spenceri* in utrumque scriptum, & Dav. *Hæschelii* in prius, ac Io. *Tarini* in posterius. Cantabrigiæ 1677. Videatur Rich. *Simon* Biblioth. choisf. T. I. 13. & Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. volum. V. 219. *Celsus*, æqualis & amicus Luciani samosateni, epicuræus & ethnicus, vivens sub Imperatore M. Aurel. ANTONINO, scripserat librum contra Christianos, quem vocat ἀληθῆ λόγον. Hunc refutare annititur Origenes, adeoque pro veritate christianæ religionis pugnat. Ios. Iustus *Scaliger* Origenem optime scripsisse contra Celsum profitetur, in Scaligeranis p. 290. Iidem libri a Io. Alb. *Fabricio* vocantur opus præclarum lectuque dignissimum, atque a Lud. El. *Du Pin* præstantissimum opus, & profunda eruditione refertum, immo optimum Origenis opus, nec non Apologia pro christianis absolutissima & elaboratissima omnium earum, quas nobis transmisit antiquitas. Tom. I. de la Nouv. Biblioth. des auteurs ecclesiast. 388. 389. Conversio anglicanam in linguam est El. *Boberelli*. Vide *Acta erud.* A. 1702. 127. *Philocalia* autem delectum continet quæstionum Scripturæ & solutionum,

ex variis Origenis Commentariis a *Gregorio* theologo, seu nazianzeno, & *Basilio* confectum, adeoque Eclogas seu electa exhibet scriptorum Origenis. Immo Gregorius ille ipsum Origenem appellat φιλοκαλον. Et *Spenceri* praesentes Annotationes a Io. Gottfr. *Oleario* Biblioth. eccles. T. II. 47. doctissimae vocantur.

Io. *Tarinus*, andegavensis, scripsit etiam Dedicationem nancinam & Soteria nancina, obiitque A. 1666. aetat. 80. In Praefatione, quae videtur *Spenceri* esse, differitur de fatis Origenis, eiusque hostibus & condemnationibus; quem tamen auctor promittit se defensurum in tractatu de Scriptoribus ecclesiasticis, ab ortu Christi usque ad Synodum nicaenam florentibus.

XX.

S. ORIGENIS Dialogus contra Marcionitas, Exhortatio ad martyrium, & Responsum ad *Africani* Epistolam de historia Susannae, graece & latine, cum notis Io. Rodolphi *Wetstenii*. Basileae 1674. Atque hic in praefatione contra *Halloixium* & *Huetium* probare nititur, omnes hosce tres libellos Origenis foetus esse genuinos: PHILIPPVS etiam, romanus Imperator, videtur ei fuisse christianus. In Dialogo cum *Adamantio*, qui est Origenes, disputant Marcionitae, *Megethius* & *Marcus*, nec non Valentiniani, *Marinus*, *Droserius*, & *Valens*: atque *Eutropius*, philosophus graecus, tanquam iudex tandem orthodoxis victoriam adiudicat, ipseque fit christianus. Quamvis autem duae in eo sint disputationes praecipuae, Marcionitarum videlicet & Valentinianorum, tamen, quia Marcionitae primas & ultimas partes tenuere, ab illis, tanquam a potiori parte, ille *Contra Marcionitas* inscriptus fuit. Atque ex eo non tantum veterum disputandi ratio, Origenis ingenium, solertia & dexteritas, haereticorum protervia & stupiditas, sed & orthodoxae ecclesiae sententia de solo Deo creatore, omnis bonitatis fonte, malorumque *iusto* iudice, de veritate humanae Christi naturae, deque corporum nostrorum resurrectione manifesta elucet; & propter haec fidei capita, quae in dialogo adstruuntur, ipse etiam *de Recta in Deum fide* appellatus est. Exhortatio ad martyrium, Ambrosio & Protocteto consecrata, veluti cento est perpetuus e S. scripturae locis consutus, varia continens argumenta, quibus in Christi confessione adversus dirissimam persecutionum tempestatem Christiani se munire debeant. In Responso ad *Africani* epistolam, quae praemittitur

tur, solvit Origenes illius argumenta, contra fidem historiæ Susannæ prolata; plus tamen ingenii ostendit, quam veritatis demonstrat: nam præcipuas Africani rationes ne extremo quidem digito attingit; de aliis autem verba facit, quæ in quæstione minime versabantur. Post Notas & Varias lectiones horum opusculorum, sequuntur Præterita (in Notis) Addenda, Corrigenda, eaque sunt Io. Rodolphi *Wetstenii* patris.

Africanus, indicante beato *Hieronymo*, prænomen habuit Iulii, vixit sæculo III. & scripsit Chronicon ab origine mundi, usque ad Christi incarnationem, immo cursorie etiam ad MACRINI imperium: item epistolam ad Aristidem, &, si *Eusebio* credendum, librum Cestorum, quo rerum medicarum, physicarum, agriculturæ, & chemicarum virtutes continentur *Scaliger* quidem in Animadvers. ad Eusebii Chron. & Henr. *Valesius* in Not. ad Eusebii Hist. eccles. duos aiunt esse Africanos, alterum *Iulium* dictum, alterum *Sextum*, philosophum afrum, atque huius esse librum Cestorum; sed *Wetstenius* p. 154. statuit unicum esse, Sextum Iulium Africanum, & hunc præsentis epistolæ, dictorumque ceterorum scriptorum esse auctorem. *König* 14. *Neu* in Accession. ad *Whear*. 255. *Naudaus* in P. III. Methodor. *Crenii*, & *Crenius* ibid. in Not. p. 498. *Schubart*, Notit. hist. univ. 116.

Io. Rodolph. *Wetstenius*, filius, natus Basileæ A. 1647. inque academia patria professor, edidit A. 1670. Catenam græcorum Patrum. *Kœnig* 867.

Io. Rod. *Wetstenius*, prioris pater, itidem basileensis, primum philos. deinde theologiæ, & tandem N. T. professor, suique ordinis senior, dedit opuscula aliquot theologica, & dispp. de Deo, peccato &c. obiitque A. 1685. æt. 71.

Iac. TOLLII Insignia itinerarii italici. Traiecti ad Rhenum 1696. Continentur iis antiquitates sacræ, & quidem 1) *Gregorii* nazianzeni Carmina cygnea inedita. 2) *Euthymii* Zygabeni Victoria & triumphus de Messalianorum secta. 3) Formula receptionis Manichæorum, in qua sacerdos, manu catechumeni capiti imposita precatur, ut Deus ab eo removeat veterem illum (Manichæorum) errorem. p. 153. eumque ab adversarii tenebris ad æternam lucem suam convertat, ac revocet ab errore diaboli ad divinam unigeniti filii sui agnitionem. p. 151. 4) *Theodori* ad discipulos suos Testa-

Testamentum. 5) *Macarii* alexandrini Sermo de excessu iustorum & peccatorum, quorsum scilicet eorum animæ e corpore demigrent, & quomodo se habeant.

Iac. *Tollius*, in universitate teutoburgica constitutus historiarum, gr. linguæ & eloquentiæ professor, dedit Ausonium cum suis aliorumque Notis, Fortuita, Epistolas itinerarias, & *Lucretium*, *Longinum*, *Sallustium*, *Florum*, *Phedrum* & *Artemidorum* cultiores atque emaculatiores editurus fuisset, si vixisset diutius: nam in professionis suæ initio iter denuo ingressus, ut tum budensem, tum alias nobiliores bibliothecas excuteret, fatis concessit. Vide *Acta erud.* A. 1696. 207. *Buddeum* præfat. in Supplem. Epp. Lutheri b. Io. Alb. *Fabricium* Bibl. lat. 492. *Morhofius* Polyh. T. I. 120. eum vocat non varia tantum doctrina, sed & ipsis chemiæ experimentis spectatum; & collectores *Actor. erud.* ad A. 1687. p. 394. philologum criticumque non e trivio. Fortuita eius recensentur in *Actis erud.* A. 1687. 393. Quibus adde *Vernünftige Vrtheile* von den Gelehrten 525. & *Struvii* Introduct. 50. Quidam a me de Tollio interrogatus, hæc, quæ suo loco relinquo, rescripsit: *Iacobi Tollii defectoris inhonorata Vltraiecti, ubi maxima in egestate periit, memoria fuit. Graviter olim apud me de odio* Grævii *& invidia recordor ipsum esse questum, nec forsan falso.*

Io. Alphonsi TVRRETINI de Pace Protestantium ecclesiastica collecta scripta. Genevæ 1707. Eaque sunt: 1. Epistola Pastorum & Professorum genevensium ad Borussiæ Regem. 2. Primi Borussiæ regis, FRIDERICI, ad epistolam illam Responsum. 3. Comitis *a Metternich* Epistola ad Pastores & Professores genevenses, cum Responsum regium ad ipsos transmitteret. 4. *Turretini* prædicti Oratio eodem de argumento. Pag. 37. inseritur etiam Excerptum Sam. *de Pufendorf* de sententia FRID. WILHELMI magni, Electoris brandenburgici, circa controversias Protestantium, quæ Calixtinæ plane est conformis.

Io. Alphons. *Turretinus*, genevensis, in urbe patria pastor, & S. theol. atque hist. eccl. professor, adhuc vivit, & utraque cathedra officio suo præclare fungitur.

Carmen triumphale in Britannorum, Belgarum & Sociorum militiam, seu gesta, a liberatione Neomagi usque ad expeditionem anni 1709. Hagæ Comitis 1710. Auctor est Godefridus MENTHEN, ecclesiastes arenacensis, theologus, orator, & poëta eximius. Chri-

Christiani Gottlieb MEINIGII Lexicon hebraicum, in compendium redactum. Lipsiæ 1712. In quo omnes radices hebraicæ, earumque significatus omnes, cum variis dictis scripturæ S. & anomalis, novo plane modo sistuntur. In præfat. auctor postulat, atque exoptat sibi lectores, qui in hebraicis litteris aliquales iam fecerint profectus, iudiciumque sive suum, sive aliorum promit de Lexicis quibusdam hebraicis, *Pagnini* videlicet, *Forsteri*, *Avenarii*, *Marini*, *Leighi*, *Coccei*, *Gussetii*, & *Burcklini*.

XXI.

Fl. CHERVBINI Compendium Bullarii a Laërtio Cherubino patre editi, a LEONE I. usque ad PAVLVM V. Lugduni 1624. Ex bibliotheca G. *Calixti*. Antea vulgatum fuerat Romæ A. 1623. f. Ipsum autem Bullarium magnum prodiit Lugduni 1668. & (quem tamen annum mentitur) 1712. V. tomis in fol. Ei opponitur Destructio & confutatio generalis, ac specialis bullarum INNOCENTII X. & VRBANI IIX. Amstelodami 1686. 4. Enim vero quoniam Bulla Pontificum diploma significat, eo quod a bulla plumbea chordis pendentibus affixa, & SS. Petri & Pauli apostolorum capita insculpta habente, firmamentum accipit; ideo collectio eiusmodi diplomatum, *Bullarium* vocatur. Vide T. III. 152. In Belgio non valent Bullæ pontificiæ, nisi prius sint examinatæ, adprobatæ, & oppidatim promulgatæ. Vide *Ius Belgarum* circa Bullar. pontificiar. receptionem. Leodii 1645. 24. Quam recenset Rich. *Simonius* Biblioth. choisf. T. I. 290.

Fl. *Cherubinus*, V. I. Doctor, & collegiatæ ecclesiæ in Via lata de urbe canonicus, fratrem habuit Alexandrum, nec eius eruditionem *Erythræus* Pinacoth. P. III. 178. satis scit laudare ac celebrare.

XXII.

Melchioris CANI Opera. Patavii, typis Seminarii. 1714. Donata mihi ab excelsa manu. Edita quidem fuerunt etiam Salmanticæ A. 1563. Venetiis 1567. 8. Lovanii 1569. Coloniæ 1574. 1585. 1603. 8. & Lugduni; sed nunquam tam polite, tamque elegantibus typis, atque ita plene, sicut in hoc volumine. Quod propterea iure meritoque laudatur nel *Giornale* de' Letterati d' Italia T. XV. 456. Eo autem continentur 1) Locorum theologicorum

libri XII. Quorum Epitomen confecit, ac Moguntiæ edidit Corn. *Loos'e* five *Callidius*, goudanus. Vide *Placcium* de pseudon. 153. Notabis autem, duos huic operi deeſſe libros, quos auctor morte præventus non potuit addere: atque alter quidem debuiſſet agere de Locorum uſu in Scripturæ interpretatione, alter de eorundem uſu adverſus fidei chriſtianæ ſingulos inimicos, ut p. 328. vocat, hæreticos, Paganos, Iudæos, Saracenos. Facile autem eorum carentia tolerari poteſt, cum Loci, prout nunc exſtant, ſatis, ſi encomiaſten illorum p. 439. audire lubet, ſint perfecti & limati, immo omnibus numeris abſoluti. Atque hic liber Locorum theologicorum Cani tam propitiam habuit fortunam, ut & ab illis laudaretur, atque ut aureus celebraretur, quorum familiæ Canus minime favebat, videlicet Ant. *Poſſevino*, Fran. *Garſia*, ipſoque Cardinale Sfortia *Pallavicino*. Vide horum aliorumque elogia in *Præfationis* capite 1. 2) Relectio de ſacramentis in genere, habita in academia ſalmanticenſi. 3) Relectio de pœnitentiæ ſacramento. Præfatio, quæ inſtar prologi galeati eſt, auctorem habet P. *Hyacinthum Serry*, eaque Canus contra non nullorum accuſationes defenditur, primo quidem allatis inſignium theologorum de Cani, eiusque ſcriptis benignis iudiciis ac teſtimoniis, deinde eundo per ſingulas inculpationes, atque oſtendendo, eum nec Gregorium M. nec Bedam, nec Doctorem angelicum, nec Hieronymum, nec Auguſtinum læſiſſe; neque etiam Acta Sextæ ſynodi oſcitanter legiſſe, temereque uſurpaſſe, lapſumve in ſententia de ſacramenti matrimonii adminiſtro, de Chriſti domini triſtitia in paſſione, de Stephano protomartyre, quod in longa narratione quædam confuderit ſeu transmutaverit, de iudicio pontificio in religioſis inſtitutis adprobandis, de commiſſis inter ſe Pontificibus PIO II. & SIXTO IV. de obiecta Pontificibus negligentia & oſcitantia in caſtigandis Sanctorum hiſtoriis, deque vellicato nomine *Societatis Ieſu*.

Lib. II. cap. 13. p. 51. In fidei ac morum diſputatione *non eſſe nunc temporis ad Hebraica Græcave exemplaria provocandum*, nec ex iis certam controverſiarum fidem eſſe faciendam.

Aliter mentem Concilii trident. de authentia Vulgatæ & latinæ verſionis capit atque indicat P. Io. *Azorius* in Inſtitut. moralib. videlicet illius approbatione *non damnari exemplaria hebraica &*

	& graeca, ex quibus, tanquam ex fontibus latina editio fluxit, *eaque retinere suam fidem & auctoritatem*, ubi incorrupta & integra fuerint.
Lib.VI. c. 8. p. 197. Liber (de duabus in Christo naturis) *non est Gelasii I. romani Pontificis.*	Aliter sentiunt *Fulgentius* Ruspensis, IOANNES II. Pontifex romanus, *Labbeus*, *Du Pin*, apud *Mollerum* de homon. p. 566.
Lib. VII. c. 3. p. 212. *Caietanus & vetusta traditionis parum tenax*, & in Sanctorum lectione parum quoque versatus est.	Atqui Caietanus *defenditur a Card. Sfortia Pallavicino.* Vide la Bibliotheque critique de Monf. *de Sainjore*, (five Simonii) Tome II. 180. & l'Hist. crit. du vieux Testam. 320. 419.
Lib. XI. c. 6. p. 319. Ante hos paucos dies *quadam fabula prodiere*, quarum & auctores & loca adeo longo intervallo distant, ut.	Digitum his verbis tendit *in Epistolas Iesuitarum indicas.*
Pag. 322. *Si cui historico auctoritatem Ecclesia tribuit*, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatem adiungamus.	Hæc *regula infirma* est. C. T. *Buddeus* de criter. boni libri §. 25.
Lib. XII. c. 2. p. 328. *Nulla eius* (Francisci Victoria) *ingenii monumenta mandata sunt litteris.*	Puta, eo tempore, quo Canus hæc scribebat. *Postea* autem *quadam eius prodierunt*, quæ memorantur ab *Oleario* Biblioth. scriptor. eccles. T. I. 261.

Melchior *Canus*, vulgo *Cano*, natus Tarraconæ, dioeceseos toletanæ, in Hispania, Francisci *de Victoria* discipulus, professione dominicanus, & primæ cathedræ theologicæ professor in academia salmanticensi, unus e doctoribus, qui sub PAVLO III. Concilio interfuerunt tridentino, ac postea episcopus canariensis; qua tamen dignitate, quum Pontifici ob sententiam de bello adversus quemcunque, suprema etiam in terris potestate sublimem, pro ditionis defensione gerendo Regi catholico apertam, invisus esset, & ægre ab

ab eo confirmationem impetrare posset, se se abdicavit, contentus honore Provincialis, ad quem ab Ordine suo eligebatur; vir politus & elegans, atque in historia sacra versatissimus, ad hæc utriusque linguæ peritus, criticus, philosophus, & theologus, a suis multum, quin & ab *Hottingero* Bibliothecar. p. 419. laudatus, ut inter didacticos præ aliis Pontificiis sobrius, quique in Concilio tridentino magnam adeptus est eruditionis, iudicii ac prudentiæ famam, tandem obiit Toleti A. 1560. Nic. *Antonius* in Bibliothec. hispan. Aub. *Miraeus* de scriptor. eccles. *Saussay* 34. *Crenius* Method. T. I. 536. & Thesauri volum. II. 488. atque ipse *Canus* in præsente opere p. 327. 458. Fertur etiam scripsisse Iudicium de Iesuitarum secta, item adversus Statutum ecclesiæ toletanæ, quo infecti sanguinis homines ab huius ecclesiæ beneficiis arceantur. Et inter æmulos atque adversarios habuit *Mirandam*.

XXIII.

Pet. COTONI Institutio catholica. Moguntiæ 1618. E bibliotheca G. *Calixti*. Exponitur in ea, ut titulus libri habet, fidei (romano-catholicæ) veritas, & comprobatur adversus hæreses & persecutiones huius ævi, opposita in primis Calvini Institutionibus. In libro I. agit de S. Trinitate, Christo, eiusque matre Maria, Angelis & Sanctis cœlitibus, imaginibus Christi & Sanctorum, reliquiis, peregrinationibus ad loca sacra, & canonizatione Sanctorum. In secundo de ecclesia militante, conciliis, S. Petro, Pontifice rom. & Cardinalibus, S. scriptura, & libris V. T. quos Protestantes habent pro apocryphis, lapsu 3. virorum illustrium (videlicet *Origenis*, *Tertulliani* & *Osii*) cærimoniis, precibus vernacula lingua conceptis, templis, cœmeteriis, sacra supellectili. In tertio de mandatis divinis, eorumque observatione, festis diebus, peccatorum inæqualitate, libero arbitrio, concupiscentia, iustificatione, bonis operibus, consiliis euangelicis, votis, cœlibatu clericorum, corona sacerdotum, tonsura religiosorum, vestitu monachorum, horis canonicis, Breviario, decimis, exemtionibus clericorum, & sacramentis. In quarto de purgatorio, indulgentiis, clavibus ecclesiæ, limbis, inferis, apparitione animarum, prædestinatione, causa peccati, & sempiterna felicitate. Hoc opus primum gallice prodiit, & quidem A. 1610. in latinam autem linguam illud transtulit L. C.

id

id est, Ludovicus *Crasolius* S. I. Vide *Placcium* de scriptor. anon. 18. 125.

Pet. *Coton*, Neronda-gallus, S. I. HENRICI IV. & LVDOVICI XIII. Regum confessionarius, post Collegii burdigalensis rector & concionator, tum Aquitaniæ provinciæ præpositus, obiit 1626. æt. 63. Reliquit etiam Conciones, Apologias pro matre Dei, Epp. de fide cathol. contra Chamierum, Genevam plagiariam, Defensionem Concilii trid. & alia, de quibus videndus *Witte* Diar. biograph. Y Lettre declaratoire de la doctrine des Iesuites à la Reine de France, contre l' imputation de la mertreuse d' HENRY IV. cui statim oppositus fuit l' Anticoton, auctore, ut Ancillon in Melange Crit. P. II. 238. affirmat, Pet. *Molinaeo*. Adde J. Fr. *Mayer*. de script. anon. & pseudon. 92. Et Anticotonum mox excepit Responsio apologetica contra Anticotoni & sociorum criminationes, nec non Confutatio Anticotoni per Andr. *Eudemon-Iohannem*, item Anticotoni Testamentarius codex, & eiusd. Horoscopus. *Placc.* de Anon. 72. 73. *Baillet* in Anti P. I. 135. denique Iac. *Gretseri* Lixivium anonymo fabulatori seu novellanti, qui cædem HENRICI IV. regis Gall. in Iesuitas confert. Vid. iterum *Baillet* p. 144. Ceterum de Cotono legantur *Marcellius* Sap. pacif. 158. *Sauffay* in Continuat. Bellarm. 83. *Perroniana* 20. *Thuanus* ad annum 1604. *Scaligerana* 306. *Compend.* histor. eccles. pro gymnas. gothano P. II. 804. Et Iac. *Cappellus* contra Cotonum edidit Plagiarium vapulantem, seu Genevæ bonam fidem de translatione Bibliorum, Genevæ 1620. itemque Apologie pour les Eglises reformées contre L. Lessius, P. Cotton &c. Sedani 1611.

XXIV.

Agenda Ecclesiæ moguntinensis. Moguntiæ 1599. Cum Catechismo Pet. *Canisii*, in breviorem hanc formam contracto e Summa doctrinæ christianæ, iussu & auctoritate FERDINANDI Cæsaris ab eodem *Canisio* conscripta, atque a Petro *Busaeo*, Soc. Iesu theologo, citatis e SS. Patribus locis illustrata. *Placc.* de Anonym. 173. & *Relat. innoc.* A. 1716. 415. E bibliotheca G. *Calixti*, qui & quædam adnotavit. Edita quoque fuerunt A. 1513. de quibus vener. abbas I.A. *Schmidius* disp. de Agendis p. 24. & 1551. Pag. 5. proponuntur observanda quædam ab iis, qui populum sunt docturi. Vocabulum *all-*



gemeine p. 87. & 121. non exstat in editione anni 1513. neque hæc absolventis verba, *Merita B. Mariæ virginis, & omnium Sanctorum* p. 157. neque consolatio infirmi p. 175. quæ tamen prorsus bona est; neque peregrinantium, eorumque instrumentorum benedictio p. 307. Interim & hic *Catholica ecclesia* redditur eine Christl. Kirche p. 87. & 121. *Merita hominum* respectu vitæ æternæ reiiciuntur p. 159. *Extremæ unctioni* tribuitur, tanquam effectus, sanitatis restitutio p. 174. homo non habens *fiduciam, nisi in misericordia* Dei, proponitur p. 181. Quædam etiam omissa sunt, quæ in priori illa exstabant editione, quæ quidem ego ad finem adnotavi. Verbis hisce in Exhortatione ad extrema unctione utentem p. 159. Scimus, vitam illam, in quam per mortem tanquam per ianuam introimus, cum nulla calamitate & amaritudine coniunctam esse, adscripsit *Calixtus: Quomodo hæc conveniunt cum purgatorio?* Canisii Catechismus editus fuit primum A. 1557. deinde A. 1560. & iterum A. 1567. in quarum editionum ultima non nulla mutata sunt, e. g. Ecclesiæ definitioni, quæ fuerat, quod sit *Cunctorum Christi fidelium congregatio*, adiunctum est, eam sub uno & summo post Christum capite & pastore in terris gubernari. *Launoius* in Epp. p. 774.

Pet. *Canisius*, neomagensis, a Pet. Fabro allobroge, uno in X. primis Ignatii Loiolæ Sociis, in Societatem Iesu adoptatus ob magni simul & placidi animi præstantiam, a Coloniensi ecclesia ad CAROLVM V. Imp. ab *Othone* Card. augustano ad Concilium tridentinum, a CAROLO V. Imp. Wormatiam contra Melanchthonem, a PIO IV. Pont. max. ad Principes Germaniæ in fide romana confirmandos missus, postquam Romæ, atque in Siciliæ & Germaniæ academiis docuisset, diuque apud FERDINANDVM Imp. & passim summa cum laude sanctissimum Dei verbum prædicasset, primus Provincialis Societatis Iesu in Germania ab ipso Societatis auctore, P. Ignatio datus fuisset, scriptisque variis (ad quæ pertinent volumen ingens de Corruptelis verbi Dei pro deipara virgine & Christi domini præcursore Ioanne contra Centurias magdeburgenses, Martyrologium recognitum & auctum, Institutiones christianæ pietatis, Notæque ac Meditationes euangeliorum, festorumque anni dierum) fidem suæ ecclesiæ illustrare studuisset, auspiciis Episcopi vercellensis, *Ioannis Francisci*, Nuncii apostolici, Friburgum sexagenarius venit, col-

legii

legii Societatis fundamenta iecit, multa præclara documenta dedit, fideque, prudentia, abstinentia, gravitate, animi puritate, & flagrantissimo Dei amore clarissimus, naturæ debitum solvit A. 1597. ætatis 77. Nihilo minus in tantis laboribus Ciceronem quotannis assidue legit, eoque eloquentiam sibi, gravi theologo dignam, comparavit, ut sæculi sui Hieronymus audiret. Mortuum laudarunt Matthias *Raderus* & Fran. *Sacchinus*. Ceterum de eo vide, si lubet, *Ribadeneiram* & *Alegambe* in Biblioth. script. S. I. *Miraeum* Elog. belg. 66. *Saussay* Continuat. Bellarm. 38. *Casaubonum* Exercit. VII. n. 1. *Biblioth. Schrader.* P. I. F. 2. Io. *Bonam* Opp. P. III. 434. & *Alssium* in Αναμαςτ. της θεοδοχε 38.

Matthæi PETIDIDIERI Dissertationes historicæ, criticæ, chronologicæ in sacram V. Testamenti scripturam. Tulli Leucorum 1699. Primum in genere de S. scriptura agit, inde ad canonem progressus, eos illi libros asserit, quos nos in numerum reiicimus apocryphorum; porro regulas tradit hermeneuticas; præterea de singulis scripturæ V.T. libris, ac tandem Chronologiam sacram subiungit, & contra *Pezronum*, in rebus chronologicis, textus hebraici calculum versioni LXX. virorum præferendum esse defendit. In X. Differt. multis disputat, cur a Concilio trident. vulgata versio *authentica* elogio insignita fuerit. Vide *Acta erud.* A. 1700. p. 16.

Matthæus *Petididier*, presbyter & monachus benedictinus e congregatione SS. Vitoni & Hydulphi, res harum Dissertationum, in gratiam religiosorum, quorum studia ipsi erant moderanda, excerpsit, ut ipse refert in Præfatione, ex *Morini*, *Waltoni*, *Simonii*, *Capelli*, *Muisii*, *Usserii*, *Pererii*, *Masii*, *Tornielli*, & aliorum scriptis.

Diederici VON STADE Specimen lectionum antiquarum francicarum ex Otfridi, monachi wizanburgensis, libris Euangeliorum atque aliis ecclesiæ christianæ germ. veteris monumentis antiquissimis collectum, cum interpretatione latina. Stadæ 1708. Hoc Specimen debet esse ad instar præambulonis edendi integri voluminis Euangelicorum *Otfridi*, cum Supplementis a Lambecio omissis, & Glossario vocum obscuriorum. Accentus non sunt adpositi, quia non videbantur auctori necessarii esse usus. Confer p. 39.

Diedericus

Diedericus *von Stade*, eo tempore, quo Specimen hoc edebat, septuagesimum annum supergressus, Consistorii regii, quod Stadæ est, per Ducatus Bremæ & Verdæ, secretarius, postea archivarius, pag. 36. promittit Isagogen grammaticam franco-theoticam, Otfridi Euangeliis addendam, pariterque hic & in sequentibus corrigit *Hickesii* Grammaticam franco-theotiscam.

XXV.

Agenda COLONIENSIS *ecclesiæ.* Coloniæ agrippinæ 1637. Est liber pastoralis, in quo continentur quæ, in sacramentis administrandis aliisque ritibus sacris peragendis, ad parochorum & sacerdotum, animarum curam habentium, officium spectant. Sic ergo hic agitur de VII. sacramentorum administratione, & prædicatione verbi, instructione sacellanorum parochialium, vicariorum, altaristarum, ædituorum, ludimagistrorum, ædilium, magistrorum pauperum, obstetricum, benedictionibus & exorcismis ecclesiis, cura fidelium ægrotantium, & moribundorum; & in fine exhibetur Pet. *Canisii* Catechismus parvus, cum praxi catechistica, & Professio fidei catholicæ, latine, germanice, & gallice. Liber hic est etiam e bibliotheca G. *Calixti*, qui & ipse ad p. 48. ubi admonitio post baptismum ad patrinos proponitur, & spiritualis ex baptismo cognatio adseritur, hæc adnotavit: *Videtur spiritualis cognatio primitus introducta, ut moneret patrinos, quod suscepti in baptismo non sint alio loco habendi, quam genuinorum liberorum & agnatorum; atque ita etiam tractandi & curandi.* Notabilia autem & orthodoxa sunt, quæ leguntur p. 44. 103. 108. 111. 162. 170. 298. 301.

Prediche varie del Padre Antonio VIEIRA. In *Venezia* 1703. Sunt Partes III. quarum duæ priores ex hispanico *translatæ* sunt in italicum, tertia autem ex portugallico a P. Annibale *Adami*. Et in Prima quidem Parte conciones sunt de iudicio universali, *Luc.* 21, 25. de stigmatibus S. Francisci, *Matth.* 16, 24. in professione Matris Sororis Mariæ, filiæ Ducis de Medina Sidonia, *Luc.* 1, 57. in exequiis Dominæ Mariæ de Ataide, *Luc.* 10, 42. de Ioanne euangelista, *Io.* 21, 20. de mandato, *Io.* 13, 1.3. in die exaltationis sanctæ crucis, *Io.* 12, 31. de qualitate animi regii, *Matth.* 17, 27. de stigmatibus S. Francisci, *Col.* 1, 24. de sanitatis restitutione ex contactu fimbriæ

fimbriæ veſtimenti Chriſti, *Matth.* 9, 21. In Secunda de V. lapidibus a Davide e torrente electis, 1. *Reg.* 17, 40. in laudem B. Stanislai, *Luc.* 11, 27. in Comitiis Regni, *Matth.* 5, 13. In Tertia de ſanctiſſimo ſacramento, *Io.* 6, 33. de Domina carmelitana, *Luc.* 11, 27. in Quadrageſima tertio die Mercurii, *Matth.* 20, 21. de S. Auguſtino, *Matth.* 5, 16. de adventu Chriſti ad iudicium, *Luc.* 21, 27. in ſecundo auctoris ab Aula ſeceſſu, *Io.* 6, 15. de bono latrone, *Luc.* 23, 42. 43. de mandato, *Io.* 13, 1. 3. de Spiritu ſancto, *Io* 14, 26. de ſanctiſſimo ſacramento, *Matth.* 22, 3. pro fauſtis ſucceſſibus armorum Portugalliæ contra Hollandos, *Pſal.* 43, (44) 27. de S. Antonio, *Luc.* 15, 8. *Matth.* 5. 15. de S. Catharina, ad Vniverſitatem conimbricenſem, *Matth.* 25, 2. in die palmarum, *Matth.* 22, 2. *Io.* 6, 55. *Matth.* 25, 1.

Ant. *Vieira*, hiſpanus, Soc. Ieſu, orator acutiſſimus ac diſertiſſimus, potentiſſimique Regis Portugalliæ a concionibus ſacris, nec in Præfatione immerito vocatus vir magni nominis & valoris, floruit circa annum 1659.

XXVI.

Martini DEL RIO diſquiſitiones magicæ. Lugduni 1604. Editio auctior & emendatior. Sunt tres Tomi, complectentes ſex libros, & ſingulis Tomis ſubiuncti ſunt Indices. Libro primo agitur de magia generatim, & de naturali, artificiali, & præſtigiatrice: ſecundo de magia dæmoniaca, & eius efficacia: tertio de maleficio, & vana obſervatione: quarto de prophetia, divinatione, & coniectatione: quinto de iudicis officio & ordine iudiciario in hoc crimine: ſexto de officio confeſſarii, ac remediis licitis & illicitis. De hoc auctore eiusque opere vide Tob. *Wagneri* præfat. in Io. Iac. Fabri conciones de maleficis, Chriſt. *Thomaſii* Hexen-proceſs 48. & diſp. de Crimine magiæ p. 6. *Cren.* Animadverſ. P. IV. 76. & *Du Pin.* T. XVII. Novæ biblioth. ſcript. eccleſ. p. 37. In libro I. diſſerit etiam de arte aurifactoria, ſtatuitque, verum ea poſſe aurum fieri, factumque a gallo quodam, Arnoldo de Villa nova, Bernardo Treviſano, Raim. Lullio, Ant. Tarviſino, & græculo quodam tempore Anaſtaſii; conſultumque iudicat, ubique ut lex Angliæ promulgetur, Non niſi Principis permiſſu hanc artem exercendam. cap. 5. Diſquiſitiones hæ in gallicanum idioma translatæ ſunt ab Andrea *Du Chêne*,

Petri Dan. HVETII Alnetanæ Quæstiones de concordia rationis & fidei. Lipsiæ 1692. Ex dono Frid. Bened. Carpzovii. Recusus est hic liber Lipsiæ A. 1701. cum Hier. *Osorii*, episcopi algarbiensis, de vera sapientia libris V. quos cum studio recensuit, in sectiones distribuit, & adnotatis scripturæ locis, auctorumque testimoniis ornatiores edidit Io. Georg. *Pritius*, D. & Prof. tunc gryphiswaldensis. Dicuntur Alnetanæ a prædio Alneto, ubi cum Hamelio, viro doctissimo, disputaverat auctor de concordia rationis & fidei. Constant autem tribus libris, quorum primo lex concordiæ rationis & fidei, secundo dogmatum christianorum & ethnicorum comparatio, tertio præceptorum christianorum & ethnicorum ad vitam pie recteque instituendam pertinentium comparatio continetur. *Acta erud.* A. 1692. 145. & *Frauendorf* in Superpond. VI. disputationis de iniqua liberorum expositione.

XXVII.

Paulli LAYMANNI Theologia moralis. Editio altera, *ab ipso* auctore recognita. Monachii 1626. Ex bibliotheca F. V. Calixti, qui nomen adscripsit suum. Prodiit etiam Venetiis A. 1710. Moguntiæ 1654. & Bambergæ 1699. f. Omnia autem eius opera in lucem venerunt III. tomis Lugduni A. 1664. Constat hæc Theol. moralis V. libris, in quorum primo agitur de generalibus moralis theologiæ principiis; secundo de theologicis virtutibus, Fide, Spe, & Caritate; tertio de iustitia & iure, ceterisque cardinalibus virtutibus; quarto de virtute, & statu religionis; & quinto de sacramentis & sacrificio novæ legis. Et hisce libris, ut in titulo dicitur, materiæ omnes practicæ, cum ad externum ecclesiasticum, tum ad internum conscientiæ forum spectantes, nova methodo explicantur. Datur etiam Cassiani *a S. Elia* Theologia *moralis* expurgata, Venetiis 1684. f. qua Propositiones impiæ, ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatæ impugnantur, & quæ illis obiici solent aut possunt, diluuntur ac refelluntur. Vide de ea *Acta erud.* A. 1684. 253.

Paullus *Laymannus*, bipontinus, Soc. Iesu, docuit philosophiam, theologiam moralem & ius canonicum Ingolstadii, Monachii & Dilingæ, suppresso nomine emisit Pacis compositionem inter Principes & Ordines Imperii rom. catholicos, atque augustanæ confessioni

ſioni adhærentes, pugnavit cum benedictino quodam monacho, qui defenſioni romani Pontificis, Cæſaris &c. in cauſſa monaſteriorum oppoſuit Aſtrum inexſtinctum, quod noſter excepit Aſtrologiæ eccleſ. & Aſtri inexſtincti Cenſura, fatiſque conceſſit, teſtibus *Alegambe*, *Miræo*, *Kœnigio*, anno 1625. dum *Wittius* in Diar. biograph. X. 3. aſſignat annum 1635. A *Conringio* in epiſtola ad Henr. Vffelmannum huius libro de Iure, quo homo homini in ſermone obligatur, præfixa):( ):(3. Laymannus noſter laudatur, quod impiæ doctrinæ de licito reſervationum mentalium uſu maſcule reſtiterit, & vocatur Sociorum Ieſu, qui in Germania ſint, in morali omni doctrina verſatiſſimus.

XXIIX.

Ieremiæ DREXELII Opera omnia. Moguntiæ 1645. volumina II. Excuſa etiam ſunt Lugduni 1647. f. Antverpiæ 1650. in 16. multis voluminibus, & A. 1660. f. ac Francofurti 1680. 4. II. tomis. Adaucta hæc eſt editio opuſculis, eorumque præfationibus, & inſtructa Indicibus moralium, locorum ſcripturæ, & capitalium myſteriorum fidei, per Petrum *de Vos*, S. T. L. eremitam auguſtinianum. Primo tomo continentur Conſiderationes de æternitate p. 1. Prodromus æternitatis, ſeu de morte. 48. Tribunal Chriſti 128. Infernus damnatorum 218. Cœlum beatorum. 295. Zodiacus chriſtianus, ſeu de Prædeſtinatione. 396. Horologium auxiliaris tutelaris angeli. 432. Nicetus, ſeu triumphata incontinentia. 483. Triſmegiſtus chriſtianus, ſeu de examine conſcientiæ, cultuque cœlitum, & corporis. 562. Recta intentio. 665. Heliotropium, ſeu de conformatione humanæ voluntatis cum divina. 770. Orbis Phaëthon, ſeu de vitiis linguæ. 890. Roſæ ſelectiſſimæ virtutum, quas Dei mater orbi exhibet. 1145. Secundo autem, Gymnaſium patientiæ ſeu de afflictionibus. pag. 3. Rhetorica cœleſtis, ſeu de oratione. 94. Gazophylacium Chriſti, ſeu de eleemoſyna. 199. Aloë amari, ſed ſalubris ſucci, ſeu de ieiunio. 298. Deliciæ gentis humanæ, ſeu de Chriſto naſcente, moriente, reſurgente. 380. Noë, ſeu de diluvio & arca diluvii, 655. *Ioſeph*, Aegypti prorex. 697. *Daniel*, prophetarum princeps, 771. *Tobias*, morali doctrina illuſtratus. 849. Palæſtra chriſtiana, ſeu de tentationibus. 963. Aurifodina artium & ſcientiarum omni-

um, seu de excerpendi necessitate & modo. 1051. David rex 1131.

Ier. *Drexelius*, augustanus, Soc. Iesu, primum in patria sua Rhetorices professor, postea sereniss. Bavariæ ELECTORIS concionator aulicus, obiit A. 1638. æt. 57. A quibusdam dictus fuit *Seneca sui seculi*. In operibus eius eximiam semper deprehendimus moderationem, scribit *Scheurelius* in Bibliotheca morali. *Kœnig* 261. Von *Rasevviz* Abriß der cathol. Kirche c. 4. §. 61. Certe omnes eius libri, iudice *Morhofio* Polyh. T. I. l. 6. c. 4. n. 15. argumenti practici & sacri meditationibus silvam præbent, & proinde etiam magno studio teruntur, &, si hoc quoque addere licet, terendi sunt. Prodromum æternitatis, seu Artem bene moriendi laudat pius ICtus Io. *Brunnemannus* in Iure ecclesiast. 120.

XXIX.

Concordia Electorum, Principum & Ordinum Imperii, eorumque theologorum, augustanam Confessionem amplectentium, latine. Lipsiæ 1580. E bibliotheca Io. Sauberti, patris. Prodiit etiam in folio. Auctor huius latinæ versionis, est, si Erhardo *Cellio* credimus apud Placcium de Anon. p. 98. Iac. HEERBRANDVS, theologus tubingensis; *Schützius* autem Observat. in orat. Chytræi de Stud. theol. p. 70. tradit, Luc OSIANDRVM Concordiæ librum, specialiter sic dictum, in latinam convertisse linguam. In Præfat b 5. dicunt, se non velle totas ecclesias, quæ vel sub romano Imperio vel alibi sunt, condemnare. Id quod G. *Calixtus* de Tolerantia Reformatorum §. ult. interpretatur de Reformatis in Belgio, Britannia, & Gallia. Et quando b 6. ac 7. testantur, Sibi non esse propositum, hac Formula molestiam aut periculum creare piis, qui persecutionem *hodie* patiuntur, sine dubio intelligunt Reformatos in Belgio & Gallia. Pag. 360. diabolus Christum *tentans* repræsentatur in forma humana, sed cum capite caprino, ore aprino, & ungvibus loco digitorum pedum, cucullaque amictus cum capucio. Ceterum idem ibi conspicitur Christum per aërem rapiens sive vehens in fastigium templi, eumque ibi quasi in turri quadam deponens & constituens. Pag. 585. dicitur ortam esse *inter theologos A. C.* controversiam de cærimoniis: illi autem erant *Pfeffinger*, *Flacius*, *Amsdorfius*, *Westphalus*, *Wittebergenses scholastici*, & *Ienen-*

Ienenses. Notandum etiam, editionem aug. Confess. quæ in latinum hic est conversa, non esse de anno 1531. sed aliam, quæ tempore Lutheri non fuit in ecclesia usitata, Apologiam vero A. Conf. quæ hic exhibetur, translatam esse ex editione anni 1531. si credendum auctori des Anhangs der Ausführl. Behaupt. der verbesserten Augspurgischen Confess. p. 26. 35.

Pag. 1. Symbolum *nicenum.*	Sive *niceno-constantinopolitanum*, quia illud auctius est redditum a Patribus constantinopolitanis. Bened. *Carpzovius* Isag. in libb. symobolic. Lutheranorum p. 57.
2. Symbolum *Athanasii.*	Ita *ex sententia vulgari* adpellatur, qua putatur, ab Athanasio esse confectum. *Idem* 72.
137. Vt *testatur Canon Missæ.*	Post illa verba *omissa sunt sequentia:* Et Vulgarius, scriptor, ut nobis videtur, non stultus, diserte inquit, panem non tantum figuram esse, sed vere in carnem mutari. *Sanbertus* Opp. postum. 137.
281. Missis enim pro animabus, item vigiliis postremo *vulgari septimana*, omnium animarum die irruerunt in purgatorium.	Ea *septimana, qua quotannis omnibus animabus* per varia media a purgatorio liberandis sacra est, & in qua omnium animarum dies celebratur. In germanico vocatur *Gemeinde Woche. Idem* 797.
317. Christus summum & ultimum *ferculum apponit* Ecclesiæ, cum dicit: Dic Ecclesiæ.	*Iudicium concedit.* Leon. *Hutterus* Concord. concordis p. 282. & *Selneccer* sub finem editionis A. 1584.
325. Nam & Alexandriæ, a Marco euangelista usque ad *Esdram* & Dionysium, Presbyteri semper ex se unum eligebant.	Vsque ad *Heraclam* & Dionysium. I. C. *Schramm* Program. de collect. dictor. scripturæ sacræ a theol. allegator. 19.

XXX.

Matth. FLACII liber de Sectis, dissensionibus, contradictionibus & confusionibus doctrinæ, religionis, Scriptorum & Doctorum pontificiorum. Basileæ 1565. Cui subiunguntur Gravamina C. *Nationis germanicæ* adversus Sedem romanam ac totum ecclesiasticum Ordinem, quæ in Comitiis noribergensibus oratori pontificiæ Sanctitatis A. 1523. fuere proposita. Epistolæ dedicatoriæ, qua 4. indicia proponit imminentis diei ultimæ iudiciique extremi, videlicet patefactionem abominationis desolationis seu antichristi, subitam & gloriosam veræ doctrinæ per orbem terrarum propagationem, contemtum tanti thesauri, & denique summam securitatem, & nimium studium terrenorum commodorum, quoque suam cum Strigelio habitam disputationem defendere laborat, subiungitur Præfatio, seu christiana adhortatio ad serenissimum Principem & inclytum Senatum venetum, ad scrutandam inquirendamque ex cælestibus sacrarum litterarum oraculis veritatem in præsentibus religionis controversiis, & antichristi revelatione; ubi dogmata Lutheranorum, & indicia falsitatis doctrinæ pontificiæ proponit, deque Casp. *Contareno* nuntio apostolico memorat, eum in nonnullis capitibus veram Christi doctrinam agnovisse, sed postea revocare coactum, & lento veneno exstinctum, idque ipsum probe sensisse; & Bernardinum *Ochinum*, vocatum Romam, ut de concionibus liberioribus in metropoli Venetorum habitis rationem redderet, amice hortatum esse, ne illuc iret, certissimoque se se exponeret periculo. Modus proponendi ipso in libro hic est, ut auctor primum de totis Pontificiorum ordinibus aut partibus dicat, postea de quibusdam doctoribus, ostendens, tam inter illos, quam inter hosce dissensiones & certamina vigere. Et p. 261. ac seqq. multa adfert testimonia recentissimorum Scholasticorum, sophistarum, & monachorum, contra communionem laicorum sub una tantum specie.

XXXI.

Iac. HEERBRANDI Compendium theol. cum versione græca Mart. *Crusii*. Wittebergæ 1582. Est hæc editio auctior, ut auctor ipse indicat in epist. dedicatoria. Et versio græca facta est rogatu

gatu Ioannis *Zygomala*, & *Ieremiæ* patriarchæ CPtani. In prædicta epistola dedicatoria Crusius Lutherum & Philippum præceptores suos magnis dignisque laudibus celebrat. Tanta huius Compendii in Ducatu würtenbergensi est auctoritas, ut in Ordinatione ecclesiastica (maiore scilicet p.273.) Lectoribus theol. iniunctum sit, illud symbolici libri instar academicæ iuventuti exponere. Et commendatur ob iudicium & rerum soliditatem. *Bibliotheca Schrader.* T. I. O 8.

Iac. Heerbrandus, Genga-noricus, primum diaconus tubingensis, dein theologiæ D. & Marchionis badensis concionator aulicus Pforzhemii, inde in academia tubingensi theol. professor, præpositus, & cancellarius, obiit A. 1600. æt. 80. *König* 384. *Serpilius* in Epitaph. theol. suev. 91. Io. Iac. *Grynæus* in Exomolog. 274. M. *Adamus* in Vit. theol. 668.

Mart. CRVSII Civitas cælestis, seu catecheticæ conciones, e germanico in græcum versæ. Tubingæ 1578. Et quidem ex tempore, in templo, cum recitarentur a Iac. *Andrea*, Theod. *Snepfio*, Iac. *Heerbrando*, Iac. *Dachtlero*, Æg. *Hunnio*, & Io. *Lieblero*. Quibus, appendicis loco, accedunt eiusdem *Crusii* Orationes de officio parentum, de officio liberorum, de academia; Theodosii *Zygomalæ* Epistola de urbe Athenarum, qualis ea hodie sit, & monte Helicone, ac Sim. *Cabasilæ* Epistola de hodierna Athenarum urbe, & lingua hodierna græca.

Mart. *Crusius*, Greberna-bambergensis, utriusque linguæ in acad. tubingensi prof. publ. & Nobilium ephorus, cuius effigies sub finem huius voluminis conspicitur, multa conscripsit, adeo ut sint, qui eum 79. monumenta libraria reliquisse affirment. Ex his præcipue laudantur eius Annales Sueviæ, Turco-Græcia & Germano-Græcia. *König* 226. *Magirus* 248. *Schurzfleisch* de Rebus badensibus §. 1. in Notis, item in Biblioth. Schraderiana P, I. H. 7.

XXXII.

Corpus & Syntagma Confessionum fidei. Genevæ 1654. Nimirum in I. Parte exhibentur confessio Helvetica, Gallica, Anglicana, Scoticana, Belgica, Polonica, Argentinensis sive IV. Civitatum Imperii: in II. Augustana, Saxonica seu Misnica, Wurtenbergensis, Electoris palatini, Bohemica, & Consensus ecclesiarum Maioris & Minoris Poloniæ, Lithuaniæ &c. In fine additur Basileensis cum

Ca-

Canonibus dordracenis, & Cyrilli patriarchæ CPtani, nec non Generalis confessio ecclesiarum reformatarum in regno Poloniæ, Magno ducatu Lithuaniæ, annexisque provinciis, proposita in Conventu thorunienſi A. 1645. & Catholicus (ut vocant) veterum, qui Patres vocantur, ex verbo divino cum iſto Confeſſionum Syntagmate conſenſus. Præfationem libri, ut & Conſenſus catholici ſcripſit Caſpar *Laurentius*, qui etiam de ſacramentis librum emiſit Genevæ A. 1598. Helvetica Confeſſio eſt de anno 1566. & auctorem habet, teſte *Placcio* de Pſeudon. 592. Henr. *Bullingerum*, latinum autem interpretem Rudolphum *Gualtherum*. Baſileenſis eſt de A. 1536. eique adiuncta eſt Mylhuſiana de A. 1532. Gallica Regi CAROLO IX. anno 1561. fuit exhibita. Anglica, quæ etiam exſtat in Apologia eccleſiæ anglicanæ inter opera Io. *Iuelli*, epiſcopi ſarisburienſis, & in *Benthemii* Statu eccleſ. & ſchol. angl. c. 7. edita fuit A. 1562. Scoticana eſt de A. 1568. De Belgica, quæ auctorem habet Guidonem *de Bres*, cumque paucis Miniſtris, interque eos Adr. *Saravia*, & Herm. *Modeſto*, prout refertur in *Epp. praſtant. viror.* p. 295. atque a *Placcio* de anon. 534. & *Clerico* Biblioth. ancien. & moderne T. II. 130. communicata, in Synodo autem dordracena recognita & adprobata, germaniceque verſa, & a Dan. *Sachſio* A. 1671. in 8. edita fuit, videantur *Benthem* in Statu eccleſ. & ſchol. holland. c. 5. *Epiſtola praſtant. viror.* 294. 574. & *Limborch* in Vita Epiſcopii 32. de Conſenſu autem ſendomirienſi *Hoornbeck* ap. Geſſel. P. 2. Hiſt. eccl. 811. *Strimeſ.* peculiari libello, & *Rauppius* L. de Eccleſia 295. Argentinenſis ſeu IV. civitatum, videlicet Argentorati, Conſtantiæ, Memmingæ & Lindaviæ, quæ Ioanni *Sturmio*, ut videre eſt in *Placcio* de anonymis p. 422. minus recte tribuitur, CAROLO V. Imp. in Comitiis auguſtanis A. 1530. exhibita quidem, ſed non recepta fuit. Auguſtana, quæ in hoc producitur volumine, *eſt de* A. 1540. adeoque variata, uti notarunt *Carpzovius* Iſag. 123. & *Rechenberg* in Append. ad Form. Concord. p. 11. De Saxonica, Concilio tridentino A. 1551. oblata, legi poteſt I. C. *Schrammius* in præfat. Synopſ. Corp. doctr. Iul. 24. de Würtembergenſi, nomine Ducis Chriſtophori A. 1552. Concilio tridentino propoſita, quæque etiam legitur in Chytræi Hiſtoria auguſt. confeſſ. p. 415. *Vergerius* in Annot. in Catal. hæret. 34. Bohemica, Baronum & Nobilium regni Bohemiæ, oblata fuit Imperatori A. 1535. Huic ſubiunguntur præfationes

tiones & epiſtolæ in laudem huiusdem Confeſſionis, ſcriptæ a *Vergerio*, *Luthero*, *Melanchthone*, *Bucero* & Wolfg. *Musculo*. Poloniæ Conſenſui adduntur quædam ex Synodo cracovienſi de A. 1573. p. 226. xanſenſi p. 227. wlodislavienſi p. 229. petricovienſi p. 233. wlodislavienſi generali de A. 1583. p. 235. & thorunienſi A. 1595. p. 245. Baſileenſis, quæ poſt Oecolampadium & Myconium, expunctis marginalibus notis, cumque articulis variam in partem tortilibus germanice prodiit, ad fidem autem veterum exemplarium hic revocata cernitur, itidem oblata fuit Imperatori in Comitiis auguſtanis A. 1530. Canonibus dordrechtanis, fabricatis in Synodo eiusdem urbis A. 1619. quorumque illos de Prædeſtinatione, uti obſervat *Ancillon* en Melange crit. P. II. 229. formarunt *Deodatus* & *Tronchinus*, theologi genevenſes, ſubiungitur hic Sententia Synodi de Remonſtrantibus & Approbatio illuſtriſſ. ac præpotentum Ordinum Generalium. De Cyrilli Confeſſione legi poſſunt *Carpzov.* in Iſagoge p 65. & Sam. *Andreæ* im Geſchmack des cathol. manna 194. Fuerat quidem ante hoc Syntagma Harmonia confeſſionum auctore *Salvarto*, ut *Placcius* de Anon. 122. tradit, edita, ſed per varias ſectiones interſecta; hic autem illæ, tanquam corpus integrum repræſentantur, & plures quam in illa editione. Quantum vero tribuendum ſit Confeſſionibus, cum primis Reformatorum, videri poteſt in *Epp.* præſtant. viror. 703. 705. 920. 295. *Dannhaueri* Polemoſophia 70. 73. M. Ant. *de Dominis* l. 7. c. 12. n. 113. & Dan. *Sachs* Append. ad Confeſſ. fid. dordrac. 71. Et Hugo *Grotius* in Epiſt. ad Iac. Laurentium, quæ huius Anatome præmiſſa eſt, ſcribit, pro Confeſſione belgica legendas eſſe *Confeſſiones veterum chriſtianorum*, quæ exſtent in libris eorum apologeticis: pro Inſtitutionibus Calvini, *Commonitorium Vincentii* lirinenſis: pro Cathechiſmo Vrſini, *Catecheſes Cyrilli*: pro Actis Synodi dordracenæ, *Acta Synodorum univerſalium*. Neque tamen de Eccleſiis reformatis ita loquendum, ut de Turcis, docente *Melanchthone* in Conſil. theol. P. I. 583. Immo eos pro fratribus in Chriſto agnovere Phil. *Melanchthon* & Io. *Brentius* in Inſcriptionibus Epp. Calvini a 4. & in Tomo II. Epp. Philippi p. 30. nec non apud Laſitium de Eccleſ. diſcipl. 169. & Ahrah. *Bucholcer* apud eundem 167. 168. Negantque Reformati, ſe aliter credere in corde, quam ore profiteantur. Autor der *Chriſtl. Geſpräche* 2. Wand ersleute 259. *Append. Relat.* quid Eccle-

fiæ reform. in Germ. credant, & quid non cred. p. 2. & Plenior relatio 16. 18. Confessio *bohemica* 194. *Admonitio* neustadiana 27. 96. Theologi *aberdonienses* in Gessellii Hist. eccl. P. II. 723. Quibus adde G. *Calixti* Considerat. scriptor. Colloq. thorun. §. 19. G. *Arnoldi* Hist. eccles. & hæret. P. I. 17. 20. & *Chytræi* Hist. aug. conf. 660. Ex publicis confessionibus, non autem particularium Doctorum scriptis, de doctrina ecclesiarum iudicandum esse, docet auctor *præfat.* huius Syntagmatis sub finem, Dan. *Sachs* in Append. ad Confess. fid. dordrac. 74. auctor *Epistola dedicator.* Consensus veterum catholici * 2. Matth. *Bochart* in Diallact. 10. *Amyraldus* Irèn. 369. *Striemes.* in Defens. Theol. informat. vom Kirchenfriede 155. Philal. *Irenophil.* Untersuchung 9. & *Schlicht.* in Vindic. confessionis Vnitariorum 23. Reformatores autem ab uno extremo in alterum incidisse, prætendit *Colomesius* 775. *Cosinus*, episcopus dunelmensis, edidit de sacris symbolis & præsentia Christi in S. cœna Catholicam Patrum veterum Harmoniam: prodiit etiam Ecclesiæ anglicanæ Disciplina & Politia. Confessionem autem fidei, quam *Nointelius* A. 1674. a Patriarcha subscribendam curavit, non ab armeno, sed homine romano-catholico, compositam fuisse, refertur in *Actis eruditorum* A. 1693. 13.

XXXIII.

Amandi POLANI a Polansdorf Syntagma theol. christianæ. Hanoviæ 1610. 2. volumina. Tractatur in iis lib. 1. de theologia & script. S. lib. 2. de partitione theologiæ, articulis fidei & Deo: lib. 3. de trinitate personarum divinarum: lib. 4. de operibus Dei in genere, & speciatim de internis: lib. 5. de externis in genere, & creatione: lib. 6. de providentia Dei, peccato, lege, euangelio, persona Christi, sacramentis, miraculis, & iudiciis Dei: lib. 7. de ecclesia: lib. 8. de bonis operibus: lib. 9. de vera religione seu pietate, eiusque effectis, subiectis & adiunctis: lib. 10. de virtute morali. Prodiit etiam hoc opus Hanoviæ 1610. Genevæ 1612. & Francofurti 1655.

Tomo I. p. 302. *Si qua* (*Præfatio Bezæ in Iosuam*) *exstat*, eam procul dubio Iesuita (Campianus) non bona fide usurpavit.

Non in Iosuam, sed *ante Commentarium Calvini* in Iosuam. *Crenius* Animadvers. P. XVII. 85.

Aman-

Amandus *Polanus*, Oppaviæ Silesiorum natus, Tubingæ studiis operam navans, ob dictum Rom. IX, 11. ad Lamb. Danæi partes accessit, eiusque sententiam de electione secutus est. Inde Basileam delatus, de voluntate Caroli Zerotini, Liberi Baronis, cuius filium informaverat, ne cogitans quidem tale quidquam, theol. doctor renuntiatus, ac postea professor theologiæ constitutus fuit: quo in munere libros V. T. explicavit, & veræ pietatis, solidæque eruditionis egregia dedit specimina, adeo, ut a Melch. *Adamo* in Vit. theol. p. 806. ornamentum academiæ basileensis vocetur. Non diu autem vixit, sed hinc migravit A. 1610. æt. 49. & orbi erudito reliquit Commentarium in Danielem, Analysin Hoseæ & Malachiæ, Theses Bellarmino oppositas, orationes varias, & Logicam Aristotelico-Ramæam: de quibus vide Melch. *Adamum* l. c. & Thomæ *Hydei* Catal. impressor. libror. biblioth. Bodlei. P. II. 66. Guil. *Forbesius* in Consid. controv. p. 462. appellat eum scriptorem (contra Pontificios) rigidissimum.

XXXIV.

Io. Henr. HEIDEGGERI Medulla theologiæ christianæ. Tiguri 1696. In qua traduntur Loci de theologia in genere, scriptura S. existentia & divinitate Dei, vero & triuno Deo, decretis Dei, creatione mundi, providentia Dei, angelis, fœdere operum, peccato hominis, fœdere gratiæ, oeconomia fœderis gratiæ sub patriarchis, eademque sub lege Mosis, decalogo, lege rituali & iudiciali Mosis, de persona, statu & officio Iesu Christi, oeconomia fœderis gratiæ sub euangelio, gratia vocationis, iustificationis & sanctificationis, constantia fœderis gratiæ, cultu externo, præcipue sacramentis N. Ti, ecclesia, regimine ecclesiæ, & glorificatione. Pag. 427. subiungitur Syllabus controversiarum præcipuarum, quæ orthodoxos inter & heterodoxos agitatæ in Medulla definiuntur. Et hæc Medulla debebat esse Corporis theologiæ, h. e. maioris Systematis, cui auctor operam dabat, prævia epitome. In utroque autem opere, prout in præfatione testatur, *misit & procul amandavit suppetias eas, quæ ex philosophia rixosa & spinosa veteris vel recentioris penetralibus arcessi, & obtorto collo huc rapi solent. Non enim in theologia*, sicut idem porro ait, *angue caret herba philosophica, qualis olim in horto Peripati crevit, & hodie in æmulis*, *cium-*

eiusdem, atque aliis etiam crescit. Theologia moralis (quæ rursus sunt eius verba) *gustum quendam non ex lacunis* Aristotelis, *cuius male sana theoremata ethica ineante nimis in theologiam, alienum certe nidum, a nonnullis invehuntur; sed ex Mosis, amici Dei interioris admißionis, penetralibus in loco peculiari de decalogo Mosis; qua & Politices ecclesiæ lineamenta in loco de Regimine ecclesiæ, dedita opera repræsentavi, quia utramque a recentioribus theologia tractatoribus fere negligi, vel tantum leviter & perfunctorie nimis attingi, non sine theologia defectu quodam,* ὀξυδερκέστεροι seu perspicaciores *observarunt.*

Io. Henr. *Heideggerus*, tigurinus, initio linguam hebræam Heidelbergæ professus est, mox philosophiam; hinc Steinfurti theologiam docuit, & in patriam reversus, Ethicam christianam. Ad monumenta ingenii quod attinet, erudito orbi reliquit tractatum de paschate emortuali Christi, de Aug. confession. cum fide Reformatorum consensu, de Fide decretorum concilii tridentini, de Peregrinationibus religiosis, Historiam patriarcharum, Anatomen concilii tridentini, Tumulum eiusdem concilii, contra Augustinum Reding, abbatem einsidlensem, (de quo vid. Tomus II. *Supplem. Actor erud.* 82.) & Ethicam christianam, ac vivere inter mortales desiit A. 1698. æt. 65. *König* 385. *Acta erud.* 1687. 289.

EIVSDEM Historia papatus. Cum Fran. GVICCIARDINI Dissertatione eiusdem argumenti. Amstelædami 1698. Opposita illa est novissimo Lutheranismi & Calvinismi fabro, id est, Lud. *Maimbourgio*, & tradit historiam ecclesiæ romanæ in doctrina & regimine purioris, inde ab initio, ecclesiæ illius ad tempora Constantini M. seu A. C. 314. usque; eiusdem doctrinam puriorem, circa præcipua, retinentis, at in regimine dominationem affectantis, a Constantino M. ad Phocam & Bonifacium III. seu annum 607. usque; eiusdem dominationem in spiritualibus, indultu Phocæ, & in doctrina ritibusque degenerantis, ad Gregorium VII. seu A. 1073. usque; eiusdem dominationem etiam in temporalibus affectantis, & in doctrina ritibusque in peius in dies vergentis, a Gregorio VII. ad Bonifacium IIX. seu A. 1294. usque; eiusdem dominationem in temporalibus etiam, adeoque cæsareo-papatum adipiscentis, & eundem, profligata doctrina puriori omni, flagitiose exercentis, a Bonifacio IIX. ad Leonem X. seu

ſeu A. 1517. uſque; eiusdem per reformationem ſeu ſeparationem fidelium, ſuæ in ſpiritualibus & temporalibus dominationis cladem graviſſimam patientis, a Leone X. ad Concilii trid. finem, ſeu A. 1563. uſque; denique eiusdem per decreta falſæ fidei, & anathematiſmos tridentinos in errore obfirmatæ, & cum vera Chriſti eccleſia fraude & vi continue decertantis, a tempore finiti concilii tridentini uſque ad noſtra tempora. Hic liber primum editus fuit ſub nomine Nicandri *ab Hohenegg*, ut indicat *Placcius* de pſeudon. 364. Exſtat etiam gallice, impreſſus Amſtelædami 1685. 12. Theod. *Simon* libellum vulgavit de Statu & religione propria papatus. Lugduni Bat. 1638. 8.

Fran. *Guicciardinus*, florentinus patricius, & Leonis X. R. P. a ſecretis conſiliis, obiit A. 1540. ætat. 60. *König* 370. *Magirus* 411. *Pope-Blount* 551. *Richer*. Hiſt. conſil. l. 4. p. 150. *Schurzfleiſch* Epp. arcan. T. I. 614. *Whear* 100. *Gren*. Tom. I. Methodor. 567. & T. III. 364. ſcripſitque XX. libris Hiſtoriæ italicæ res ab A. 1464. ad 1532. uſque geſtas, quos Cœl. Secundus *Curio* latinitate donavit. Eius autem Hiſtoria papatus, in Hiſtoriarum libri quarti impreſſis exemplaribus mala fide omiſſa, ex autographo florentino nobilis cuiusdam florentini conſanguinei, una cum Paralipomenis non nullis aliis reſtituta, hic exhibetur.

XXXV.

La Theologie chretienne par Benedict PICTET. a Geneve 1708. Dono auctoris. In præfatione diſſerit ille de excellentia & utilitate theologiæ, negligentia diſcendi ea, quæ pertinent ad religionem, & frivolis rationibus, quas negligentes illi adferunt, de cauſſis errorum, & mediis inde ſe liberandi aut præſervaudi, ac denique de methodo hoc in opere obſervata. Enim vero auctor proponit res quam poteſt populariſſime & clariſſime, reſpondet ad argumenta contraria, ſententias ſuas ſtabilire nititur auctoritate Patrum, & ad uſum transfert, quidquid legit & obſervavit in aliis eruditorum libris. Ordinem hunc tenet, ut agat de Dei exiſtentia, ſcriptura S. eiusque verſionibus, Trinitate perſonar. divinarum, creatione mundi, ſtatu integritatis & peccati, providentia, & decreto electionis, Chriſto & fœdere gratiæ, vocatione, iuſtificatione glorificatione, eccleſia, & ſacramentis. Eſtque hæc

 editio

editio altera, priore longe auctior & emendatior. *Acta erudit.* A. 1702. 72. & *Nouvelles de la Rep. des lettres*, A. 1708. P. I. 512. Si autem de Lud. *Crocii* Locis theol. dixit *Carpzovius* in Hodeget. pat. explicat. eos esse in Reformatorum classe omnium accuratissimos, sine dubio de hisce, si eos vidisset, idem pronunciasset. Brevi sequetur Tertius tomus huius Theologiæ, sicut Auctor superiori anno (1718) ad me scripsit; isque seorsum vendetur pro iis, qui priores duos iam possident.

Benedictus *Pictetus*, pastor & professor theol. in ecclesia & academia genevensi, vir apprime doctus, &, quæ magna theologi laus est, moderatus, pacisque & concordiæ amans, adhuc floret, & utrique cathedræ magno est decori. Præter alia edidit Synopsin controversiarum, laudatam *Chladenio*, celebri doctori wittebergensi, ob constitutas VII. classes Pietistarum. Vide *Famam* eruditam, (die Gelehrte Famam) Tomo II. 647.

XXXVI.

Hier. ZANCHII de Tribus Elohim, æterno Patre, Filio & Sp. S. uno eodemque Iehova libri XIII. Neustadii Palatinorum 1600. Librum hunc scribendi provincia data fuit Zanchio a FRIDERICO Electore palatino, occasione Thesium Albæ Iuliæ disputandarum & Heidelbergam missarum, quæ etiam refutantur lib. V. c. 8. Duæ sunt huius operis partes, in quarum priore adstruitur sententia orthodoxorum, posteriore refutantur obiectiones Vnitariorum. Doctrinæ vero summa hæc est: Vnum tantum esse verum & æternum Deum, tribus Elohim seu personis vere distinctum, Patre, Filio & Spiritu S. quorum quisque ita sit Deus Iehova, ut non multi tamen sint Iehovæ, sed omnes simul unus tantum Iehova. Sunt, qui primum, inter scripta Zanchii, huic de Tribus Elohim tribuunt locum. Et CL. V. Iacob. *Usserius* in Differt. de Ignatii Epp. c. 15. (quæ Cotelerii Patribus apostolicis subiuncta) p. 221. eum propterea vocat fortissimum assertorem. In Epistola dedicatoria Partis I. sequentia tractantur argumenta: Magnam esse hominum, cum in aliis plerisque omnibus rebus agendis, tum maxime in eo studio deligendo & persequendo, in quo suam quisque gloriam & felicitatem consistere iudicet, vanitatem, stultitiam, insaniam: qui Christi deitatem oppugnent

gnent, omnium esse insanissimos; Christum verum esse deum: qui vere Christum ament, eos non posse non fateri, Christum esse verum deum: antichristos œstro ambitionis inanisque gloriolæ incitari ad pertinacem veræ Christi deitatis oppugnationem: neque blasphemiæ, neque idololatriæ crimen metuendum esse iis, qui Christum verum esse deum prædicent, & pro tali colant: nihil tutius, quam Christum agnoscere & colere pro vero deo: neminemque posse Christum nimium honorare. In II. autem Partis, quæ post pag. 464. sequitur, Epistola dedicatoria: Christum, nisi verus deus sit, firmum ecclesiæ fundamentum esse non posse: ruinamque ecclesiarum orientalium venisse ex fundamenti huius per Ebionem & Samosatenum, deinde per Arianos, tandemque per Mahumetem concussione.

In Præfat. in I. Partem d. Quum refutarem *Lælii* Socini impiam Interpretationem in primum caput Euangelii secundum Iohannem, subticui eius nomen.	Illa interpretatio est *Fausti* Socini, qui Lælium habebat patruum. *Sandius* Biblioth. antitrinitar. 23. 65. Io. *Moller* de homon. 723.
Lib. V. cap. IIX. p. 324. Idem (Ignatius) in Epistola ad Magnesios ait de Christo, filio Dei: Ος εστιν αυτου (θεου) λογος, ου ρητος, αλλ ουσιωδης· ου γαρ εστι λαλιας εναρθρου, αλλ ενεργειας θεϊκης ουσια γεννητη. Qui (Filius) est ipsius (Dei Patris) λογος, non prolatitius, sed substantialis. Non enim est soni, seu vocis articulatæ prolatio, sed *efficacitatis divinæ essentia genita.*	Ignatio hoc est *suppositum*, secundum sententiam *Vsserii* l. c.
Ibidem. Sic etiam apud Theodoretum Hist. lib. I. cap. 12. *Patres concilii Nicæni passi sunt dici,* Filium esse ουσιας γεννητην,	Non id dictum ex nicæni Concilii vel sententia vel permissione, sed *ex Eusebii cæsariensis ad Arianos*, quibus cum ille syncre-

essentiam genitam.

syncretismum fovere volebat, tum scribentis *epistola*: idque in Theodoreti Historia simpliciter fuit recitatum. *Usserius* l. c.

XXXVII.

Defensio Admonitionis neustadianæ contra Apologiæ erfurtensis sophismata & cavillationes, scripta ab aliquot STVDIOSIS THEOLOGIÆ in schola neustadiana. Neustadii Palatinorum 1586. Scriptum hoc oppositum est non tantum sententiæ de generali corporis Christi ubiquitate, sed & alteri, de restricta, seu multiquitate, aut, ut alii loqui amant, multivolipræsentia, quo corpus Christi sine mole, extensione, & expansione sit multis in locis, nempe ubi vult, & ubicunque S. cœna celebratur, & ubi se esse verbo testatur expresso. Auctor huius Defensionis videtur esse Zach. *Vrsinus*, quippe qui & ipsam Admonitionem neustadianam scripserat. Per apologetas autem erfurtenses intelliguntur Timoth. *Kirchnerus*, Nicol. *Selneccerus*, & Mart. *Chemnitius*. Et notandum, IV. capitis Apologiæ erfurtensis refutationem hic omissam esse, quod ea, quæ ibi tractantur, non ad Neustadianam admonitionem, sed ad Theologos anhaltinos, qui & refutationem germanico scripto edidere, pertinerent.

Antonii ARIMATHÆENSIS Isagoge, monstrans usum veræ & salutaris doctrinæ de Invocatione Iesu Christi, contra Ægid. *Hunnii* Theses de Invocatione Dei vera, & Sanctorum idololatrica. Neustadii in Palatinatu 1586. Refutantur simul plurimæ theses Confessionis, serenissimis Hassiæ Principibus ab eodem *Hunnio* exhibitæ. M. Io. *Nebelthauius* Præfationem præmisit, qua statum controversiæ ait esse hunc: An humana Christi natura, per realem communicationem, sit facta omnipotens, omnipræsens, omniscia, & propterea adoranda? Isagogen negare, Theses Hunnianas autem affirmare. Sub Antonii vero Arimathæensis nomine latet Ioseph. GRABIVS, auerbacensis, gymnasii bremensis professor, ceu Christoh. *Pezelius*, & Gerh. *Meierus* indicant apud *Placcium* de pseudon. 74.

Theod,

Theod. BEZAE & Ant. FAYI Theses theologicæ. Genevæ, 1586. Continetur in iis methodica locorum commun. S. theologiæ epitome, & tractatur etiam de singulis decalogi præceptis, & petitionibus orationis dominicæ, quibusdam articulis Symboli apostolici, & consubstantiatione. In epistola dedicatoria probare studet *Fayus*, disputationes a theologis non esse alienas, & ostendit, quænam sint fructuosæ.

Ant. *Fayus*, dunensis gallus, theol. professor genevensis, edidit Commentaria in Ecclesiasten, epistolam ad Rom. in I. ad Titum, & in psalmum 49. & 77. mortemque cum vita commutavit A. 1616.

Achillis CLAVIGERI veronensis Satyra in novam discordem Concordiam bergensem. Lugduni Batavorum 1582. Est carmine heroico scripta, nec liquet de vero auctoris nomine.

Reinholdi MARCANI westvali Conquestio de quibusdam nunc theologis, rhythmis expressa. Lugduni Batavorum 1592. Tanguntur autem Patres, uti auctor eos vocat, bergenses, qui acuant Principum enses contra Sacramentarios, quia nolint profiteri, in pane clausum teneri, & cum hoc in os ingeri, simulque dentibus teri corpus Christi, quum mysticæ participantur epulæ; sed dicant, ut panem ventre, sic Christum accipi mente; animam, tanquam spiritum, non pasci nisi Spiritu nos sociante capiti membra Deo & homini: tum quod audeant negare, Christum corpus suum dare, hoc est, se communicare, & se his insinuare, qui sine pœnitentia perstantes in malitia, destituti fiducia, cum prava conscientia sacram synaxin adeunt, & cibum hunc percipiunt: præter hæc illis tertium imputari flagitium, quod obstinate recusent ponere in veritate, quod Christi sit humanitas ubique ut divinitas, in cœlo quodam æterno, in mari, terra, inferno, in pomis, herbis, gramine, avena, fœno, stramine, in omni, ut senex doctor, pretiosus reformator, scripserit, pane, & cantharo omni cerevisiario; sicut olim male sani docuerint Eutychiani. Nomen autem prædicti auctoris est confictum.

XXXIIX.

Iacobi AD PORTVM Orthodoxæ fidei defensio, adversus Christoph. *Osterodii* Institutiones religionis christianæ, Genevæ 1613.

1613. Ad duas autem partes omnia, quæ in Catecheticis illis institutionibus tractantur, revocat, scilicet ad doctrinam de Scriptura, & de fide eiusque obiecto, & verba adversarii germanica fideliter, & quantum fieri potuit dilucide, in latinam transfert linguam. Et aggressus quidem est auctor opus hoc, quum adhuc studiis operam daret in Belgio, suasu doctorum & piorum aliquot virorum, continuavitque & perfecit professioni admotus, sicut ipse scribit in epist. dedicatoria; ubi etiam morosam illam invidiam, & arrogantem ac superbam *αὐθάδειαν* perstringit, qua nonnulli aliorum scripta vellicant & arrodunt, &, quantum in se est, opprimunt, etiam ante, quam legerint.

Iacobus *Ad Portum*, bernas, theol. in academia lausannensi professor, floruit sub initium sæculi XVII.

Roberti BARCLAII Theologiæ vere christianæ Apologia. Amstelodami 1676. Est hic liber compendium theologiæ Tremulantium seu Quackerorum, constans XV. Thesibus, quarum singulis subiungitur exegesis. Ab auctore scriptus est anglice, mox autem ab aliis translatus in belgicam, germanicam, & gallicam linguam. Ant. *Reiserus* in Antibarclaio, Georg. *Keith* in Vexillo Quackerorum (de quo vide *Acta erudit.* A. 1702. 391.) D. Frid. Ern. *Meissen*, testibus Relat. innoc. A. 1715. 549. & *Holzhusius* in Antibarclaio germanico eum oppugnarunt quidem; sed contra Reiserum sui defensionem molitus est auctor, attamen non perfecit.

Rob. *Barclaius*, scotus, a Reformatis transiens ad Quackeros, fere primus eorum theologiam in ordinem redegit, & in Præfatione profitetur, se Scholasticorum non modo non admiratorem & imitatorem esse, sed contemtorem & adversarium, & quæ scripserit, non tam ex capite, quam ex corde expromsisse, quæque animæ suæ auribus audiverit, internis oculis viderit, & manus ipsius contractarint de verbo vitæ. Iudicia de eo legi possunt apud *Arnoldum* Hist. eccl. & hær. P. II. l. 17. c. 20. §. 9. *Crosum* Hist. Quacker. 183. 192. 347. *Fechtium* præf. in Dorschei Comment. in ep. Iudæ d. & Io. *Mollerum* P. II. Isag. in Hist. cimbr. 120.

XXXIX.

Sibrandi LVBBERTI de Iesu Christo servatore libri IV. contra

contra Faustum Socinum. Leovardiæ 1617. Editio auctior & emendatior. Exhibetur hic pariter ipsa *Socini* cum Coveto (parisiensi, ministro verbi euangelico Vide Socini opera T. II. 118.) disputatio. Propterea autem Socini hunc librum sibi refutandum sumsit auctor, quod extranei hostes & falsi, ut vocat, fratres eum esse irrefutabilem iactabant. Sed vide, inquit *Episcopius* in Bodechero ineptiente cap. 3. quid collega Lubberti, Ianus *Drusius* de hoc facto edendi Refutationem cum libro adversarii iudicaverit. Nimirum *plures f. l. i libri Socini lectione, & parum accurata eius confutatione Socinianos brevi tempore factos fuisse, quam multis ante annis per ceteros libros eorum facti fuerint. Nec mirum:* (uti idem addit) *qui enim argumenta adversarii sui, cum nervis suis omnibus vibrata ac torta, valide non retorquet, is proponendo illa plus obest caussæ suæ, quam confutando prodest.*

Sibrandus *Lubbertus*, Langoworda-frisius, Valentini Schindleri, qui tunc professor erat wittebergensis, Zach. Vrsini, Bezæ, Fran. Porti, & Is. Casauboni discipulus, primum pastor emdanus, deinde pastor & sumtis honoribus professor franekeranus, multis sibi scriptis celebritatem apud suos acquisivit, (scripsit enim contra Epistolam Iac. *Arminii*, &, qui eam defendere conabatur, Pet. *Bertium*, item adversus Conr. *Vorstium* & *Grotii* Pietatem Ordinum Hollandiæ; edidit quoque Commentarium in Catechismum palatinum, & Antibellarminum) & acriter in concionibus taxavit vitia, ideoque regimen academiæ, quia studiosi illis valde dediti erant, plus una vice recusavit, tandemque obiit A. 1625. ætatis 69. Sixtin. *Amama* in Orat. funebri, in honorem ac memoriam Lubberti habita, & *Episcopius* in Bodechero ineptiente cap. 4. ubi eum depingit, tanquam compendia aliorum scriptorum facere amantem.

Casp. BARLAEI Bogermannus ἐλεγχόμενος. Lugduni Batavorum 1615. Est examen epistolæ dedicatoriæ, quam suis ad Pietatem (Grotianam) illustrium Ordinum Hollandiæ ac Westfrisiæ notis præfixit Io. Bogermannus, ecclesiastes leovardiensis. In eodem diluuntur crimina, Erasmo Roterodamo a Matthæo *Slado* impacta.

Caspar. *Barlæus*, antverpianus, med. doctor, philosophiæ professor amstelodamensis, philosophus & poëta præstantissimus, quamquam a Batavis ipsis non magni æstimatus, ingenium fœcundissimum & festivissimum habuit, in elegia, scazonte & phaleucis mire suavis & argutus, in epico carmine luxuria nimia pene molestus, condiditque Orationes, Epistolas, Poëmata, Res Mauritii Nassoviæ Comitis in Brasilia per octennium gestas, disput. de Intelligentiis, & alia; misero autem tandem fato periit: nam vi morbi sibi persuadens, se totum stramineum esse, ideoque maxime ab igne, ne in flammas verteretur, sibi cavens; aucto demum morbo, in puteum se dedit præcipitem, atque ita vitam finivit, anno 1647. *Witte* Diar. biogr. XX 3 *Morhof* Polyh. T. I. 324. *Patin* in Epp. ad Sponium p. 105. *Pope-Blount* 1033. *Grævius* Præfat in Florum, *Schurzfl.* Epp. arc. P. II. 229. & *Boysen* disp. de apostas. suspectis p. 35.

XL.

Is. CASAVBONI Exercitationes in Card. Baronii Prolegomena, & primam Annalium ecclesiast. partem, quæ agit de Iesu Christi nativitate, vita, passione & assumtione. Genevæ 1663. Ibidem etiam prodierunt A. 1654. & 1655. quæ tamen una est eademque editio; & Londini 1614. f. quam editionem *Colomesius* p. 448. & *Cren.* P. IX. Animadv. 215. & Dissert. I. de Furib. librar. 27. pro optima agnoscunt. In hoc opere, ad quod scribendum hortati eum sunt Iac. Aug. *Thuanus*, *Pithœi*, & Nic. *Faber*, refutat auctor Baronium a N. C. usque ad annum 34. inclusive. In epistola dedicatoria docet, veritatis a Deo manifestatæ eam esse naturam, id fatum, ut cum vinci ab hostibus suis nequeat, carere tamen non possit hostibus; hinc enim novarum opinionum esse auctores, illinc præposteros falsæ & fictæ antiquitatis defensores: opus reformationis non sine Numine fuisse susceptum, sique Pontifex, quod sui erat officii, observare, & abusus seu corruptelas, quæ irrepserunt, tollere voluisset, non fuisse secuturam istam ecclesiarum scissuram: Pontifices rom. nimium sibi arrogasse contra Reges ac Principes: illam esse veram fidem, quæ semel fuit tradita, doctrinam autem pontificiam esse novam: *Baronium* omni studio id egisse, ut novitates emendicato antiquitatis pallio obtegeret, & immensæ Pontificis potestatis patronum ac defensorem ageret: attamen non tam conditori

An-

Annalium, quam ipsi Pontifici & rom. Curiæ culpam depravatæ historiæ adscribendam: hocque opus rudi cogitatione in Gallia propositum, in Anglia autem IACOBI Regis auspiciis & præsidiis scriptum esse. In Prolegomenis amplum fert iudicium de Baronii Annalibus, cumque historiographi officium in his tribus fere sit positum, Diligentia, Iudicio, Fide, diligentiam ait in eo minime desiderari posse, sed eam interdum esse nimiam, dum omnia trahere velit ad suum propositum; adhibere etiam non nunquam iudicium in scriptorum delectu, sed alibi eius oblivisci, & nubem pro Iunone, ac spurios libros pro genuinis acceptare; denique fidei laudem ei neque adimi, neque tribui sine exceptione posse. Esse etiam maledicum, & horrenda in Protestantes convicia passim iacere: eundem in chronologia non nunquam errare: neque vel hebraici, vel græcæ litteraturæ notitia præditum esse, doctrinam autem Principibus funestam omni studio proponere; ideoque non sine magno periculo eius Historiam in manibus iuventutis aut coruptorum superstitione lectorum versari. Aliorum hoc de opere iudicia qui nosse cupit, adeat *Scaligerana* p. 83. *Spizel.* Infel. literat. 888. *Heideggerum* in Vita I. L. *Fabricii* 140. *Colomesium* 448. *Sagittarium* Introd. in Histor. eccles. 309. *Parrhasiana* P. I. 237. *Clericum* Biblioth. chois. T. XIX. 229. *Morhofium* Polyhist. T. III. l. 4. n. 12. C. *Thomasium* in Cautel. circa Præcogn. Iurisprud. eccles. 21. Tomum III. *Supplem.* Actor. erudit. 396. I. *Mollerum* ad Sarpii & Casauboni mutuas epp. §. 5. *Crenopulum* in Censura eclogar. Mayeri 67. Quibus adde *Casauboniana* 8. & *Casauboni* Epp. p. 680. 694. 697. 700. 704. 707. 709. 728. 730. 751. 898. 1053. 1057. Rich. *Montacutio* a serenissimo Rege IACOBO impositum fuit munus pertexendi telam, a Casaubono cœptam, qui & hunc in finem Analecta ecclesiast. exercitationum scripsit, de quibus videatur *Sluter* in Propyl. hist. eccl. 33. Adversarii autem Casauboni erant Heribertus *Rosvveydus*, Andr. *Eudæmon-Iohannes*, & Iul. Cæsar *Bulenger*. Primo & ceteris opposuit Iac. *Cappellus* Vindicias, secundo Io. *Prideaux* Defensionem Casauboni, & tertio Richard. *Montacutius* Antidiatribas. Edidit quoque Sam. *Basnagius* historico-criticas de rebus sacris & eccles. Exercitationes, in quibus Card. Baronii Annales ab A. 35. in quo Casaubonus desiit, expenduntur; eæque recensentur in *Actis erud.* A. 1692. 155. Vide etiam *Clarmundi* Einleitung 200. De erroribus Casauboni

ni habemus observationes *Menagii* & *Crenii*, quorum ille Menagianorum T. II. 177. scribit, Casaubonum voluisse Baronium reprehendere propter errores commissos, ipsum vero minori in spatio magis esse lapsum, legendamque de eo *Baylii* præfationem speciminis Dictionarii critici, & ipsius Casauboni de festo Epiphaniæ commentationem; hic Animadv. P. III. p. 76. ex *Maussaco* adnotat, multa in Exercitationibus illis legi, quæ miram properantiam arguant, & p. 78. narrat, magnum & ingenuæ veritatis virum sibi olim aperuisse, Casaubonum materiam suis parum æquam viribus sumsisse, dum Exercitationes has scriberet, nec satis instructum accessisse. Hæc autem, quæ retulimus, non ita accipienda sunt, quasi per ea celeberrimo viro laus eruditionis atque industriæ adimatur, sed inde colligendum, nihil esse inter insignia etiam & laudatissima scripta ab omni parte perfectum, cumque magni etiam viri lapsi sint, non debere nos ex iis idola facere, aut maiora viribus nostris onera subire.

Exercit. I. num. 5. p. 44. *Baal Aruk*, ut observat doctissimus *Drusius*, putavit (Herodianos) fuisse Græcos, nescio unde e deserto ab Herode abductos.	Non Baal Aruch, sed *Drusius*, *e columbis faciens Græcos*, ex errore ita putavit. *Dilherr.* Disp. T. II. 316. Io. *Saubertus* P. I. de sacerdotio Ebræorum c. 25. *Crenius* Animadverf. P. V. 120.
Num. XIII. p. 88. Epiphanius scribit, Mariam Iosepho esse traditam, κληρων εις τυτο αναγκασαντων αυτην ηκειν, quum iura hereditatis, quam possidebat, eo ipsam adegissent: significat enim, *Mariam fuisse virginem επικληρον, cui hereditas obtigisset.*	In illis verbis nihil videre queo, præter *præstitutam a providentia divina, quæ falli nequit, sortem, qua Iosepho coniuncta est.* Nec de hereditatibus, aut earum iure locus ullatenus est capiendus. Vnde & recte sane Dionys. *Petavius* vertit: *Quo illam sortis necessitas adduxerat.* Io. *Seldenus* de Succession. in bona defunct. c. 18. p. 61. *Colomesius* 620.
Num. XXXIIX. p. 117. Matthæi cap. primi undecimum ver-	At *sic etiam habet Varia lectio.*

Contra-

sum *refingit* totum Maldonatus iesuita, ut nascentia dubia e Vulgata versione tollat.

Exercit. II. Num. X. p. 163. Magos Arabum, quod meminerim, *nullus scriptor Graecus, nullus Latinus* commemorat.

Contrarium testantur Vossius Differt. I. de Natali Christi, th. 27. & Vincent. *Fabricius* Epp. p. 419.

Exercit. XVI. num. IIX. p. 402. *Rabbinis, ubi a verbis venitur ad res*, aut ad historiam, vel *rerum antiquarum veteris populi explicationem*, nisi falli ac decipi volumus, *nihil admodum est fidei habendum.*

Pronunciato isti in omnibus non aque subscribo: nam fidei mysteria sane ex Talmude non sunt discenda; nec diffitendum, Rabbinos interdum metachronismos committere; at rerum antiquarum veteris populi explicationem a Talmudistis petere *immerito vetat Casaubonus*, & longe aliud laturus erat iudicium, si tantopere in hebraicis literis, ac in græcis & latinis, profecisset. *Wagenseil* Prolegom. in Tela ignea satanæ p. 66.

Num. XXI. p. 428. Huius (Gamalielis scripta, quia hodie nusquam fortasse extant, *commentitia* tamen *non meliore iure a* Baronio *appellantur, quam nominaret aliquis commentitios* libros Papiniani Responsorum, vel Pauli ad Sabinum, vel *Marciani ad Edictum*; quorum hodie nihil extat *præter paucas sententias*, in Pandectas Iustiniani relatas.

Manca παραβολὴ, *(comparatio) illa est:* nam *nec* Marcianus *librum ad Edictum composuit: e singulis decem & novem Responsorum* Papiniani *libris collecta fuerunt sententia*, & *e libris* Pauli *ad Sabinum sexdecim multa leges in Pandectis decerpta leguntur.* Iac. *Maussacus* ad Plutarchum de Fluminibus, apud Crenium Animadverf. P. III. 76.

Num. XXIII. 434. Ex quo Latina Versio Trident. facta est authentica, *& pretium Hebraica*

Nubem *dissentientium inter ipsos Romano-Catholicos Doctorum* adduxi in Controversiis cum Pon-

veritati est ademptum.	Pontificiis p. 8.
Num. XXIV. p. 436. Secundum anagogen, pedum ablutio de affectuum purgatione, & eius, quem Theologi nominant fomitem peccati, etiam in electis *post peccatum* remanentem.	Videtur esse error typographi, scribendumqve hoc modo: *post baptismum.* *Crenius* Dissert. I. de furib. librar. p. 33.
Num. XXVI. p. 439. *Raro factum*, ut quini uno in lecto accubarent.	*Minime raro.* C. S. *Schurzfleisch* Epp. select. p. 549.
Num. XLII. p. 477. *Vt testatur Socrates*, pleræque omnes orbis terrarum ecclesiæ, & *bis diebus* (*feria quarta*, & *sexta*) & sabbatis etiam ad synaxes conveniebant, in quibus mysteria celebrabantur.	*De Sabbato* id quidem testatur Socrates *lib.* V. Hist. eccl. *cap.* 22. sed non de quarta & sexta feria. *Petavius* in Animadv. ad Epiphan. p. 350.
Num. LXXVII. p. 538. Moses Maimonides in opere *Iad*, quod *instar est Commentariorum in præcepta quæ affirmantia, quæ negantia.*	*Iad Chasakah.* Est compendium pandectarum *talmudicarum.* I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. 840.
Num. CXXXIIX. p. 640. Neque facit ad rem Maldonati acumen, qui ἐπιστρέψας exponit per *rursus. Verissima enim est interpretatio Theophylacti:* ἐπιστρέψας, τουτέστι, μετανοήσας.	Sed *neque hæc interpretatio displicet Maldonato.*
Num. CL. p. 668. Dionysium areopagitam illum ipsum esse, cuius habetur mentio in Actis, *omnes* opinor, scriptores pontificii acerrime tuentur.	*Multi in contrarium* adducuntur a *Crenio* P. IX. Animadvers. p. 215.

XLI.

Dav. BLONDELLI Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes. Genevæ 1628. Exhibentur hoc libro Epistolæ decretales, Pontifi-

Pontificibus rom. suppositæ, a CLEMENTE usque ad papam DEVS DEDIT, seu annum 614. cum Censura sive notis Blondelli. In Prolegomenis docet Blondellus, Isidorum hispalensem non fuisse Decretalium collectorem: nec fuisse ante annum Domini 760, nec illum collectorem fuisse hispanum, sed germano-francum, vel gallo-francum: quo consilio decretalium Epp. collectioni *Isidori, Mercatoris* nomen præfixum fuerit: ceterum materiam epistolarum, consulatuum consignationem, vulgatæ versionis frequentem usum, identitatem stili, & sermonis sordes non convenire prætensæ ætati illarum Epistolarum. *Magirus* 484. *Moller* de Homon. 588.

Isidorus, Mercator dictus, nunquam fuit in rerum natura. Collectio autem seu confictio istarum Epp. a *Blondello* tribuitur Benedicto levitæ, a *Cavio* autem Riculpho. *Placc.* de pseudon. 398. 400. *Blondellus* in Ep. dedicat. *Compend.* Histor. ecclesf. pro gymnasf. goth. P. II. 205. I. *Moller* de Homon. 591. *Cren.* de furib. librar. 33.

Fran. *Turrianus*, legionensis, iesuita, graece eruditus, & antiquitatum valde peritus, græcorum theologorum, ut Nili, Maximi, Diadochi, Theodori Abucaræ scripta in lucem restituit. Pugnavit etiam contra Ant. *Sadelem*, fecit, ut festum præsentationis B. Mariæ deiparæ a SIXTO V. restitueretur, & vivere inter mortales desiit A. 1584. *König* 822. *Sauss.* 52. *Colomes.* 711. *Perroniana* 378. & ipse *Blondellus* noster in ep. dedicat. ac præfat. hunc in librum.

Dav. *Blondellus*, in Campania Galliæ natus, Hist. ecclesf. in gymnasio amstelodamensi professor, qui more *Cuiacii* in terram pronus litteris operam dedit, vir eruditissimus, sed suæ interdum parti supra æquum addictus, nimisque longis parenthesibus usus, reliquit Apologiam pro sententia S. *Hieronymi* de episcopis & presbyteris, tractatum de Primatu in ecclesia, de Sibyllis, de formula *Regnante Christo*, de Eucharistia, & obiit Amstelodami A. 1655. æt. 64. *Kœnig* 115. *Magirus* 313. *Pope-Blount* 1012. *Morhof* T. III. Polyh. 102. *Ancillon* Mel. crit. T. I. 406. *Critopulus* in Censura Eclogar. *Mayeri* 66. *Cren.* Animadv. P. XVI. 252. 260. 263. *Heivvich* de Ordinat. presbyt. 205. Nat. *Alexander* in Veielii Differt. isag. 170. *Ittig* Differt. de Patrib. apostol. 106. & *Schurzfleisch* Epp. select. 36. 121. 516. Præsens *Blondelli* opus *Conringius* vocat accuratissimum, &

 præ-

præclarissimum, *Morhofius* Polyh. T. III. l. 6. sect. 3. n. 9. doctissimum, & sect. 7. n. 14. præclarum, sed rarum. Quibus adde *Lex. univ. histor.* T. I. 384.

XLII.

Petri MOLINAEI Novitas baptismi, e gallica in germanicam linguam translata a Mart. *Stuzingio.* Vesaliæ, 1632. Hic liber, in quo controversiæ cum Pontificiis tractantur, iussu Regis Britan. IACOBI I. scriptus, oppositus est Cardinalis Perronii Replique à la Response du serenissime Roy Iaques I. Roy de la Grande Bretagne. Laurentius autem *Forerius*, S. I. romanæ ecclesiæ defensionem in se suscepit, edito contra Molinæi Novitatem libro, cui titulus, Antiquitas papatus. Præfationis contenta hæc sunt: Vnde *Perronius* occasionem sumserit scribendi contra Iacobum I. regem; deinde respondetur ad binas Perronii præfationes; denique iudicium fertur de libro Perronii, & eiusdem auctoris eruditione & doctrina.

Petrus *Molinaus*, gallus, primum scholæ leidensis moderator, mox in academia, quæ illic est, professor logices & physices, dein ecclesiæ parisiensis pastor, porro in acad. leidensi theol. professor, denique pastor & professor sedunensis, pluribus scriptis, e quibus sunt tractatus de Peregrinationibus & altaribus, *Arminianismi* Anatome, Responsum ad XXXII. quæsita Pet. *Cotoni*, Acta disputationis cum Pet. *Caxerio*, Hyperaspistes contra Sylvestrum *Petrosanctum*, & Iudicium de Mos. *Amiraldi*, & Frid. *Spanhemii* libro, seu Apologia pro Dei misericordia, sapientia & iustitia, inclaruit, & decessit anno 1658. ætatis 90. vir eruditus & facundus, sed & iniquior, dictisque acerbus contra dissentientes, in primis Remonstrantes: de quo illi valde conqueruntur in Epp. præstant. viror. pag. 616. *Witte* Diar. biograph. L II 4. *Clericus* Biblioth. choisf. T. XXVI. 448. Idemque notatur a *Casaubono* in Epp. præstant. viror. p. 249. quod ipsum non puduerit in quodam scripto suo B. Cyprianum appellare *anabaptistam* ut recentis hæreseos infamia martyris Christi memoriam macularet; & a *Colomesio* p. 410. quod S. Epiphanio tribuat, eum in Anchorato profiteri, verba hæc Christi, *Pater maior me est*, divinæ etiam naturæ respectu vera esse, cum tamen sanctus pater id neget, pernegetque. Sed liceat iam nobis alios eius errores in lucem producere. Pag.

Pag. 666. In tomis (Conciliorum) Coloniæ 1567. impressis, in dicto concilio Arelatensi *tertio* iste (de sacerdote coniugato) non reperitur canon. Et *in vetustioribus impressionibus* de anno 1538. Coloniæ, ut & 1551. *item in editione Barthol. Caranzæ contrarium legitur.*	At minime e tertio, sed Concilio arelatensi *secundo* canonem adducta Distinctione adlegavit Gratianus. Qui ipse idem *exstat canon in tomo Conciliorum primo Laurentii Surii.* Legitur quoque *in Caranza* p. 98.
1076. Fulbertus, episcopus carnutensis, (de Chartres,) adsuit Augustini dicto duo verba, ita illud proferens: Figura est ergo, *dicet hæreticus*, præcipiens.	Nihil fortius est contra istam imputationem, quam *duo MSS. e quibus facta est impressio operum Fulberti.* Paul. *Colomesius* 411.

XLIII.

Iac. ARMINII Opera theologica. Francofurti 1631. Videlicet 1) Orationes de sacerdotio Christi, de obiecto, autore, fine, & certitudine S. theologiæ, deque componendo religionis inter Christianos dissidio: omnes muneris theologici inaugurales, & profundis scripturæ sensibus subnixæ. 2) Declaratio sententiæ auctoris de prædestinatione, providentia Dei, libero arbitrio, gratia Dei, divinitate filii Dei, & iustificatione hominis coram Deo, in qua contendit, nec prorsus se in aliorum verba iurasse, & tamen longe citra pelagianismum & socinianismum stare. 3) Apologia adversus articulos XXXI. in vulgus sparsos. 4) Responsio ad quæstiones IX. & ad eas Anterotemata. 5) Dispp. publicæ & privatæ: in quarum illis universæ fere theologiæ compendium exhibetur; in hisce vero salutis nostræ œconomia & divinarum actionum series pertexitur. 6) Amica cum Fran. *Iunio* de prædestinatione Collatio, atque ad eius Theses Notæ. Collatio hæc acuta est sensibus, densa argumentis, in qua animo concordes, discordes sententia duo celebres theologi, exemplum præbuere aliis, uti salva caritate ventilare oporteat scholarum placita. 7) Examen libelli *Perkinsii* de prædestinatione. 8) Analysis cap. IX. ad Rom. & Dissertatio de vero sensu capitis VII. eiusdem epistolæ.

In illa ardua & adoranda Dei de hominum æterna salute & damnatione consilia pertractat, & fidelium ac infidelium esse docet discrimina: in hac ideam exhibet hominis regeniti, quibusque gradibus tempora sua decurrat prior, ad vivum depingit. Ibidem ostendit, quantis passibus lex & gratia, iustitia & peccatum distent; quamque differant indole & studiis ratio & appetitus, caro & spiritus. 9) Epistola ad Hippolytum *a Collibus*, Principis palatini ad Ordines Belgii fœderatos legatum, in qua sententiam suam de filii Dei divinitate, providentia Dei, prædestinatione, gratia & libero arbitrio, ac iustificatione exponit, seque adeo crimine heterodoxiæ purgare nititur. 10) Articuli non nulli diligenti examine perpendendi, in quibus auctor de præcipuis christianæ doctrinæ capitibus sententiam suam declarat. Illi tamen non ubique auctoris decreta, sed problemata continent, de quibus non inutiliter fortasse disputaverint rerum sacrarum periti.

Iacobus *Arminius*, per anagramma a scarabæis confectum *Vani orbis amicus*, germanice *Herman*, veteraquinas batavus, theol. D. & professor leydensis habuit pro symbolo, *Bona conscientia, paradisus*, obiit post multa tentationis & patientiæ specimina A. 1609. æt. 49. P. *Bertius* in orat. de illius vita & obitu ait, qui eum norint, non potuisse satis æstimare; qui non æstimarint, nunquam satis cognovisse. Videndi etiam Sim. *Episcopius* T. I. 166. *Thys.* in Epp. præst. viror. 327. *Acad. leidens.* 53. *Kœnig* 62. *Placc.* de Anon. 167. *Cyrillus* in Epp. præstant. viror. 364. *Iacobus* rex, ibid. 283. *Casauboniana* 7. 210. *Spanhem.* in Elencho Controvers. 238. *Strimes.* Inquisit. in Arminianismum 17. *Dannhauer.* T. I. Theol. conscient. 515. Ab hoc Arminio *Arminiani* dicuntur Remonstrantes seu Quinquearticulani. Arminianismo, uti refertur in *Unschuld. Nachricht.* A. 1703. 91. in Anglia favent Thom. *Tennison*, archiepiscopus cantuariensis, & inter doctores *Wilkins* & *Scott*. Immo aiunt, doctissimos episcoporum ei addictos esse.

Hug. GROTII Defensio fidei catholicæ de satisfactione Christi, adversus Faustum Socinum. Secunda editio. Lugduni Batavor. 1617. Hoc in scripto auctor non tam theologi, quam christiani hominis officio fungi voluit, docetque, Deum considerandum in hoc negotio ut rectorem, actumque eius esse relaxatio-

nem

nem seu dispensationem; non iniustum esse, Christum puniri ob peccata nostra; Deum sufficientem caussam habuisse ad Christum pro nobis puniendum, eumque voluisse Christum punire; per mortem Christi factam esse placationem, & reconciliationem, & redemtionem, & expiationem nostram. In cap. 2. indicat etiam, praetermissa *asterisco*, male autem addita *obelo* sive virgula olim notata fuisse. Iudicia de hoc scripto videantur apud *Colomes.* 475. *Koss.* in Praef. Responf. ad Iudicium Ravenspergeri, vener. abbas Io. Andr. *Schmidt* disp. de Satisfact. Christi 40. *Voet* in Exercit. & Biblioth. stud. theol. 719. *Ruar.* Epp. P. I. 59. *Epp.* praestant. viror. 477. 478. 488. 489. & *Conringiana epistol.* 37.

XLIV.

MINISTRORVM REMONSTRANTIVM Acta & scripta synodalia dordracena. Hardervici 1620. E bibliotheca Christoph. *Schraderi.* E primo quidem exhibentur scripta historica, deinde dogmatica, ut Declaratio & defensio sententiae Remonstrantium circa V. articulos controversos, nec non Explicatio capitis noni Epistolae ad Romanos. Declaratio exstat etiam in *Episcopii* Operum Parte II. & Explicatio capitis noni Epistolae ad Romanos in Parte I. De scriptis autem huius voluminis sic refert Io. Arn. *Corvinus* in Epistola dedicatoria Censurae Anatomes arminianismi Molinaeanae: Historica demonstrant, quanto conatu a Synodo frustra studuerimus impetrare eam libertatem, quae ut aequissima, ita ad caussam, quae in iudicium vocabatur, ut oportet, cognoscendam & definiendam summe erat necessaria. Dogmatica vero fidem faciunt, optimo iure a nobis institutam de falsis, novis, ac pestiferis dogmatis in ecclesia sparsis accusationem. Declarationem III. & IVti articuli elaboravit Casp. *Barlaus*, teste Godofredo *Arnoldo* in Additam. ad IV. tomum Historiae ecclesiast. & haeret. pag. 13. In praefatione autem agitur de malis, quae comitari solent controversias in religione, de processu contra Remonstrantes instituto, de Remonstrantismi definitione, ac iudicium de Petri *Molinai* Anatome promitur. Quid rei igitur Remonstrantismus? Dicam verbis auctoris Praefationis: *Religionem Iesu Christi, Domini nostri, veluti unicum beatae immortalitatis thesaurum in pretio habemus: pro ea hoc quicquid est contumeliarum, odiorum, calami-*

tatum, aliorumque malorum sustinere gloriosum ducimus: religionem *autem* in praxi, *sive observatione mandatorum Iesu Christi, sub aeterna gloria spe, sitam esse credimus. Ad praxin vero, tanquam ad Lydium lapidem, dogmatum & controversiarum omnium necessitatem utilissime ac certissime explorari statuimus, adeo ut, quaecunque ad hanc, sive directe, sive indirecte convellendam, labefactandam, aut imminuendam genio & proprietate quadam sua faciunt, falsa esse dubio omni procul credamus; qua vero hanc non convellunt, aut ad labefactandam & imminuendam eam non faciunt, de iis sine salutis periculo (salva semper universali charitatis & prudentia lege) in utramque partem disceptari posse existimemus.* Quaestionibus, quae in pura puta speculatione consistunt, *& nec scientem ad salutem iuvant, nec ignoranti nocent, epicedium scribi optaremus.*

XLV.

Io. Arnoldi CORVINI Censura Anatomes arminianismi Molinaeanae. Francofurti 1622. Vindicatur hic sententia Remonstrantium de praedestinatione, morte Christi, natura & gratia. Et in ep. dedicat. conqueritur auctor de iniquitate, ut ipsi videtur, Synodi dordracenae erga Remonstrantes.

Io. Arnold. *Corvinus*, lugdunensis batavus, ob arminianam sententiam cum sociis in exilium eiectus, a theologorum castris ad ICtos abiit, & in codicem commentatus est, hinc ab Henrico *de Nova villa* in Appendice editionis libror. H. *Grotii* de V. R. C. Clericanae p. 346. theologus & ICtus, adeoque rerum divinarum humanarumque sciens non immerito dictus. Obiit A. 1650. Scripta eius, cum theologica, tum iuridica, recenset *Witte* in Diar. biograph. P. II. 65. Sed cave, ne cum eo erres, & Corvinum hunc facias transfugam ad sacra Pontificiorum: hanc enim mutationem non ipse suscepit, sed Arnoldus *a Beldern*, filius eius, IC. moguntinus. Eundem Io. Arn. *Corvinum* laudat *Strimesius* in Arminianismi Inquisitione pag. 38. ut nulli Arminianorum vel eruditione, vel modestia cedentem, quemque ideo Io. *Polyander* collegam sibi prae Episcopio expetiverit. Huic autem libro ut & aliis Remonstrantium scriptis, opposuit Antonius *Walaeus* Responsionem, editam Lugduni Batavorum 1625. 4.

Petri

Petri BERTII Hymenæus desertor, sive de sanctorum apostasia. Francofurti ad Mœnum 1612. Duo in hoc tractatu problemata, & methodo quidem mathematica, expendit, 1. an fieri possit, ut iustus deserat iustitiam suam? 2. an, quæ deseritur, fuerit vera iustitia? & utrumque affirmat. *Casaubonus* libellum hunc vehementer probat, & ex veteris eccl. sensu scriptum iudicat, ut ex illius epistola, quam iteratæ editionis præfationi *Bertius* inseruit, quivis potest cognoscere. *Ruar.* Epp. P. II. 64.

Pet. *Bertius*, Beuresa-flander, philosoph. moralis professor leidensis, & Arminii sectator, postea, religione mutata, (cuius facti caussa Rich. *Holdsvvorth* in *Crenii* Animadvers. P. V. 250. eum vocat hominem triobolarem, æneæ frontis, orisque ferrei) Regis Galliæ geographus, in lucem dedit Apologeticum ad fratres Belgas contra Io. *Piscatorem*, Orationes & Carmina, Tabulas geographicas, Commentarium rerum germanicarum, (de quo vide *Schurzfleischii* iudicium in Biblioth. *Schrader.* T. I. N 3.) *Ptolemæi* Geographiam græce & latine, ac Breviarium totius orbis terrarum, obiitque A. 1629. æt. 64. *Meursius* in Athenis batav. *Grotius* in Epp. præst. viror. 386. *König* 106. *Ruarus* Epp. P. II. 167.

XLVI.

Philippi a LIMBORCH de Veritate religionis christianæ Amica cum erudito iudæo collatio. Goudæ 1687. Iudæus collocutor, teste Io. Alb. *Fabricio* Biblioth. gr. vol. VII. 130. est Is. *Orobio*, isque hac in Collatione quæstiones proponit, ea intentione, ut ostendat, nullas esse rationes, quibus iudæi ad religionis christianæ confessionem persuaderi possint; Limborchius autem ad eas respondet, & veritatem religionis christianæ defendit, ita quidem, ut eam ex fide historica & revelationis certitudine, missis illis dogmatibus, quæ non nisi ex scriptura N. T. hauriri possunt, asserat. Vide *Acta erudit.* A. 1688. 212. *Neu. Bucher Saal* T. I. 603. & Iac. *Gousset* præfat. in Tern. controvers. adversus Iudæos, qui & Monitum subiunxit contra hanc Collationem. Et collectores memoratorum *Actor. erudit.* verentur, ne Collatio hæc nimis amica videatur theologis, non quod modestia utrinque adhibita displiceat, sed quia in ipsis rerum momentis ea iudæo indulgeantur, quæ iudæus ipse iudicet esse nimia. Sub finem libri, & quidem p. 341. exhibetur

exhibetur Vrielis *Acosta* Exemplar humanæ vitæ, cum brevi Refutatione per Philippum a *Limborch.*

Is. *Orobio* de Castro, hispanus, philosophus & medicus, iudaismum dissimulans, in academia salmanticensi eo successu philosophiæ operam dedit, ut ibi Metaphysices ageret lectorem: deinde vero Hispali medicinam exercens in Inquisitionis manus incidit, ab eaque post triennium liberatus, Tolosam, indeque Amstelodamum concessit, Balthasaris nomen cum Isaaci in circumcisione commutavit, certamen philosophicum propugnatæ veritatis divinæ ac naturalis adversus Io. *Bredenburgii* principia latino & belgico sermone evulgavit, tandemque obiit A. C. 1687. I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. 646.

Vriel *Acosta*, nobilis portugallus, in baptismo accepit nomen Gabrielis, sed inter Iudæos, ad quos transiit, Vriel vocatus, multa inter eos adversa, immo & trinam excommunicationem, publicamque pœnitentiam ærumnosam expertus est, adeo ut suscepti eum pœnituerit iudaismi. Ipse in Exemplari rationem exponit vitæ suæ, & qua occasione transierit ad Synagogam, quæque a Iudæis passus sit. Cumque neget revelationem specialem, & immortalitatem animarum, sententiamque Naturalistarum assumat, hinc Limborchius sui esse officii putavit, delirantis argumenta confutare. E mundo hoc tandem excessit A. 1647. eodem sclopeto, quo acerbissimum inimicum suum, nisi aberrasset, petiturus erat, vitam sibi adimens. Liber eius immortalitati animarum oppositus, hispaniceque scriptus, Amstelodami editus est apud Paul. *Ravestein* sub titulo: Examen traditionum pharisaicarum, collatarum cum lege scripta contra animarum immortalitatem. I. C. *Wolf* Biblioth. hebr. 131 & *Lexic. univ. histor.* T. I. 25.

Histoire critique du vieux Testament, par Rich. SIMON. a Amsterdam 1685. Expressa est hæc editio, numero septima, secundum parisiensem, (qua de videndus *Sainjore* i. e. ipse hic auctor, Biblioth. crit. T. IV. 69.) & aucta generali apologia, & plurimis observationibus criticis. Accesserunt quoque epistola Car. Mariæ *De Veil*, & alia (Ezech. *Spanhemii*) ad amicum, cum Simonii responsionibus, & nova Præfatione, quæ est ad instar generalis apologiæ. Latina huius libri versio, auctore Natale *Alberto*

de

de Versé, est vitiosa; nec liquet, an non & anglicana. *Sainjore* l. c. 70. Deque causis suppressionis huiusdem libri itidem videndus est *Sainjore* p. 61. Constat hoc scriptum 3. libris, quorum primo tractatur de textu ebræo Bibliorum inde a Mose usque ad nostra tempora; secundo de præcipuis Bibliorum versionibus; tertio de modo bene vertendi Biblia, deque obscuritate Scripturæ, cum iudicio de Commentatoribus Bibliorum, tam iudaicis, quam christianis. Tandem subiungitur catalogus præcipuarum editionum biblicarum, & alius auctorum iudaicorum, (in quo tamen, uti *Wolfius* iudicat Biblioth. hebr. 357. multa sunt emendanda) aliorumque parum notorum, qui hoc in opere sunt allegati. Neque alius, quam ipse Simon Annotatiuncularum, quæ in paginarum quarundam calce leguntur, *Colomesio* p. 799. videtur auctor esse. Inter Commentatores autem V. T. non meminit *Sanctii*, forte quod illius opera ei non erant visa & nota, uti quidem putat *Clericus* Biblioth. choisf. T. XXIV. 4. Ad vocabulum *Critica* quod attinet, eo auctor intelligit artem iudicandi de melioribus lectionibus. Clarissimi Collectores *Actor. erudit.* ad A. 1682. p. 94. vocant hoc scriptum in genere curiosum admodum & summæ eruditionis; observant tamen pariter ex interprete, varias inde contra fontium auctoritatem erui posse, licet ab auctore non admittantur, consequentias. Alia de hoc libro eruditorum testimonia & iudicia reperies in *Actis erud.* A. 1686. 103. apud *Spanhem.* Elench. controv. 643. *Critopulum* in Censura eclogar. Mayeri 33. Christian. *Thomas.* Cautel. & præcogn. Iurispr. eccl. 25. *Morhof.* Polyh. T. III. 45. in *Observat. miscell.* P. VII. 568. *Mayer* Biblioth. bibl. 18. 69. 97. *Placc.* de Anon. 545. *Schurzfleisch.* Epp. arcan. P. I. p. 213. & in *Parrhasianis* P. I. 358.

Lib. I. cap. 1. p. 2. Nihil est doctius de hac materia, quam responsum Hieronymi ad Suniam & Fretelam, *quæ* ad ipsum scripserant e medio Germaniæ, ubi *ipsa* ostendunt, se non minus *peritas* esse linguæ græcæ & ebraicæ, quam latinæ. Sunnia & Fretela non erant feminæ, sed *viri*, & quidem *sacerdotes boiarici*. Vide *Partem* I. huius operis p. 202. Io. Frid. *Mayerum* Hist. vers. Lutheri Bibl. *Reinesium* Var. lect. 37. *Colomesium* 800. *Crenium* Animadvers. P. VII. 41. & *Sonntagium*

	gium disp. de præcip. sæcul. XVI. & XVII. theol. lutheran. 44.
Cap. XIX. p. 110. S. Augustinus examinat, legendumne sit in propheta Iona *tres dies*, sicut notatum est in *textu hebræo*, an *quadraginta dies*, sicut habetur *in versione LXX. interpretum*,	Sic ponendum: Tres dies, sicut notatum est *in versione LXX. interpretum*, an quadraginta dies, sicut habetur in textu ebræo. *Colomesius* 801.
Lib. II. cap. XII. p. 255. Facile patet, *errorem adeo grandem*, quo Sara mutatum fuit in *Sarra*, reiiciendum esse in amanuenses.	Ego non tam cito hanc lectionem condemnare vellem, postquam illa auctoritatem acquisivit per *Tryphonem* in colloquio cum Iustino martyre. *Colomesius* 803.
Cap. XX. p. 313. Post Hieronymum SS. Biblia latine vertit *Santes Pagninus*.	Et *ante hunc* Adamus *Eston*, Cardinalis anglicanus. *Colomesius* 804.
In Catalogo auctorum iudæorum p. 543. Duas habemus libri Maimonidis More nevochim versiones: *prior est Augustini Iustiniani*.	Iustinianus non est nisi *editor versionis*, cuius auctor diu ante eum vixit. *Colomesius* 808.

Rich. *Simon*, Diepa-gallus, presbyter Congregationis oratorii parisiensis, postea vero privatam agens vitam, vir, ut eruditissimus, atque a *Normanno* apud *Placcium* de anonym. p. 545. πολυμαθεστατε axiomate ornatus, ita veri & candoris amans, sed & peculiaribus & novis sententiis addictus, iisque hostes & adversitates sibi excitans, Lutetia parisiorum tandem excedere coactus est, diemque extremum obiit Diepæ A. 1712. si A. 1638. natus est, ætatis 74. Adversarios, præter C. M. *de Veil* & Ezech. *Spanhemium*, nactus est Pet. *Ambrunum*, auctorem *Examinis* methodorum Cleri gallici, *Saldenum*, in Otiis theologicis, *Colomesium* in Epistola ad Iustellum, Sal. *Deylingium* in Observat. sacris, Io. *Clericum*, sub Batavorum theologorum nomine, in Iudicio de R. *Simonis* Hist. critica, Thom. *Smithium*, Ant. *Coulanium*, Ianum *Bircherodum* in Lum. hist.

hist. sacræ V. & N. T. Honorium *de S. Maria* dans les Reflexions sur les regales & sur l' usage de la Critique, (in *Actis erudit* A. 1714. 145.) & alios. Scripta eius sunt sequentia: Fides ecclesiæ orientalis, Ritus Ebræorum *Leonis* mutinensis ex italico in gallicum translati, Historia & progressus redituum ecclesiasticorum sub nomine Hieronymi *a Costa*, Historia critica fidei & morum nationis orientalis sub larva *de Moni*, Synopsis novorum Bibliorum polyglottorum, *Ambrosii* ad Origenem Epistola de novis Bibliis polyglottis, opuscula critica contra Is. *Vossium*, Epistola ad *Pirotum* de S. scripturæ inspiratione divina, qua etiam Ludovico El. *Du Pin* respondetur, Dissertatio critica (Io. *Reuchlini*) de Nova bibliotheca ecclesiastica *Du Pinii*, Apologia pro auctore Historiæ criticæ V. Tti contra Mich. *le Vassor*, Difficultates propositæ P. *Bouhoursio* circa novam versionem IV. Euangelistarum, Bibliotheca critica, &, quæ post obitum eius prodiit, Bibliotheca selecta. *Acta eruditor. germanica* T. III. 168.

Rich. SIMONIS Histoire critique du texte du nouveau Testament. A Rotterdam 1689. Primo omnium defenditur veritas librorum N. T. in genere contra hæreticos antiquos; tum agitur de titulis euangeliorum, ceterorumque N. T. librorum, de libris suppositis Christo & apostolis, singulatim de libris N. T. de lingua, qua usi sunt Christi & apostolorum tempore Iudæi in territorio hierosolymitano habitantes, de Nazaræorum & Ebionitarum secta, de loco 1. *Ioh.* V, 7. de Iudæorum aliorumque obiectionibus contra religionem christianam, de citationibus locorum V. T. contra *Grotium*, *Spinosam*, *Perronium*, & *Theologos lovanienses* ac *duacenses*, de exemplaribus græcis N. T. in specie de Cantabrigiensi, de veterum exemplarium dispositione, quodque antiquissima scripta sint sine ulla distinctione, ac denique de Canonibus, ab *Eusebio* euangeliis additis. Quæ omnia pluribus recensentur in *Actis eruditor.* A. 1689. 114. 166. Quibus adde den *Vnparth. bibliothecarium* P. I. 785. Huius operis Examen seu refutationem instituit D. Io. Henr. *Maius*, theologus gissensis, A. 1694. In præfatione ostendit Simon, omni tempore repertos esse in Ecclesia viros, criticam exercentes, deque MSS. Bibliorum codicibus, ac melioribus eorum lectionibus iudicantes, & tales fuisse *Origenem*, *Hieronymum*, Rob. *Stephanum*, *Hentenium*, *Theologos lovanienses*, Nic. *Zegerum*, Fran. *Lucam*,

eam, & *romanos Correctores*, quibus id negotii datum a SIXTO V. & CLEMENTE IIX, ſeque nulli addictum eſſe magiſtro, ſed veritatem ſequi.

Cap. XXII. p. 268. Vocabulum *Scheol* ſignificat in ebræo V. Tti textu *ſepulcrum*.

Schmidius in Iob. 7, 9. *dubitat, an* Scheol *uſquam* in Scriptura ſepulcrum notet. I. H. *Maius* in Exam. Hiſt. crit. N. T. Simonii p. 501.

Cap. XXXI. p. 376. In exemplari (MS. græco) cantabrigienſi (N. Tti) ſunt quædam *additiones, veris factis conſtantes*, ut *Luc.* 6, 5. poſt vocem σαββάτȣ hoc in exemplari legitur: *Eodem tempore quum vidiſſet hominem, qui in ſabbato laboraret, dixit ei: Amice, ſi ſcis, quid facias, beatus es. Sed ſi neſcis, maledictus es, & transgreſſor legis.*

Aſſumentum hoc *otioſi tantum ingenii figmentum* eſt. *Saubertus* Prolegom. in Var. lect. euang. Matthæi p. 22. & *Maius* 431.

XLVII.

Rich. SIMONIS Hiſtoire critique des verſions du N. T. a Rotterdam 1690. Docetur hoc in opere, qui fuerit mos lectionis librorum ſacrorum in eccleſiis principalibus, & hic agitur de verſionibus N. T. in genere, de uſu linguæ peregrinæ in eccleſia, & loco 1. *Cor.* 14, 9. 11. de veteri vulgata latina, de italica, de vulgata moderna, de exemplaribus vulgatæ, de præfationibus ſub nomine B. *Hieronymi* libris N. T. præmiſſis, de correctoriis bibliorum, de diſpoſitione lat. Bibliorum S. Hieronymi in codicibus MSS. de melioribus editionibus Bibliorum latinorum, de quibusdam ultimorum temporum ſcriptoribus, qui compoſuerunt Obſervationes criticas in varias lectiones Bibliorum latinorum, de verſione N. Tti ſyriaca, coptica, æthiopica, arabica, gothica, ruſſica, græca vulgari, ebraica: de verſionibus latinis horum temporum ex græco, & ſpeciatim de verſione Laur. *Valla*, Iac. *Fabri* ſtapulenſis, *Eraſmi*, *Flacii*, *Pagnini*, *Aria* Montani, *Tigurinorum*, *Caſta-*

lionis

lionis, *Bezæ*, de verſionibus gallicis, italicis, hiſpanicis, britannicis, germanicis, borealibus, & polonicis. Vide plura in *Actis erudit.* A. 1690. 92. 129. In præfatione laudat auctor monachos, & præ omnibus quidem Benedictinos, quod vetuſtiſſima exemplaria Bibliorum nobis aſſervarint, eosque falli ait, qui putant, quosdam codices græcos Bibliorum ſecundum vulgatam verſionem eſſe correctos ſeu mutatos. Addit & hoc, non ſe defendere vulgatam latinam, niſi ubi probum habeat fundamentum, & *Portus Regii interpretes* haud raro lapſos eſſe, præcipue *Act.* 27, 19.

Cap. XXIII. p. 265. Litterati Portus regii (de Port-Royal) dicunt, verſionem Pagnini ex ebræo recognitam eſſe ab Aria Montano, *qui addiderit verſionem interlinearem N. Teſtamenti e græca.*	*Et hoc eſt verum*; ſicut patet ex impreſſione genevenſi per Pet. de la Rouiere A. 1609. f.

EIUSDEM Hiſtoire critique des principaux Commentateurs du N. V. depuis le commencement du chriſtianiſme iuſques a noſtre temps. Avec une diſſertation critique ſur les principaux Actes manuſcripts, qui ont été citez dans le trois Parties de cet ouvrage. à Rotterdam 1693. Quod ad huius operis contenta attinet, inquirit primo auctor, cur primi Patres plerumque abeant a ſenſu Scripturæ litterali: deinde agit de Commentariis *Clementis* alexandrini, (& Gnoſticis) *Origenis*, *Euſebii* cæſarienſis, *Baſilii*, *Gregorii* nyſſeni, *Gregorii* nazianzeni, *Hilarii*, *Ioannis* Chryſoſtomi, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Pelagii*, *Auguſtini*, *Cyrilli* alexandrini, *Theodoreti*, *Nonni*, *Iuvenci*, *Primaſii*, *Bedæ*, *Alcuini*, *Rabani* Mauri, *Claudii*, *Haymonis*, *Druthmari*, *Ansberti*, *Walafridi* Strabi, *Sedulii*, *Paſchaſii* Ratberti, *Smaragdi*, *Theophylacti*, *Euthymii*, *Catenarum græcarum*, *Lombardi*, *Alberti* magni, *Thomæ* aquinatis, *Lirani*, *Pauli* burgenſis, *Vallæ*, *Dionyſii* carthuſiani, *Toſtati*, Iac. *Fabri*, *Eraſmi*, *Caietani*, *Catharini*, *Soti*, *Sadoleti*, *Naclanti*, *Tenæ*, *Feri*, *Titelmanni*, Rob. *Stephani*, *Clarii*, *Zegeri*, *Guilliandi*, *Gagnei*, *Eſpencæi*, *Ianſenii* epiſcopi gandavenſis, *Toleti*, *Riberæ*, *Maldonati*, *Iuſtiniani*, *Sà*, Fran. *Lucæ*, *Marianæ*, *Sasboldi*, *Eſtii*, *Pencii*, *Fromondi*, *Menochii*, *Tirini*, *a Lapide*,

Jansenii episcopi yperensis, *Wiclefi*, *Husi*, *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Flacii*, Ioach. *Camerarii* & aliorum Doctorum lutheranorum, *Zvvinglii*, *Bullingeri*, *Oecolampadii*, *Buceri*, *Calvini*, *Musculi*, *Bezæ*, *Piscatoris*, *Gomari*, *Castalionis*, *Drusii*, *Casauboni*, Lud. *de Dieu*, *Lightfooti*, *Arminii*, *Episcopii*, *Grotii*, *Serveti*, *Ochini*, Fausti *Socini*, Io. *Crellii*, *Slichtingii*, *Wolzogenii*, *Brenii*, *Eniedini*, Ren. *Benedicti*, *Veronii*, *Godavii*, *Ameloti*, & interpretum *montensium*. Fusius hæc omnia recensentur in *Actis erud.* A. 1693. 107. Vide etiam *Bibliothecarium* nulli parti addictum T. I. 785. & C. S. *Liebe* Epist. de Nova biblioth. biblioth. bibl. Lutherana p. 6. Inter tot autem Commentatores præteriit, quod taxant Theologi hollandi apud *Pope-Blount* p. 1020. H. *Hammondum.* Quid? quod Nic. quoque *Heinsium* omiserit, cuius tamen exstant Exercitationes sacræ, & Aristarchus sacer? Leonh. Christoph. *Ruhle* opus hoc de præcipuis V. & N. Ti commentatoribus in germanicam transtulit linguam, quæ translatio cum præfatione Iac. Frid. *Reimmanni* prodiit Goslariæ A. 1713. 8. In præfatione refert Simon, veteres Christianos magis sensui mystico & allegoriis, quam litterali addictos fuisse, idque ob Gnosticos, qui allegoriarum subtilitatibus studebant placere, sicut *Clemens* alexandr. & *Origenes*, propter Ethnicorum ineptitudinem, scriptis suis multa immiscebant philosophica: S. *Irenaeum* autem condemnasse in Gnosticis sensus allegoricos & philosophicos, & sensum litteralem ac naturalem Scripturæ assertum ivisse: *Scripturæ S.* iungendam esse Traditionem ecclesiæ catholicæ, sive auctoritatem scriptorum ecclesiasticorum; communem antiquorum Doctorum consensum præponendum esse S. *Augustini* peculiaribus opinionibus, neque has pro decisionibus aut articulis fidei acceptandas: Pelagianos non condemnandos, quando plurima N. T. loca eodem, quo veteres, modo sunt interpretati: sufficere ad orthodoxiam, si agnoscas gratiam internam & prævenientem: Græcos *patres* magis, quam latinos, uniformitatem dogmatum & interpretationis inter se custodivisse: *Hieronymum*, virum eruditissimum, pariterque criticum, in Commentariis suis fere nihil aliud fecisse, quam ut excerpserit antecessorum scripta, sicut *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Euthymius* & *Oecumenius* sua e Chrysostomo collegerint: *Bedam* non purum esse compilatorem, sed interdum etiam criticum: Scholasticos theologos, græcæ linguæ & critices ignaros, non fuisse ad ali-

ud

ud idoneos, quam ad exscribendos aliorum commentarios: S. *Thoma* tamen Commentarios in Epistolas paulinas non esse meram compilationem: ultimis hisce sæculis diligentius erui sensum litteralem, beneficio linguæ græcæ & ebraicæ: Protestantium & Quakerorum dogma de interno Spiritus S. testimonio ad recipiendos pro canonicis ac divinis libros sacros, sicut & Socinianorum principium in ratione positum, esse fallibile, nec per traditionem Ecclesiæ, quæ scripturæ S. adiungitur, iniuriam fieri verbo Dei, sed esse tantum testimonium de iis, quæ Ecclesia inde a tempore apostolorum crediderit, idque ad articulos fundamentales restringendum: denique libros hæreticorum non prohibendos, sed ad lectionem permittendos esse. In Critica autem Dissertatione sermo est de *Erasmi* cum *Stunica* & *Sepulveda* disputatione circa MSS. græca N. Tti, de MSto alexandrino, quod est Cantabrigiæ, de MSStis Marchionis *de los Velez*, de MSto *Bezæ*, de Euangelio Nazaræorum, de MSto *Bedæ*, de Regulis dextre iudicandi de MSStis & variis lectionibus, de loco 1. *Io*. V, 7. de modo disputandi contra Socinianos, de Cardinali *Ximenio*, quod retulerit in N. suum Testamentum græcum id, quod in nullo MSto legerat: & in plurimis hisce capitibus refutat auctor Anton. *Arnaldum*. Ac notandum, tres dari MSStos N. Tti codices: primus continet Euangelia & Acta apostolorum, & est in bibliotheca academiæ cantabrigiensis: secundus complectitur Epistolas S. Pauli, & est in bibliotheca regia Lutetiæ Parisiorum, eumque subinde excitat *Beza* in Annotat. suis in N. Ttum sub nomine Antiqui exemplaris claromontani: tertius isti similis est in abbatia S. Germani de pratis. p. 14.

Cap. XLVIII. 719. Glassius, Superintendens *Scholarum* Ducatus Saxo-Gothani.	Superintendens *Ecclesiarum*.
Pag. 724. Abr. Calovius, Superintendens *Academiæ* wittenbergensis.	Abr. Calovius, D. & *Prof. theol. in academia vvittebergensi*, *Ecclesiæ* ibidem *Antistes*, & *Circuli Electoralis Saxonici Superintendens generalis*.
Cap. LV. p. 815. Servetus non contentus editione librorum	*Anno* 1552.

suorum

ſuorum de Trinitatis erroribus, aliam meditatus eſt, quæ tamen non comparuit quam *anno* 1555. id eſt, uno ante ſupplicium ſuum anno.

XLVIII.

Fran. TOLETI Inſtructio ſacerdotum ac pœnitentium, cum additionibus Andr. *Victorelli*, & Mart. *Fornarii* opuſculo de Sacramento ordinis, & Inſtitutione confeſſionariorum ac pœnitentium. Venetiis 1675. Agitur hic de ſacerdote eiusque officiis, excommunicatione, ſuſpenſione, remotione, interdicto, irregularitate, iurisdictione, miſſa, divino officio, VII. ſacramentis, confeſſione, decalogi præceptis, beneficio, ſimonia, ieiunio, decimis, indulgentiis, peccato mortali, avaritia, eleemoſyna, ſolicitudine, proditione, fraude, mendacio, ira, gula, æmulatione, odio, invidia, & acedia. Subiungitur *Victorelli* tractatus de origine & clauſura ſanctimonialium, & *Fornarii* Inſtitutio Confeſſionariorum. In illo revocatur ſanctimonialium ordo ad tempora uſque euangelii, & diſputatur de egreſſu monialium, & ingreſſu aliorum intra illarum ſepta. Hæc autem tradit praxin audiendi confeſſiones, & pœnitentes ad chriſtianam perfectionem promovendi. Monſtratur igitur, quomodo confeſſionarius procedere debeat cum cuiuscunque generis hominibus, quæ remedia contra vitia propinare, & qui per viam purgativam ad illuminativam, & inde ad unitivam manu quaſi ducere debeat.

Fran. *Toletus*, cordubenſis, S. I. Dominici Soti auditor, ab eoque ob miram ingenii præſtantiam *prodigium* appellatus, philoſophiam primo, deinde theologiam docuit in Hiſpania, Romæ & Lovanii; Romam autem reverſus pontificii prædicatoris & confeſſionarii, nec non ſummi pœnitentiarii ſpartam obiit, & a CLEMENTE IIX. Cardinalium presbyterorum numero adſcriptus, primus fuit, qui purpuræ ſplendorem Ieſuitarum ſocietati inferret. Scripſit commentarios in Logicam & Phyſicam, item in Lucæ & Ioannis euangelia, in epiſtolam ad Rom. & Summam caſuum conſcientiæ, ac demum laboribus fractus Romæ deceſſit A. 1596. æt. 73. *König* 812. *Du Sauſſay* de ſcriptorib. eccleſ. 54. *Colomeſ*. 725. *Craſſo* negli

gli Elogi P. I. 91. *Casaubon.* Epp. p. 726. *Pope-Blount* 814. & *Sixtus* Senensis lib. IV. Bibl. S. p. 288. qui eum nobilissimum vocat theologum.

Andr. *Victorellus*, theologus & presbyter bassanensis, in historia ecclesiastica, teste Mich. Io. *Vim-Bodino*, valde peritus, & in theologia, quæ ad mores spectat, cum laude versatus, plura scripsit partim latine, partim italice, tandem simul edita Romæ II. tomis in fol. & floruit initio sæculi XVII. usque ad eius annum 25. Leo *Allatius* in Apib. Vrb. 37.

Martinus *Fornarius*, brundisinus, S. I. vixit Seculo XVII.

Matthæi GALENI Catecheses christianæ, ab Andr. *Croquetio* exceptæ, expolitæ, & cum illius consensu editæ. Lugduni 1593. Etiam ex bibliotheca Calixtina. Omnes catechismi partes in illis explicantur, & satis quidem moderate.

Matth. *Galenus*, westcapellius, duacenæ Vniversitatis cancellarius, & SS. litterarum professor primus, scripsit de seculi nostri choreis, origine monachorum, votis monasticis &c. mortuus A. 1573. *König* 326. A. 1563. quum Dillingæ profiteretur, *Hilduini*, abbatis cœnobii S. Dionysii, Areopagitica edidit, præmissa longa præfatione, qua tum Hilduini historiam, tum ipsum Dionysium areopagitam a quorundam ætatem eius in dubium vocantium obiectionibus vindicare laborat, ad calcem adiiciens duas eiusdem argumenti homilias. *Possevino* dicitur vir doctus, inter cuius scripta potissimum excellant Catecheses; *Croquetio* in ep. dedicat. ad Philippum, Hisp. regem, theologus, in quo quid prius admireris nescias, morum ne candidissimorum integritatem, an scripturarum solidam & accuratam intelligentiam, aut linguarum exoticarum peritiam, vel denique raram eloquentiam; & *Volusio* in Aurora pacis religiosæ p. 63. theologus eximius & celeberrimus. Vide etiam Gerh. *Titium* Ostens. summar. 89. & *Creninm* Exercit. V. de libris scriptor. opt. 44.

Andr. *Croquetius*, duacenus, benedictinus hasnoniensis, S. theol. licentiatus, commentariis illustravit epist. ad Rom. & ad Hebr. & obiit A. 1580.

Catech. CXXXIV. p. 422. Missa est primi illius sacrificii Christi *imitatio*.	Ponendum: *commemoratio*.
Catech. CXCIV. p. 660. D. Vdarici Epistola ad Nicolaum Pontificem *est supposititia*, quia eius tempore apicem pontificium tenebat Martinus.	Duo fuere Vdalrici, episcopi augustani, alter sæculo IX. alter X. Iam *prioris fuerit Epistola illa*. G. *Calixtus* de Coniug. clericor. 559.

XLIX.

Io. Bapt. IVLIANI (*Giuliano*) Arsenale predicabile. Venetiis 1650. In quo traduntur conceptus scripturales ac morales, sententiæ & dicta Patrum, & cogitationes curiosæ gravissimorum scriptorum, quibus uti queas ad homilias in Quadragesima, dominicis ac festis diebus habendas. Similes libri sunt *Bibliotheca concionatoria*, Parisiis 1662. f. tom. IIX. Iac. *Masenii* Concionator, Moguntiæ 1678. f. tomi II. *La Bibliotheque des predicateurs*, qui contient les principaux suiets de la Morale chrétienne, Lugduni 1712. 4. vol. II. Iof. *Mansi* Bibliotheca moralis prædicabilis. f. vol. IV.

Io. Bapt. *Iulianus* erat neapolitanus, ex ordine Minimorum S. Francisci Paulæ.

Alexandri CALAMATI Selva novissima de' concetti, fondati nell' autorità della S. scrittura, de' santi Padri, e d' altri gravissimi Scrittori di S. chiesa, applicabili à tutte le feste di Quaresima, domeniche frà l' anno, e feste correnti. Venetiis 1668. editio XIII.

Alex. *Calamatus*, messanensis erat.

L.

Maurilii DE S. BRITIO Discorsi predicabili sopra le Domeniche dell' anno. In Milano 1669.

Maurilius *de S. Britio* erat nudipes augustinianus, Congregationis italicæ, atque in præfatione dicit, principalem suarum conciorium scopum fuisse correctionem auditorum, sine ulla adulatione.

Laur.

Laur. VANNINI Quaresimale. Florentiæ 1676. In hoc quadragesimali proponuntur Metaphoræ sacræ, e.g. in primo quadragesimæ die thema hoc est: Negotium salutis; in feria V. post cineres: Servitus & libertas. Et sic in ceteris.

Laur. *Vanninus* erat lucensis, ordinis Cappucinorum.

LI.

Ant. CANOFILI Quaresimale. Venetiis 1671. Paradoxa proponuntur, non iusto altioris indaginis, sed talia, quæ faciunt ad auditorum ædificationem, eumque in finem crebræ etiam Patrum sententiæ, & exempla adferuntur. Dedicat auctor hoc opus suum B. Mariæ virgini, quam appellat *Imperatricem angelorum, & magnam universi Monarchissam*, promittens editionem *Sanctuarii*, in quo celebretur festorum & dolorum B. Mariæ duplex septenarius, nec non *Poëma* heroicum de Mariæ vita, & aliud in laudes Verbi incarnati.

Ant. *Canofilus*, sulmonensis, erat minorita reformatus.

Phil. PICINELLI Quaresimale dell' anno 1662. Mediolani 1673.

Don Phil. *Picinellus* erat abbas, & canonicus regularis lateranensis.

LII.

Antonii CANOFILI Domenicale. Venetiis 1676.

Marii DE' BIGNONI Domenicale. ibid. 1661.

Marius *Bignonius* fuit venetus, & concionator ac lector theologiæ, ordinis Cappucinorum. Liber vitiose admodum est impressus, sicut & præfationis auctor fatetur ipse. Atque omnes hi præcones sive concionatores italici, quos hactenus recensuimus, floruerunt sæculo XVII. In hisce & aliis Italorum concionibus aut nulla, aut levis fit textus explicatio; in moralibus vero sive usibus & adplicationibus singularem sciunt adhibere artem, ita ut similibus & exemplis, eorumq; amplificatione & exornatione, nec non Scripturæ sacræ & SS. Patrum dictis atq; sententiis sequendas virtutes, & vitanda aut abiicienda vitia illustrent, & quasvis res tanquam ad vivum proponant, sciteque &

mira actione repræsentent, & cum delectatione ac vi suavissima assensum auditorum, nolentium volentium, sibi vel concilient vel rapiant. Qua in re præstantissimos Ecclesiæ doctores antiquos, atque in primis *Chrysostomum*, imitari student. Huiusmodi igitur libris ad concionandum, & quidem ad populariter res proponendas, ad exempla illustranda, debitoque modo animanda, ad comparationes apte adhibendas, atque ad movendos affectus & corda hominum expugnanda, commode ac feliciter uti possumus. Neque ægre ferant aliarum provinciarum concionatores, si Italos; cumque his etiam Gallos & Hispanos, hoc in genere imperium obtinere, & præcipuum quid habere dixerimus: nihil enim aliud dicimus, quam quod veritas postulat, quodque oculis vidimus nostris, & auribus percepimus nostris, atque in nobis ipsis sæpe numero attoniti victique sensimus. Non defraudamus alios suis laudibus, absit; sed Italis eorumque similibus laudem, quam merentur, subtrahere, iniquum & impium foret.

LIII.

Casp. SCHWENCKFELDII Homiliæ variæ. A. 1596. Et quidem in *Matth.* 21, 1-9. *Luc.* 2, 1-14. *Io.* 3, 1-15. *Luc.* 16, 19-31. c. 14, 16-24. c. 15, 1-10. c. 6, 36 42. c. 5, 1-11. *Matth.* 5. 20-26. *Mar.* 8, 1-9. *Matth.* 9, 18-26. Vbi auctor declarat, se non dividere Christum, Serm. I. p. 63. nec reiicere externum ministerium ecclesiæ, prædicationem euangelii, sacramenta, bene institutos ritus, aut omne id, quod ad regnum Dei conducit, eiusque ædificationem apud externum hominem promovet, p. 66. 35. nec dicere, Christum humanitatem suam e cælo attulisse, Serm. II. 6. deque statu mortuorum docere ad amussim doctrinæ Vrb. *Regil*, Serm. IV, 20.

LIV.

Guilielmi DVRANDI Rationale divinorum officiorum. Lugduni 1672. Editum quoque fuit Moguntiæ A. 1459. & Lugduni 1584. De illa moguntinensi editione vide B. G. *Struvii* Hist. & memorabil. ienens. §. 9. & *Burchardi* Epistolam ad amicum contra Erndl 78. Constat hoc opus IIX. libris, quorum primus agit de ecclesia, eiusque locis & sacramentis; secundus de ecclesiæ ministris;

ftris; tertius de indumentis seu ornamentis ecclesiæ; quartus de missa, eiusque cærimoniis; quintus de divinis officiis, tam nocturnis, quam diurnis, in genere; sextus de officiis dominicarum, feriarum & festivitatum Domini, nec non ieiuniorum IV. temporum; septimus de Sanctorum festivitatibus; octavus de computo & calendario. Subiungitur etiam Io. *Belethi* Rationale divinorum officiorum. Varii quoque de divinis catholicæ ecclesiæ officiis libri per Mich. *Hittorpium*, auctarii loco, Margarini *de la Bigne* Magnæ Patrum Bibliothecæ iuncti sunt. Ceterum de divinis officiis & ritibus sacris scripserunt Barthol. *Gavantus*, Edm. *Martene*, & *Amalarius*, de quo vide *Grenium* Animadv. P. IV. 208. pluresque alios nominat *Gesselius* Hist. sacræ P. I. 242. In *Belethi* autem Rationali tractatur primo de ecclesiasticis institutionibus, seu de locis & personis sacris, secundo de expositionibus divinorum sermonum, & tertio de dierum ratiocinationibus, seu de feriis & festis, & rationibus, propter quas instituta sint, & sic, neque aliter celebrentur. Rationale hoc editum etiam fuit Antverpiæ A. 1553. 1570. Lugduni 1583. & cum Durante, ibidem 1592.

Lib. III. c. 15. p. 78. Baculus a Lege & Euangelio sumitur: quia & virga pastoralis, & *sambuca*, & pedum, & ferula nuncupatur.

Cambuca: quæ & camboca, vel cambuta scribitur. Nam, iuxta versum vulgarem, *Pastor cambucam, sambucam fert phaleratus.* Henr. *Linck* de Iure episcop. c. XIV. n. 66. *Du Fresne* Glossar. col. 697.

Lib. VII. c. 1. p. 430. & 424. *Annotativum* pascha vocatur, quando aliquis diem, quo baptizatus est, celebrat annuatim.

Annotinum pascha. *Macri* fratres in Hierolexico p. 37.

Cap. XL. p. 459. Beda, venerabilis presbyter, & monachus egregius, claruit in Anglia *circa annum Domini* CCCCCCLXVI.

Illo tempore nondum erat: natus enim est anno DCLXXII. *Cave* P. I. 334. *Olearius* P. I. 114. Præterea *Nova bibliotheca* scriptor T. IIX. 741. observat, auctorem nostrum in explicatione rituum Missæ, ex ignorantia

tia verarum rationum, delapsum esse ad mysticas & allegoricas significationes.

Gul. *Durandus* seu *Durantus*, vel *Dura tus*, ab aliis cognominibus probe distinguendus, vasco, Palatii apostolici auditor generalis, & decanus carnotensis, ac tandem episcopus mimatensis, a Speculo iuris, uno ipsius scriptorum, *Speculator* dictus, & a nonnullis plagii accusatus, ad plures abiit A. 1296. Huiusdem hoc est de sacramento eucharistiæ effatum: Verbum audimus, Modum nescimus, Motum sentimus, Præsentiam credimus. *Kænig* 265. *Magirus* 299. *Bona* Card. T. III. in Notitia auctor. (d) 2. *Moller* de Homon. 557. *Wharton* in Append. Hist. liter. Cavii p. 10. 14. *Olear.* Tom. I. 210. *Cren.* Animadverf. P. IIX. 50. & *Supplem. Actor. erudit.* T. IV. 454.

Io. *Beleth*, Scholæ theologicæ parisiensis rector, in divinis scripturis, *Trithemio* teste, eruditus, & in seculari philosophia sufficienter edoctus, ingenio promtus, sermone scholasticus, inter doctores sui temporis non ignobilis, scripsit etiam Sermones varios, & a *Cave* in Histor. literar. pag. 472. nec non ab *Oleario* Tomo I. part. 1. 373. & *Kænigio* pag. 97. refertur ad A. 1162. contra quam faciunt Claud. *Iolly*, & Casimirus *Oudin*, qui annum ei adsignant 1328. Sed *Cavio* duumviri hi eo videntur errare, quod *Henricus* gandavensis, qui anno 1280. scripsit, inter primos Catalogi sui scriptores eum recenseat.

LV.

Phil. CLVVERII Introductio in Geographiam tam veterem, quam novam, cum Tabulis geographicis XLVI. & annotationibus Io. *Bunonis*, Io. Frid. *Heckelii*, & Io. *Reiskii*. Amstelædami 1697. Prodiit etiam Woffenbutteli A. 1662. 1667. 1694. & Londini 1711. cum notis *Bunonis*, *Heckelii*, *Reiskii*, *Luytsii*, aliorumque; germanice autem Noribergæ 1704. Hæc Introductio, quamquam non omnia in illa sint probanda, nec Tabulæ satis sint accuratæ, & descriptioni convenientes, commendatur a *Conringio* in epistola ad Bunonem A. 1661. scripta, & huic libro præmissa, a *Bosio* in Differt. de compar. eloquent. civ. (in Crenii Methodor. T. II. 430.) §. 36. & de Rat. leg. hist. §. 46. nec non a I. C. *Becmanno* in Præcogn.

cogn. geograph. cuius verba allegantur in præfat. præsentis operis. Similis generis scripta sunt Io. *Luyts* Introductio ad Geographiam, cum LXV. chartis Sansonis, & aliis tabulis, Vltraiecti 1692. 4. Sed in multis aberrat auctor, nec tabulæ sunt accuratæ. Vide *Acta erudit*. A. 1693. 213. Christoph. *Cellarii* Geographia antiqua & nova, de qua *Cren*. Animadverf. P. IV. 81. Atlas antiquus, sacer, ecclesiasticus, profanus, tabulis a Io. *Clerico* ordinatis, Amstelodami 1705. f. de quo ipse *Clericus* T. IIX. de la Biblioth. choisf. 203. *La Geographie royale*: quæ nihil est aliud, quam mera Cluverianæ Introductionis translatio. *Hottinger* Disp. de Melchisedeco §. 7. p. 176. & in Bibliothecar. 73. Quibus adde Phil. *Ferrarii* Lexicon geograph. quod iam auctius continetur in abbatis *Baudrandi* Dictionario geographico A. 1682. f. Auctor *Extractor. menstruor*. A. 1700. 236. Nec silentio prætereundum, *Zumbachii* Globum terrestrem & cælestem de A. 1707. omnibus aliis præstare.

Lib. I. c. 11, p. 32. Sinus arabicus *in sacris libris appellatur Rubrum mare.*	Appellatur in iis ים־סוף *Mare alga* sive Mare algosum. Latini autem Rubrum appellarunt, æquivocatione decepti: quum enim ab ERYTHRO rege nomen ei esset inditum, atque *Erythræum* vocaretur, illi vocem hanc *rubrum* reddidere, variasque huius appellationis rationes commenti sunt. G. *Calixtus* & *Clericus* in Exodi XIII, 18. *Drusius* in Ex. XV, 4.
Buno ad Cap. XII. p. 35. Aegæum mare dictum est, ut Festus ait, quod insulæ illius maris haud male *repræsentent gregem caprarum.*	Potius ab איי גוים *Aje gojim*, Insulis gentium. Casp. *Abel* in Hist. monarchiar. orbis antiqui p. 488.
Lib. II. c. 4. p. 69. Tagus *auriferis* quondam arenis celebratus.	Sed *præter veritatem*. Auctor de la *Relation de l'Inquisition de Goa*, p. 222.

Ex

Cap. VI. p. 81. Gadiz *Gibraltar.*	Ex arabica lingua emendari potest ac debet vitiosa Gibraltar scriptio, pro גבל טריק *Gebel Tarik*, Mons Tarik. Hoc enim nomen erat illi, qui locum illum expugnavit. *Crenius* Animadv. T. IV. 80.
Cap. XIII. p. 103. Languedoc, quasi *Langue de Goth.*	Quasi *Langue d' Oc*, quia eius incolæ pro *ouy* pronunciabant *oc*. *Reinesius* in Struvii Actis litterar. Fasc. VII. 57.
Lib. II. c. 12. p. 95. *Samarobriga*, nunc Amiens.	*Samarobriva. Cellarius* ad Cic. lib. I. ep. 11. familiar.
Buno ad c. 12. p. 99. Stratisburgum, quum forte hic locus Germanis diceretur An der argen Straffen, a Romanis dictum *Argentoratum*, quasi *Argen Straffen vel Straten.*	Argentoratum primum dicta fuerit *Argentoractum*, composito hoc vocabulo *ex Argentarius & Actus*, quod, ex indultu romanorum Imperatorum, argentarii in armis argento vestiendis occupati, actus ibi suos exercerent. Io. *Schilter* Observat. XI. in Iacobi de Konigshofen antiquum Chronicon teutonicum. (*Acta erudit.* A. 1698. 366.)
Idem p. 101. Ligeris sive Liger e *Cemmenis* montibus, sive Gebenna, in Arvernorum finibus oritur.	E *Cebennis* montibus. Io. Christoph. *Beemann* disp. de Iustitia armorum Cebennensium p. 2.
Idem ad Caput XV. p. 109. Brest, *olim Vindana portus.*	At cap. XI. p. 92. *Urbs Venetorum*, quæ nunc Vannes, *Vindana* dicitur.
Lib. III. c. 1. Nomen Germanorum *a Gallis* inventum.	*Ab Hermionibus*, horumque auctore Irmino. *Leibnitius* in *Felleri* Monument. var. inedit. T. I. 34.

Nunc

Cap. II. p. 154. Gothones sive Gothi, *nunc Cassubia pars ad Vistula infimam partem,*	*Nunc Silesia pars, non procul a montibus Carpatiis.* Io. Georg. *Eccard* de antiquiss. Helmstadii statu B 3.
Lib. III. cap. 41. p. 306. Aetna, nunc monte *Gibello.*	Saraceni, Siciliæ Domini, Aetnam vocarunt *Gebel*, id est, Montem. Monte Gibello igitur idem significaret, ac Mons Mons, sive Monte del Monte. Auctor *Extractor, menstruor.* A. 1700. 480.
Lib. IV. c. 14. p. 367. b. *Aenus*, urbs Thraciæ veteris, ab Aenea profugo condita.	*Aeneas* urbs *a Pallene* condita, secundum Dionysium halicarnass. lib.I.c.49. *Rupertus* Observat. in Besoldi Synops. minor. c. 4. p. 83.
Cap. XIIX. p. 380. Saxones, germanica gens, *a Carolo M. devicti*, cum leges victoris ferre nequirent, aut nollent, *in universam Daciam transierunt.*	*Post obitum Imp. Arnolphi*, Vngari, qui irruperant in Bavariam, Sueviam & Saxoniam, multos eorum incolas abduxerunt: & Saxonum posteri adhuc habitant in Transilvania, atque utuntur vera dialecto saxonica. Henr. *Bunting* Chronic. brunsvic. & luneburg. pag. 20.
Reiskius ad libri IV. cap. 19 p. 381. Wallachia *maior*, vulgo Moldavia.	Wallachia *minor*. Vide *Atrium nov. libror.* T. I. 940.
Cap. XXII. p. 389. Sarmatæ *ad Riphaeos usque montes* incoluerunt.	Riphæi montes *nusquam sunt*. Nam in tota Moscovia, in qua esse dicuntur, nullus mons est. *Scaligerana* 339.
Lib. V. c. 1. p. 413. Asiam Græcorum quidam dictam volunt *ab Asia* Nympha, Oecani & Tethyos filia.	Melius, *ab Asio*, philosopho. *Duroduluş*, sive Laur. *Beger* de numis Cretensium serpentiferis p. 11.

Cap. V. p. 424. *Tenduc* provincia, magni ac potentis Regis *Presbyteri* quondam regnum fuit.	Addendum fuiſſet: ex vulgari ſententia, *Ioannis*, ut lib. VI. c. 9. p. 539. ſed Rex ille vocabatur *Preſteh gehan*, i. e. angelus mundi: qui fuit titulus Regum *Tangutenſium*. *Chevraana* T. II. 28.
Cap. VI. p. 425. *China*,	Pronunciandum hoc vocabulum, ut *Tſchina*, contra quam vulgo fit. *Monatliche Vnterred*, A. 1689. 482.
Cap. XVII. p. 468. Chalcedon, *qua nunc Scutari*,	A pago Scutari, qui Conſtantinopoli oppoſitus eſt, *diſtat Chalcedon dimidiam horam*. Sal. *Schvveigger* Itinerar. lib. II. cap. 46. C. *Arnold* in Annot. ad *Busbeckii* Epiſtolas p. 849.
Cap. XX. p. 481. Idumææ urbs ingens fuit & munita admodum Gaza, (ſic Perſæ ærarium vocant) *cui inde nomen*, *quod Cambyſes*, cum armis Aegyptum peteret, huc belli opes & pecuniam intulerat,	Vrbs Hebræis ſcribitur עזה, *Hadſah*, at Perſis ærarium גזה *Gadſa*. Matth. *Martinius* Lexic. philol. v. Gaza, p. 407.
Pag. 485. Iordanis amnis nomen habet *a duobus fluviis* Ior & Dan, haud procul a ſe diſſitis, qui eum coniuncti efficiunt.	*Lacus Phiala*, qui non longe a Samochonite, verus eſt fons Iordanis. Nomen autem Iordanis eſt a radice ירד *deſcendit*. Hadr. *Relandus* Palæſt. lib. I. c. 41. p. 195.
Lib. VI. cap. 7. p. 539. Nomen Abiſſinorum alii *ab arabico vocabulo Elhabaſchi* (ſic enim Mauri Principem Abiſſinorum appellant) vulgo factum opinantur, ita ut primum vocarentur Abaſſi, deinde Abaſſeni.	Ab arabica voce *Habeſſ*, quæ ſignificat Mixturam ſive colluviem gentium. *Ludolf* in Hiſt. æthiop.

Per-

Cap. XIV. p. 556. 557. America Meridionalis, quibusdam *Peruviana*, a provincia Peru. | *Peruana*, a provincia Peru, quæ nomen habet *a fluvio Peru*, qui mediam intersecat. *Melissantes* Geograph. noviss. Asiæ, Africæ & Americæ p. 801.

Phil. *Cluverius*, gedanensis, reformatæ addictus religioni, distinguendus a Ioanne *Clavero* theologo lutherano, studia geographiæ, quod hoc ipsius honori & gloriæ ab aliis relictum esset, consilio & monitu Iusti Ios. *Scaligeri*, se totum dedit, eumque in finem Scotiam, Britanniam, Galliam & Italiam non semel, & ultimam quidem aliquando pedibus peragravit, sicut & olim in Poloniam, Vngariam & Bohemiam se se contulerat, & patre sumtus ulteriores ob desertum iuris studium denegante, militiæ nomen dederat, vir multarum linguarum, (nam præter illas, quæ eruditorum sunt, tenuit belgicam, polonicam, italicam, ungaricam, britannicam, & gallicam) variasque calamitates & penuriam, ad quam mitigandam adolescentes quosdam privatim erudire cœpit, expertus, scripsit Commentarium de tribus Rheni alveis & ostiis, nec non Germaniam, Italiam & Siciliam antiquam, Disquisitionem de Francis & Francia, Leidæque, ubi larem fixerat, decessit A. 1623. æt. 43. relictis in paupertate II. liberis. *Kænig* 199. Dan. *Heinsius* orat. in eius obitum, (apud Witte in Memor. philosophor.) p. 120. *Charitius* de viris erudit. Gedani ortis 25. *Lexic. univ. hist.* T. I. 683. *Magirus* 226. *Pope-Blount* 931. Biblioth. *Schrader*. P. I. K 6. *Sciopp.* paradox. litterar. 66. *Schurzfleisch* Epp. selecť. 232 696. *Cren.* Animadvers. P. XV. 130. & Differt. de Furib. librar. 47.

Ioannes *Buno*, hassus, Luneburgi primum scholæ classicæ rector, dein histor. ac postea etiam theologiæ in Gymnasio professor, denique pastor ad S. Michaelis, edidit disp. de Reip. rom. statu ac diuturnitate, Ideam universæ historiæ, latine & germanice, seu Imagines historicas, *Cluverii* Italiam, Siciliam, Sardiniam & Corsicam, nec non Germaniam antiquam contractam, Memoriale biblicum seu imagines N. Ttum repræsentantes, Memoriale Institutionum, Revelatum & propositum ignorantem, quo ludi luneburgensis moderatori *Lauterbachio* XXX. vitia in Programmate eius commissa ostendit, Defensionem contra *Rosencrantzium* de regno Daniæ, Programmata varia, & conciones aliquot funebres,

vitæque ac laborum finem fecit A. 1697. ætat. 81. Notas Bunonis *Morhofius* Polyh. T. II. 506. vocat eruditas, idemque laudat Memoriale biblicum, T. I. 409. Et *Conringius* in ep. ad Bunonem fatetur, Annotationibus eum suis plurima, ceteroquin obscura intellectu, illustrasse, alia etiam rectius tradidisse, novisque Tabulis lucem addidisse maximam.

Io. Frid. *Heckelius*, variscus, philos. M. & poëta laureatus, primum scholæ reichenbacensis rector, deinde rudolphopolitanus conrector, homo, ut *Daumius* Epp. P. II. 169. scribit, pro virili liberalis, mansuetus, modestus, sincerus, & unius cuiusque litteratorum, quem sibi in primis vere faventem atque amicum noverat, valde studiosus, edidit dissertationem de Poëtarum coronis, libellum de Osculis, &, postquam depositus fuerat a munere, privatus obiit A. 1700.

Io. *Reiskius* (*Reiske*) Gera - variscus, luneburgensis ac wolffenbuttelensis ludi rector, edidit Exercitationes historicas de Imaginibus IESV Christi, Supplementa ad Chronicon saracenicum & turcicum Wolfg. *Drechsleri*, Exercitationes de vaticiniis sibyllinis aliisque, & Commentationem de acidulis pirmontanis, πολυγλωττος & tersæ latinitatis, diffusæque lectionis & exquisitæ κρίσεως scriptor, (ut eum vocant *Actorum eruditorum* collectores ad A. 1686. p. 463.) obiit A. 1701. ætat. fere 60. Auctor *Excerptor. menstr.* A. 1701. 80. A Iac. *Tollio* in Epp. itinerar. p. 7. vocatur vir linguarum orientalium & humanioris litteraturæ callentissimus, & ab *Henninio* in Annotat. ad illas p. 23. vir multis lucubrationibus doctissimis erudito orbi notus.

LVI.

Iac. LAVRI Antiquæ urbis splendor. Romæ 1612. *Est* liber formæ oblongæ, in quo præcipua romanæ urbis *templa*, amphitheatra, theatra, circi, naumachiæ, arcus triumphales, mausolea, pompæ triumphales, colosseæ imagines, & alia, nec non novæ urbis insigniores ædes sacræ, palatia, villæ, horti, & alia, cum singulorum explicatione, oculis subiiciuntur.

Iac. *Laurus*, romanus, tres & viginti annos huic operi impendit, sicut ipse testatur in dedicatione ad SIGISMVNDVM, Regem Poloniæ, floruitque initio sæculi XVII.

Ve-

Vestigi della antichità di Roma, Tiuoli, Pozzuolo, ed altri luoghi, stampati in Praga dà Egidio SADELER, 1606. e ristampati in Roma dà Gio. Giac. *de' Rossi*, l' anno 1660. id est, Vestigia antiquitatum romanarum, tiburtinarum, puteolanarum, & aliarum, edita Pragæ ab Aegidio *Sadelero*, A. 1606. typisque repetita Romæ a Io. Iac. *de Rubeis* sive *Rossis*, A. 1660.

Aegidius *Sadeler*, antverpiensis, Ioannis & Raphaëlis patruorum suorum discipulus, sculptor excellentissimus, lautoque sacratissimi Imp. RVDOLPHI II. stipendio sive salario usque ad eius obitum fruitus, ad senectutem vergens sculptoriam cum pictoria permutavit, utriusque autem artis exercitium, fatis sic iubentibus, plane deposuit, manumque ac penicillum, cum scalpro, Libitinæ porrexit Pragæ A. 1629. ubi etiam sepultus iacet. Plura de eo leges in *Sandrarti* Acad. teuton. volum. I. P. II, lib. III. p. 355. Et *Morhofius* Polyh. lib. V. c. 2. p. 229. fatetur, eum elegantes veterum ædificiorum iconismos dedisse.

LVII.

B. PLATINAE Historia de Vitis pontificum romanorum Coloniæ 1610. Incipit a Iesu Christo, domino nostro, & porrigitur usque ad Paulum II. inclusive, h. e. ad annum Christi 1471. Accesserunt Annotationes, Onuphrii *Panvinii*, eiusdemque Supplementum Pontificum usque ad Pium V. seu annum 1572. & Antonii *Cicarella* usque ad Paulum V. seu annum 1605. Exhibentur quoque effigies Pontificum, eæque, ut titulus habet, veræ, & sub finem Onuph. *Panvinii* Chronicon Pontificum romanorum, Interpretatio multarum vocum ecclesiasticarum, quæ obscuræ vel barbaræ videntur, & libellus de Stationibus urbis Romæ. Liber hic ad me venit e bibliotheca Io. *Sauberti*, patris, sæpiusque excusus est, nimirum Venetiis A. 1479. (quæ est omnium prima editio) Noribergæ 1481. Coloniæ 1529. 1551. f. 1611. 1626. Argentorati 1538. & in Hollandia A. 1645. & 1664. in 12. atque hæc ultima quidem editio cum hoc titulo: B. *Platina* Opus de vitis & gestis summorum Pontificum ad Sixtum IV. deductum, cum Platinæ vita, & Rom. Pontificum, conciliorumque sub illis celebratorum catalogo. De his & pluribus editionibus videatur *Crenius* Animadv.

P. XIIX. 20. Habetur etiam liber Pontificalis, vitas Pontificum rom. complectens, cuius auctorem plurimi ex modernis faciunt *Anastasium*, eccl. rom. bibliothecarium, & abbatem in urbe benedictinum, florentem sæc. IX. Io. *Moller* de Homon. 539.

De S. Euaristo p. 16. *Euaristus*, (ut Damasus ait) *titulos in urbe Roma presbyteris divisit*. Vbi per titulos intelligunt ecclesias, quæ curæ presbyterorum commissæ sunt.

Relatio hæc *non habet probabilitatem*, si cum illis temporibus, quibus Euaristus sedit, sollicite confertur. Observavit id ipsum *Hospinianus* lib. I. cap. 8. de Templis, ostendens, non licuisse Episcopis romanis *hoc tempore, quo tam immani crudelitate in Christianos sævitum est*, titulos aut parochias instituere, vel templa aliasque ædes huius rei gratia exstruere. I. H. *Böhmer* in Dissertationibus Iuris eccles. antiqui p. 456.

De S. Telesphoro p. 18. Telesphorus constituit, *ut -- in natali Iesu Christi noctu tres Missa celebrarentur.*

Eruditi hoc testimonium suspectum habent, quum celebratio festi nativitatis Christi longe serius sit instituta. Io. *Oldermann* Disp. de חנכה sive festo encæniorum, iudaico, origine festi nativitatis Christi §. 20. p. 16.

De Hadriano I. p. 121. Theophylactus & Stephanus episcopi insignes Hadriani nomine Synodum Francorum Germanorumque Episcoporum habuere: in qua & Synodus, (quam Septimam Græci appellabant) & *hæresis Feliciana de tollendis imaginibus* abrogata est.

Hic *confunditur hæresis Felicis & Elipandi* episcoporum Hispaniæ, Christum non naturalem, sed adoptivum filium *Dei* asserentium, *cum lite de tollendis imaginibus*. Rob. *Creyghton* præfat. in Historiam concilii florentini p. 51.

Veneti

De Vrbano VI. p. 268. Hac etiam arte Barbadicus usus est, *inventa tum primum* a quodam Teutonico *bombarda fuit.*

Veneti *quidem tum primum usi* sunt bombardis; ipsæ vero *inventa fuerant anno* 1354. G. I. *Vossius* in Epp.

De Eugenio IV. p. 306. Leonardum Aretinum, *Carolum Poggium aurispam*, Trapezuntium, Blondum, viros doctissimos, secretis suis admisit.

Interpunctio & formatio litterarum hoc modo facienda est: *Carolum*, *Poggium*, *Aurispam.* I. B. *Recanatus* in Vita Poggii c. 2. p. 2.

De Nicolao V. p. 314. Poggius Quinctilianum *tum* (tempore Nicolai V. Pontificis) invenit, & Enoch Asculanus *Marcum* Cælium, *Appicium*, & Pomponium Porphyrionem.

Quinctilianus *triginta ante Nicolaum V. annis* a Poggio inventus fuerat. Enoch autem Asculanus invenit *Apicium Cælium*, & Pomponium Porphyrionem. Io. Gottl. *Krause* Histor. libr. P. I. 26. *Recanatus* p. 9.

Panvinius de Iulio II. p. 363. Papa *Regem Francorum* (LVDOVICVM XII.) *victoria insolentem*, *& obstinatissime* (pacem) *recusantem* animadvertit.

Contra omnem historiæ fidem memoratur, IVLIVM studiosum fuisse pacis, sed LVDOVICVM noluisse ad pacis studia animum adiicere. Eccur *reticetur votum ac sacramentum*, quod IVLIVS ante suum ad pontificatum solemnem electionem cum aliis Cardinalibus ediderat? *Richerius* Hist. concilior. general. lib. IV, P. II. II.

Radolphus Bartholomæus *Saccus* sive *de Sacchis*, cognomen ferens *Platina* a vico natali in agro cremonensi, qui latine Platina, * penultima syllaba brevi, italice *Piadena* vocatur, in iuventute militiam

* Dubitanti aliquando, brevis ne an longa esset, penultima in nomine Platina syllaba, erudite solideque scrupulum exemit doctissimus & humanissimus vir, Iac. *Facciolatus*, per Phil. *Brandolini* versus hosce:

Sustulit e medio pestis sævissima nostrum
Historia, Platinam, *Pieridumque decus.*

litiam secutus est, postea autem litteris navavit operam: & primum a *Bessarione* Cardinale inter domesticos adscitus fuit, mox a PIO II. abbreviator i. e. secretarius apostolicus factus, opima sacerdotia accepit. Sed sub PAVLO II. dura expertus est fata: hic enim pontifex munere pecunia comparato eum spoliavit, minantem carcere & compedibus castigavit, restitutum laesae maiestatis accusavit, & negantem equuleo imposuit, gravissimisque excruciavit tormentis, & haereseos ei notam obiecit, (quae omnia ipse describit in Vita PAVLI II. p. 336. & seqq. Vide etiam *Bibliothecam novam* T. V. 365.) donec SIXTVS IV. doctrinae ac innocentiae Platinae conscius, misero favere coepit, donatis ei aedibus in Quirinali, & collata praefectura Bibliothecae vaticanae; quo in officio obiit peste infectus A. 1481. aet. 60. *Vossius* de Histor. lat. l. 3. c. 7. *Lambecius* in Annotat. ad Platinae Histor. mantuanam, *Wharton* in Supplem. ad Cavium 103. *Olearius* T. II. 18. *Heumannus* de libris anon. & pseudon. 122. *Giornale de' letterat. d' Italia* T. XIII. 417. & XXVI. 304. De fide Platinae in utramque partem exstant testimonia: in bonam, *Volaterrani* & *Spigelii* apud Casp. *Sagittar.* in Introd. in Histor. ecclesiast. p. 659. Hieronymi *Balbi* lib. de Coronat. ad CAROLVM V. Imp. *Bosii* in Dissertat. isag. de Compar. prud. civ. § 62. in malam, Rob. *Creyghtoni* in Not. ad Silv. Sguropuli Hist. concil. flor p. 22. 39. atque in Praefat. 51. & Card. *Bona* in Notit. auctor. libro de div. psalmod. praemissa. Plura de Platina si legere cupis, adi sis *Königium* p. 647. *Pope-Blount* 481. *Observat. miscellan.* P. IV. 304. *Whear.* Meth. leg. hist. eccl. 159. *Nes* in access. ad Mantiss. 48. Octav. *Ferrar.* Oper. var. P. I. 110. *Giornale* de' Letterati d' Italia Tom. X. 290. Platinae Historia pontificum in germanicum & italicum idioma translata est. Eandem in epitomen quis redegit, cum iconibus Ioannis *a Glano*, impressam Leodii A. 1597. Historiam hancce continuarunt *Panvinius* & *Cicarella*, sicut Io. Anton. *Petramellarius* Chronicon Platinae, nempe a PAVLO IV. usque ad CLEMENTEM IIX. seu annum 1592. De aliis scriptoribus historiae Pontificum romanorum agit Casp. *Sagittarius* in Introd. in Hist. eccles. c. 25. p. 650. & seqq. & *Crenius* in T. II. Methodor. p. 379. Indicem romanorum Pontificum ego ipse confeci, libroque inserui. Ceterum scripsit Platina de flosculis

sculis latinæ linguæ, de honesta voluptate seu tuenda valetudine, VII. libros de civitate Mantua, tractatum de Laudibus pacis, & Indicem archivi seu tabularii arcis S. Angeli: quæ duo ultima scripta adhuc in MS. latent. *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. XIII. 437. Equidem in *Menagianis* T. III. p. 60. notantur Scaliger, Bailius, & Broukhusius, quod Platinam libros suos de honesta voluptate scripsisse aiunt post opus Vitarum Pontificum, cum ante illud, & ante captivitatem scripti fuerint; attamen hoc non usque adeo certum est. *Giorn.* 434.

Onuphrius *Panvinius*, veronensis, origine cremonensis, eremita augustinianus, Panormi fato immaturo raptus est A. 1568. æt. 39. Scripsit de Ludis circensibus, Descriptionem triumphi Romanorum, & alia. *Thuanus* lib. 43. virum ad omnes & romanas & ecclesiasticas antiquitates e tenebris eruendas natum appellat, & *Conringius* præfatione in Historiam electionis VRBANI IIX. luculentissimum scriptorem, & rerum pontificiarum peritissimum, & lib. de Germanor. Imper. romano c. 10. p. 93. atque in Biblioth. *Schrader*. T. I. L. 7. admirabili valentem omnium antiquitatum peritia; interim non diffitens, eundem in partes Paparum proniorem multo esse, quam Cæsarum. Frid. *Arisius* in Cremona literata 312. *Sauffay* 29. *Kœnig* 605 *Magirus* 636. *Pope-Blount* 731. *Richer*. Hist. concil. l. 4. P. II. 11. *Cave* Præfat. in Partem II. Notit. liter. scriptor. ecclesiast. p. 3. & Phil. *a Turre* de annis Imp. ELAGABALI p. 3.

Ant. *Cicarella*, Fulginio-italus, D. theol. & historiographus, obiit A. 1599. ut testatur Ludov. *Iacobillus* in Biblioth. Vmbriæ p. 48. Vid. etiam *Miræus* de scriptor. sæc. XVII. 168. & *Bosius* de compar. prud. civ. §. 64. Cicarellam una cum Panvinio in italicum sermonem transtulit, & auxit Laurentius *Testa*.

Fran. LVCAE Romanæ correctionis in latinis Bibliis editionis vulgatæ, iussu SIXTI V. Pont. max. recognitis loca insigniora. Antverpiæ 1608. Edita sunt ibidem A. 1603. 8. Loca isthæc habentur etiam in Bibliis lat. cum Glossa ordinaria, studio Leandri *a S. Martino* edita, (de quibus P. I. 9. egimus) qui & plura adiecit. Sed & *Lucas* noster plura suppeditavit, eaque conspi-

cere licet in Prolegomenis Tomi I. Supplementor. Criticor. sacror. b. Ilid. *Clarius* in præfat. in suam Bibliorum versionem, emendasse 8000. loca in vulgata gloriatur. De recognitis SIXTI V. Bibliis videatur *Placcius* in pseudon. p. 571. qui cum Thoma *Hyde* putat, illa verius CLEMENTI IIX. adscribi posse. De SIXTO V. autem omnino legenda sunt, quæ habentur in *Scaligeranis* 404. *Perronianis* 350. & *Thuanis* 446. Contra Recognitionem autem Sixtinam disputat *Calovius* in Crit. sacro biblico p. 306. & sqq.

Pag. 1. *Cap.* III. v. 19. In sudore vultus tui vesceris pane: Sequitur in quibusdam libris additurque *tuo*, sed quod merito omissum est.	Cur autem præteritur correctio omnino necessaria eiusdem *Capitis* v. 15. ut pro Ipsa conteret, scribatur, *Ipse* vel *Ipsum?* Io. *Gerhardus* Confess. cathol. 1399.
P. 55. *Luca* XI. v. 4. Et ne nos inducas in tentationem. Denique *nec hoc*, quod in quibusdam exemplaribus sequitur, sed libera nos a malo, Amen, *a Luca fuit additum.*	*Dubium, an Lucas hæc verba, αλλα ῥυσαι ημας απο τε πονηρε, non addiderit*; quamvis fateamur, in veteribus aliquot MSS. ea non legi. Leguntur tamen in græcis, iisque emendatissimis exemplaribus.

Nicolai DE CLEMANGIIS Opera omnia, cum coniecturis & notis Io. *Lydii*, atque eiusdem Glossario latino-barbaro. Lugduni Batav. 1613. Quæ editio plurimis scatet mendis typographicis, agnoscente id etiam, & fatente *Colomesio Opp. p.* 705. repurgata autem exhibetur ab Eduardo *Brown* in Fasciculi rerum expetendarum & fugiendarum Tomo II. qui recensetur in *Actis erudit.* ad A. 1691. 134. E bibliotheca F. V. Calixti. Præmittitur vita Clemangii, & doctorum de ipso Testimonia, sicut & alia eius vitæ descriptione opus ipsum P. I. 190. clauditur. Opera sunt hæc: 1) De corrupto ecclesiæ statu liber. 2) Deploratio calamitatis ecclesiæ, per schisma nefandissimum. 3) De lapsu & reparatione iustitiæ. 4) Disputatio habita per scriptum super materia concilii gene-

generalis. 5) De annatis non solvendis. 6) De filio prodigo. 7) De fructu eremi. 8) De fructu rerum adversarum. 9) De novis celebritatibus non instituendis. 10) De præsulibus simoniacis. 11) Dehortatio a bello civili, ad Galliarum Principes. 12) De fuga e Babylone, tam corpore quam mente. 13) Epistolæ III. ad Gregorium papam, nomine Benedicti XIII. scriptæ, pro exstirpatione schismatis, & unione ecclesiæ. 14) Scripta quædam nomine Vniversitatis parisiensis. 15) Volumen epistolarum. 16) Fragmentum descriptionis vitæ tyrannicæ. 17) De antichristo, & ortu eius, vita, moribus, & operibus.

Nicolaus, a pago Clemange provinciæ catalaunensis dictus *Clemanges*, aut *Clemangius* sive *de Clemangiis*, inter alios præceptorem habuit Io. *Gersonem*, eloquentiæque ac poëseos studio præcipue incubuit. In academia parisiensi fuit creatus rector, & scribendis epistolis adhibitus. Vnde fama sibi comparata a BENEDICTO XIII. Pontif. in curiam avenionensem evocatus, eiusque a secretis esse iussus est. Postea ecclesiæ lingonensis thesaurariam dignitatem obiit; inde baiocensis ecclesiæ cantorem egit, & mortalitatem exuit ante annum 1440. Erat vir, ut *Wharton* eum depingit in Append. ad Hist. liter. p. 64. sincera animi pietate præditus, ac stilo supra sæculi sui sortem eleganti usus, intrepidus Principum malorum censor & obiurgator, qui Pontificum schismata, ambitionem & vitia, ecclesiasticorum sordes & avaritiam, monachorum ignaviam, luxuriam, & libidinem, omnium denique ordinum mores solutos acri calamo flagellat. Idemque *Whartonus* plura memorat auctoris nostri opuscula, quæ in privatis Galliæ bibliothecis delitescant. Plura de Clemangio vide apud *Hutterum* in Locis communib. 530. *Trithemium* in Bibliotheca *Schrader*. P. I. N 7. *Olearium* Biblioth. script. eccl. P. II. 17. *Du Pin* in *Actis erudit*. A. 1706. 298. & *Lenfant* præfat. in Hist. concil. constant. d 3.

Io. *Lydius*, Martini filius, pastor ecclesiæ veteraquinæ, floruit initio sæculi XVII.

LVIII.

IO. VOSSII de LXX. interpretibus eorumque translatione &

chronologia Dissertationes. Hagæ Comitum 1661. In tractatu de LXX. interpretibus, eorum versionem (sunt verba *Kœnigii* p. 856.) maximopere extollit, hebraicique textus integritatem elevare molitur. Chronologiam sacram (de qua vide *Schurzfleisch.* Epp. arcan. T. I. 94.) ad mentem veterum Hebræorum, & præcipue Iosephi exponit. In Dissert. de Vera ætate mundi ostendere studet, in tempore, quod a mundi creatione usque ad Abrahami patriarchæ natalem elapsum est, annos minimum 1440. desiderari. Equidem Aegid. *Strauchius* huic scripto disputationem opposuit de ætate mundi, nec *Bochartus* Operum Tomo I. 1147. Vossii sententiæ accedit; interim fatetur, illam, quia rationibus veri speciem habentibus innititur, nec nova est, sed primis sæculis credita & recepta, ut pravam & periculosam non merere damnari. Porro in hoc Vossii Opere subiiciuntur Castigationes ad obiecta Georgii *Hornii*, Christiani *Schotani*, theologi leydensis, id est, Io. *Coccelii*, Ant. *Hulsii*, Epistola ad Andr. *Colvium* p. 381. & alia ad Christian. *Schotanum* p. 123. Appendicis ad librum de LXX. interpret. Pag. 17. promittit auctor genuinam LXX. seniorum editionem: p. 239. utilitatem suæ Chronologiæ commendat: p. 280. refutat sententiam de Præadamitis: p. 283. & 384. negat, diluvium Noachi fuisse universale, respectu totius terræ globi. Nactus etiam est adversarium Ianum *Bircherodium* in Lumine histor. S. vet. & novi testamenti. Ceterum de Vossii hoc opere videantur *Wasmuth* Vindic. 18. Richardus *Simon* in Præfat. Hist. crit. V. T. ** 2. l. 1. c. 18. l. 2. c. 3. 4. l. 3. c. 20. Histor. crit. du texte du N. T. c. 6. & *Colomes.* 447. 824.

Henrici DE NORIS Censura in Notas Io. *Garnerii* ad Inscriptiones epistolarum synodalium XC. & XCII. inter Augustinianas. Florentiæ 1674. Præmittuntur Garnerii verba, iisque a Norisio censura subiungitur. Censetur autem potissimum ideo, quod ausus est singulis Episcopis adsignare sedes seu ecclesias suas. Idem tentarat ipse etiam Norisius, quum scriberet Historiam pelagianam; at videns, negotium non procedere, nec se omnium sedes indicare valere, manum de tabula retraxit, nec ultra vires agere voluit.

LIX.

Abr. SCVLTETI Medulla theologiæ Patrum. Francofurti 1634. In qua Theologia priscorum primitivæ ecclesiæ Doctorum, qui ante & post concilium nicænum floruerunt, methodo analytica & synthetica proponitur, atque a *Bellarmini*, *Baronii*, Greg. *de Valentia*, aliorumque Pontificiorum corruptelis ita vindicatur, ut liquido appareat, penes solas Reformatas ecclesias (ut in titulo habetur) esse doctrinæ & veritatis euangelicæ veritatem. Scripta autem, quæ resolvuntur, sunt sequentia: *Iustini* mart. *Athenagoræ*, *Tatiani*, *Irenai*, *Theophili*, *Clementis* alex. *Origenis*, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Arnobii*, *Minucii* Felicis, *Ignatii*, *Polycarpi*, *Apostolorum* Constitutiones & Canones, *Iacobi*, *Nicodemi*, *Prochori*, *Martialis*, *Abdiæ*, *Clementis*, *Herma* scripta apocrypha, *Dionysii* areopagitæ, *Synodi nicæna* Acta, *Athanasii*, *Epiphanii*, *Eusebii* cæsar. *Gregorii* nyss. *Luciferi* calaritani, *Nemesii*, *Macarii*, *Optati* milevit. *Vigilii*, *Basilii* M. *Hilarii*, *Phœbadii*, *Didymi* alex. C. Marii *Victorini*. Præmittuntur Aphorismi de fructuosa lectione Patrum. Laudaturque hoc opus a Io. *Forstero* in Consil. de stud. theol. 428. *Hülsemanno* Meth. stud. theol. 294. & *Neu* in Accession. ad Relect. *Wheari* 24.

Pag. 120. Clemens Alexandrinus *Christi corpus necessaria nostris corporibus ministeria negat postulasse.* Christum etiam adserit *fuisse impatibilem*, quem nullus subierit motus affectionis, neque voluptas, neque dolor.	Hæc *refutantur* a *Cavio* in Epist. apologet. contra Clericum 50.
371. Clementis Epistola ad Corinthios *periit.*	*Eruta est ex laceris reliquiis vetustissimi exemplaris Bibliotheca regia anglicana*, notisque illustrata a Patricio *Iunio*, denuo autem edita & asserta a Ioach. Io. *Madero*, Helmstadii 1654. postea etiam publicata a *Clerico* in vasto opere Patrum apostolicorum.

LX.

Io. DALLAEVS de Vſu Patrum ad ea definienda religionis capita, quæ ſunt hodie controverſa. Genevæ 1686. Controverſa videlicet Romano-catholicos inter & Proteſtantes. Argumentum autem libri, qui pro auctoris optimo habetur, eſt, Patres non poſſe ſedere iudices in diſputationibus, quæ inter utramque illam partem hodie agitantur, 1. quia, ſi non impoſſibile, ſaltem difficillimum ſit, quid de illis ſenſerint, liquido definire. 2. quia, cum eorum ſententia non ſit infallibilis, nec extra erroris aleam omnem poſita, non tantam tamen habeat auctoritatem, ut in ea acquieſcere poſſit animus, qui in iis, quæ ad religionem pertinent, nec poteſt, nec debet alia credere, quam ea, de quorum veritate ſibi certo conſtet. Liber hic ab auctore ſcriptus eſt gallice, latine autem redditus a Io. *Mettayero*, poſtquam a ſcriptore recognitus, auctus & emendatus erat. Si *Pezronio* credimus in Vindic. tradit. de Chriſto pane *anuor*. p. 5. Dallæus Iameſium pæne totum exſcripſit. Datur etiam libri huius epitome, de qua vide *Supplem, Actor, erud*, T. III. 192. Præterea Dallæus hoc in libro B. Hieronymum acerbe perſtringit eo, quod multas ſcripturæ expoſitiones peculiares, ignotas, immo & ſcandaloſas in medium protulerit. Sed Rich. *Simon* in Hiſt. crit. N. T. uti refert *Amelius* in Apol. der Erœrterung p. 5. oſtendit, iniuriam ei fieri, quippe qui aliorum attulerit expoſitiones. Contra præſens opus publicavit Matth. *Scrivenerus* Apologiam pro SS. eccleſ. Patribus, & Pet. *Zornius* Vindicias Patrum; Thom. autem *Ittigius* illud defendit II. orationibus inauguralibus. Presbyteriani hunc librum laudant; at Epiſcopales in Anglia vituperant. *Colomeſ.* 349. W. *Cave* in epiſt. apolog. contra Io. *Clericum* p. 18. *Cren*. Exercit. I. de libris ſcriptor. opt. 34. & Animadverſ. P. I. 88. ac *Pope-Blount* 1017.

Io. *Dallæus*, (Daillé) natus in Gallia, a Chatelleraut, abſolutis per Italiam, Helvetiam, Germaniam, Belgium & Angliam itineribus, primum ſamurienſis, dein cabilonenſis, ac demum pariſienſis eccleſiæ reformatæ, quæ Carentone ſuos habuit conventus, paſtor, & Synodi Reformatorum iuliodunenſis A. 1659. præſes, ſcripſit etiam de Cultu religioſo, cui ſcripto Fran. *Veronius* aliud oppoſuit, item de Confirmatione & Extrema unctione, de Ieiuniis

niis & Quadragesima, de Sacramentis sive Auriculari Latinorum confessione, de Imaginibus, Apologie des Synodes d' Alençon & de Charenton contra Frid. *Spanhemium*, pugnavit quoque cum Sam. *Maresio*, atque ad plures abiit A. 1670. ætatis 76. *Witte* Diar. biograph. Cccc 4. *Abregé* de la vie de Mr. *Daillé*, Io. *Fell* in Notis ad Clementis Ep. I. ad Corinth. p. 168. *Pearson* in Procem. Vindic. Epp. S. Ignatii c. 1. & 6. *Beveregius* in Cod. can. univ. Eccles. illustrato p. 8.

IDEM de Scriptis, quæ sub Dionysii areopagitæ & Ignatii antiocheni nominibus circumferuntur. Genevæ 1666. Demonstratur hoc libro, esse supposita, idemque de illis iudicandum, quæ de operibus Christi cardinalibus inter Cypriani monumenta habentur. Adiicitur etiam Commonefactio de Ruffiniana Origenicorum aliquot operum interpretatione. Dallæi autem sententia de Ignatii Epistolis refutatur a *Pearsono* in Vindiciis Epp. S. Ignatii p. 254. sicut altera de Canonibus apostolicis, eos ab hæretico nescio quo tenebrione consarcinatos esse, neque ante quintum, illudque adultum a N. C. sæculum Ecclesiæ christianæ innotuisse, a *Beveregio* in Codice canonum primitivæ Ecclesiæ illustrato & defenso c. 2. & sqq. itemque a *Du Pin* Nouv. Biblioth. eccles. T. I. 15.

LXI.

Lucæ OSIANDRI Epitome Historiæ ecclesiasticæ. Tubingæ 1607. Formata est ex Centuriis magdeburgensibus, & orditur a conceptione Christi, progrediturque usque ad annum 1601. quo habitum fuit Colloquium ratisbonense. Alia tamen methodo, ut scribit *Neu* in Access. ad Whear. 322. usus est celeberrimus hic epitomator, quam Centuriatores: secundum seriem enim temporum processit, & deinceps sequentium sæculorum historiam continuavit. Centuriam extremam autem prius, quam octavam & sequentes confecit, partim quod annum agens ætatis 68. de longiori vita desperaret, partim quod ab Apostolorum temporibus nulla Histor. ecclesiast. pars sit, quæ piis hominibus cognitu magis sit utilis & necessaria, quam hæc ipsa sæculi XVI. id quod pluribus in Præfatione ultimæ Centuriæ persequitur. Iudicia hoc de opere dabunt

dabunt *Theologi tubingenses* in præfatione, *Whear* 169. *Neu* in Accession. 322. Casp. *Sagittar.* Introd. in Hist. eccl. 280. *Sluter* in Propyl. 10. *Cave* Præfat. in Part. alteram Hist. lib. script. eccles. 3. G. *Calixt.* Appar. theol. 185. *Hülsem.* Meth. stud. theol. 295. Io. Gottl. *Moller* de Centur. magdeb. 15. *Ittig* præf. ad Hist. eccl. 52. *Hottinger* Bibliothecar. 406. & *Boineburg* Epp. p. 128. David *Förter* transtulit Epitomen hanc in linguam germanicam.

Cent. XVI. 643. Erroris Synergistici fundamenta iecit Phil. Melanchthon, docens tres esse conversionis causas, Spiritum Sanctum, Verbum, & Voluntatem hominis, *etiam non renati*.

Et voluntatem hominis *assentientem, & non repugnantem verbo Dei*, adeoque *a Spiritu sancto motam & adiutam*. Phil. *Melanchthon* in Corp. doctrinæ 334. 670. Io. *Fabricius* System. theol. 289.

798. Io. *Langius*, *quinque* Electorum palatinorum archiater.

Quatuor. Melch. *Adamus* in Vitis medicor. 141.

941. Schola (altorfina) *in perniciem ecclesiæ Christi* nata videtur: multo enim plures calvinistas, quam sinceræ theologiæ studiosos producit.

Somnium, si non calumnia.

Lucas *Osiander*, respectu cognominis Senior dictus, noribergensis, Andreæ Osiandri, theologi tunc noribergensis, postea regiomontani filius, diaconus primum gœppingensis, deinde theol. doctor, ecclesiastes aulicus wurtembergicus, assessor Consistorii, & abbas adelbergensis, inde pastor primus eslingensis, interfuit Colloquiis variis, videlicet maulbrunnensi A. 1594. montisbelgardensi A. 1586. & ratisbonensi A. 1564. curandæ etiam & serenissimi Ducis ac domini sui Ludovici iussu atque auspiciis commendandæ Formulæ concordiæ caussa ad diversos Imperii Status itinera fecit, scripsit Commentarium in tota Biblia, Institutionem christianæ religionis, de Ratione concionandi, Conciones de antiqua fide, aliasque super catechismum, Enchiridion capitum biblicorum, Anti-*Sturmium*, Responsionem contra Sam. *Huberum*, de S. cœna contra Dan. *Tossanum*, scripta polemica contra Io. *Pistorium*, Iac. *Feuchte*, Gregorium *de Valentia*, Georg. *Schererum*, Christ. *Rosenbuschium*,

buschium, Fran. *Costerum*, & alia, obiitque, quo se tandem receperat, Tubingæ A. 1604. ætatis 70. *Witte* Diar. biograph. D. *Moller* de homon. 709.

LXII.

Ioannis CLERICI Historia ecclesiastica duorum primorum a Christo nato sæculorum, e veteribus monumentis depromta. Amstelodami 1716. De qua vide Tomum VI. *Supplem.* Actor. erud. 481. *Germanica Acta erud.* T. IV. 468. & ipsius *auctoris* Bibliotheque ancienne & moderne T. V. 224. & T. VI. 1. In Præfatione negat vir clarissimus, qua est modestia, se agere velle de utilitate, aut etiam necessitate cognoscendæ historiæ ecclesiasticæ, & tamen graviter ac nervose de utraque disserit, ostendens, multis modis in ea tradenda & cognoscenda peccari solere; duabus igitur potissimum de rationibus se se ad scribendum adductum fuisse, videlicet quod res ipsæ sat bona fide, aut sat adcurate, in plerisque historiis, expositæ non viderentur, quodque via & ratio, qua dispositæ erant, sibimet non placerent. In anno natali & emortuali Christi, amplexum se esse sententiam eruditissimorum virorum, Henr. *Norisii* & Ant. *Pagii*; in annis vero apostolicis digerendis præivisse sibi Iac. *Usserium* & Ioann. *Pearsonium*. Adnotationes paginis eum in finem subiectas esse, ut in eas, quæ commode rerum contextui misceri non poterant, reiicerentur. Denique propositum suum clare aperit, dicens, consilium sibi esse, Historiam VI. primorum a Christo nato sæculorum pertexere, si Deus vires & tempus concesserit. Nec vero dubium est, omnes bonos ac veritatis ecclesiasticæ amantes adplausuros, ac vires & tempus præstantissimo viro iunctis votis adprecaturos esse.

LXIII.

Benedicti PICTETI Histoire de l' Eglise & du monde de l' onciéme siécle, Historia sacra & mundana sæculi XI. Genevæ 1713. Etiam dono auctoris. Est continuatio Historiæ ecclesiasticæ & sæcularis Domini *Le Sueur*. Auctor clarissimus tam est modestus, ut in Præfatione veniam petat, si opus hoc non sit tam exactum, quam potuisset esse, si ipse non impeditus fuisset mille interruptionibus, si habuisset omnes illos libros, quibus opus erat, & si uno

eodemque tempore habuisset omnes illos, quos nactus, & quibus usus sit. Interim de fide & integritate sua, qua scripserit, quaque alienus fuerit a partium studio, securum iubet esse lectorem. In litteris d. 10. Martii A. 1718. datis idem ad me scribit: *Brevi edam Duodecimi seculi historiam iam diu paratam, sed quam prelo subiicere non licuit.* Euge, feliciter!

LXIV.

Histoire du Concile de Constance, par Iaques LENFANT. A Amsterdam 1714. Petita est maximam partem ex Historia Concilii constantiensis, descripta ab Herm. *Von der Hardt.* Recensetur in *Actis germanicis* eruditorum T. II. 886. *Relat. innoc.* A. 1714. 309. *Nova Bibliotheca* T. IV. 81. & a Io. *Krause* in Histor. libror. T. I. 27. In *Ephemeridib.* autem *venetis* (nel *Giornale* de letterati d' Italia) T. XXII. 459 dicitur, Poggii iconem, quæ hic & alibi exhibetur, non esse veram & genuinam, sed aliam & confictam. Ceterum hanc editionem nova illa, quam CL. auctor iam curat, eaque auctior & correctior, longe superabit.

Iac. *Lenfant*, gallus, principem inter Ministros ecclesiæ gallicanæ, quæ Berolini est, locum tenens, & augusti Prussorum Regis a consiliis ecclesiasticis, multæ vir est eruditionis, atque orator disertissimus. In Novis Reip. litterariæ (Nouvelles de la Republique des Lettres) varia felicis eius ingenii exstant monumenta, ut, Reflexions & Remarques sur la Dispute du P. *Martianay* avec un juif: Critique des Remarques du P. *Vavasseur* sur les Reflexions du P. *Rapin*, touchant la Poëtique, & alia.

LXV.

Dav. CHYTRAEI Historia Aug. confessionis. Francofurti ad Mœnum 1578. Atque hic liber, teste Melch. *Adamo* in Vitis theolog. p. 690. ex eo originem traxit, quod auctor studioso cuidam seriem actorum & deliberationum de religione, in Comitiis A. 1530. cum Confessio primum CAROLO V. Imp. exhiberetur, ex diversis scriptis *Lutheri*, *Philippi* & aliorum, qui deliberationibus istis interfuerunt, coagmentatam proposuisset. Habetur etiam germanice in 4. Continentur autem hac in Historia 1) Series deliberationum & actorum de religione in Comitiis augustanis, p. 1. 2) *Lutheri* scriptum con-

consolatorium. 14. 3) Eiusdem variæ epistolæ p. 10. 28. 29. 32. 34. 40. 120. 121. 131. 132. 133. 135. 156. 163. 168. 270. 271. 272. 273. 287. 289. 292. 295. 296. 311. 637. 4) Eiusdem XVII. articuli. 5) Epistolæ *Melanchthonis* p. 26. 31. 72. 131. 160. 161. 167. 291. 304. 305. 306. 309. 326. 327. 648. 659. 666. 684. 6) *Philippi*, Landgr. Hass. 651. 7) M. *Buceri* 659. 668. 674. 8) Io. *Oecolampadii* 682. 9) Ioach. *Camerarii* 307. 10) Vinc. *Obsopoei* 308. 11) Erasmi *Ebneri* 310. 12) Iusti *Ionæ* 71. 74. 269. 13) *Erasmi* 157. 158. 161. 14) IOANNIS Elect. Sax. 30. 37. 69. 125. 289. 15) Eiusdem Instructio pro Comitibus a Nassau & Newenar ad Cæsar. Maiestatem. 37. 16) Eiusdem & Principum coniunctorum Responsio ad Cæs. Maiestatis postulata de concionibus verbi divini deinceps Augustæ intermittendis. 46. 17) Propositio Cæsar. Maiestatis Augustæ A. 1530. die 20. Iunii facta. 53. 18) Oratio Card. CAMPEGII. 61. 19) Augustana confessio 77. 20) Index monstrans loca Patrum & canonum, & historias hæreticorum aliasque, quæ in Aug. Conf. citatæ sunt. 111. 21) Ea, quæ post prælectionem A. C. gesta sunt. 119. 22) Disceptatio de traditionibus ecclesiasticis. 162. 23) Confutatio aug. confess. 172. 24) De eadem Cæsaris mandatum, & Responsiones Protestantium. 213. 25) Iudicium *Eccii* de Aug. confessione. 232. 26) Iudicium Philippi *Melanchthonis* & aliorum theologorum, quid concedi adversariis possit. 236. 27) Amica tractatio inter partes. 239. De qua videatur *Titius* in tract. de Phrasib. vet. eccl. doctor. p. 31. 28) Pontificiorum Media restituendæ concordiæ. 257. 29) Declaratio articulorum Confessionis aug. 267. 30) *Lutheri* Iudicium de articulis controversis. 273. 292. 31) Angustioris delectus Protestantium Responsio. 281. Confer cum pag. 268. 32) Senatus & theologor. *Noribergensium* Iudicium de mediis concordiæ. 297. 33) Responsum Electoris Sax. & coniunctorum Principum ac Statuum ad Cæs. Maiest. 314. 34) Conditiones pacis IIX. articulis comprehensæ, & a G. *Truchses* a Walburg, ac N. *Vehus* privato nomine datæ. 318. 35) Cæsaris Decretum in causa religionis. 329. 36) Prima delineatio Apologiæ aug. confess. 335. 37) Actio Imperatoris & Statuum de Decreto cæsareo. 369. 38) Decretum Comitiorum Augustæ A. 1530. d. 19. Nov. promulgatum. 389. 39) Confessio wirtebergensis. 413. 40) Confessio saxonica. 471. 41) Causæ, cur retinenda sit Confessio augustana, & quare iniquis iudicibus

Concilii trident. non sit assentiendum. 543. Quo de scripto vide *Gerhardum* L. de Magistratu polit. §. 204. 42) De concordia iudicium *Erasmi.* 566. 43) Ant. *Corvini* Iudicium de illo Erasmi scripto, cum præfat. *Lutheri.* 582. 44) Catalogus errorum & abusuum præcipuorum in Ecclesiis pontificiis. 610. 45) Phil. *Melanchthon* de abusibus illis emendandis, seu Pia reformatio ecclesiæ. 622. 46) Acta cum Cinglianis in Colloquio marpurg. A. 1530. 633. 47) Articuli *Saxonicorum* de sententia Reformatorum. 673. 48) Articulus de Cœna Domini, per Mart. *Bucerum* 678. 49) Formula concordiæ de Cœna Domini A. 1536. Wittebergæ initæ. 680. 50) Pax religionis, in Transactione passaviensi A. 1552. primum inita, & postea in Comitiis augustanis A. 1555. sancita & promulgata. 687.

Pag. 114. Sic enim ait *Ambrosius* lib. de Vocat. gent. c. 8. Fides bonæ voluntatis & iustæ actionis genitrix est.	*Prosper* Aquitanicus. *Placc.* de pseudon. 42.
241. De hoc nondum convenit, utrum necessariæ sint satisfactiones *quoad pœnam.*	Quod ad pœnam attinet *temporalem.* P. *Dionysius* werlensis Cathol. ehrenretter 352.
278. Sacerdos pro Christo valde splendide orare audet, ut Deus filio suo *Christo* per tale sacrificium (Missæ) velit esse propitius.	Non Christo, sed *sibi & adstanti populo.* Iac. Ben. *Bossuet* in Explicat. precum Missæ §. 38. P. Dionys. *wwerlensis* Meßbericht. P. II. 1.
644. Baptismus signum & opus Dei est, in quo fides nostra *requiritur.*	*Promovetur. Relat. innoc.* A. 1707. 292.
645. Decimo quarto: *De cœna* Domini.	In editione wittebergensi articulus XIV. est de *baptismo infantum.* F. V. *Calixtus* in Via ad pacem 10.

LXVI.

Viti Ludovici A SECKENDORF Ausführliche Historie des Lutherthums, und der heilsamen Reformation, sive Historia Lutheranismi. Lipsiæ 1714. Elias *Frickius*, ex latino eam transtulit

tulit, in meliorem ordinem digessit, quædam documenta inseruit, plenam de Lutheri operibus relationem tradidit, & præter duos alios Indice omnium Lutheri scriptorum ornavit. Latina libri huius editio lucem adspexerat A. 1691. eiusque spatium porrigitur ab A. 1517. usque ad A. 1546. Opposita est hæc Historia Lud. *Maimbourgii* iesuitæ libro, cui titulus, Histoire du Lutheranisme, qui tamen germanicæ versioni non, ut latinæ editioni, est insertus. Wilhelm. Ern. *Tenzelius* promisit quidem A. 1695. Historiam Lutheranismi, tribus constantem partibus, quarum prima se porrigere deberet usque ad Lutheri mortem, secunda ad A. 1600, & tertia ad nostra usque tempora; sed mors inopinata propositum hoc reddidit irritum.

Vitus *Seckendorfius*, Eques francus, non tantum humanioribus, politicis, & iuridicis, sed & theologicis studiis inde a iuvene deditus, & splendidis muneribus in aulis saxonicis admotus, ac tandem serenissimi Electoris Brandenburgici consiliar. intimus & cancellarius novæ Academiæ halensis, scripsit Defensionem de iustitia protectionis in Erfurtum, Meditationes polit. & morales in M. Annæum *Lucanum*, Orationes germanicas, Defensionem Relationis de Antonia *Burignonia*, Dissertationem contra *Cordemoii* Recitationem colloquii diabolici cum Luthero, Capita doctrinæ & praxis e *Speneri* concionibus excerpta, & Christianismum, naturæque debitum solvit A. 1692. æt. 66. Laudatur a Collectoribus *Actor. erud.* ad A. 1693. 47. & alibi, atque in *Pippingii* Memor. theolog. 1062. *Kœnigius* vocat virum summi iudicii, & eruditionis, p. 744. & *Schurzfl.* Epp. arcan. T. I. p. 11. virum in summis reip. negotiis iam pridem cognitum, &, si virtutem spectes, admirabilem, quem Germani mille exteris opponere, eiusque consilio, tanquam scuto Aiacis, inniti possimus. Quibus adde *Daumium* Epp. P. I. 8. ea & elogia, quæ collegit *Bibliothecar.* n. p. addict. T. I. 246.

Elias *Frick*, pastor ecclesiæ cathedralis ulmensis, multum præstitit circa formam externam in politissima hac versione, teste auctore *Erudita fama* T. III. 738. Sed scatet liber mendis typographicis.

LXVII.

Historia Veneta di Pietro GIUSTINIANO. In Venetia

1671. De novo recognita & aucta. In qua continentur res notabiles, quæ contigerunt a fundatione urbis usque ad annum 1575. Translata est in linguam italicam a R. P. M. *Remigio*, florentino, monacho.

LXIIX.

Petri BEMBI Rerum venetarum historiæ libri XII. Lutetiæ 1551. Quo anno & Venetiis prodiit, ut postea Basileæ 1556. & Argentorati 1611. quam editionem pro optima agnoscit & laudat *Bosius* de compar. prudentia civili, §. 41. atque nunc iterum imprimitur Venetiis in vasto opere, quo scriptores nobilissimi Historiæ venetæ exhibentur. Complectitur hæc Historia annos XLIV. estque continuatio narrationis, quam instituit M. Ant. *Coccius* Sabellicus, & finem ponit in morte IVLII Papæ II. quæ contigit die 20. Febr. A. 1513. *Bosius* in Dissertat. de comparanda prudentia civili §. 41. (apud Crenium T. II. Methodor. 369.) fatetur, auctorem non male scripsisse historiam venetam, nisi quod multa Venetorum gratiæ dedisse dicatur, stilumque & elegantiam ciceronianam nimis ubique adfectet; & Rob. *Turnerus*, orator & philosophus ingolstadiensis, ac protonotarius apostolicus, sibi in eo visus est invenisse, quod langueret, & auctorem redderet duriusculum, longiorisque periodi circumductu reptantem verius, quam incedentem. Optandum autem, ut perversus ille mos, qui Bembi ætate in historia scribenda, ut ei non adponerentur anni, obtinuit, in novo, quod commemoravimus, Corpore Historicorum venetorum tollatur, & singuli libri annorum adscriptione ornentur, atque illustres reddantur.

Lib. I. p. 19. Pater (Hermolai Barbari, creati a Papa patriarchæ Aquileiensium) perspecta Civitatis (ob illud factum iratæ) voluntate, omnibus tentatis rebus, cum iam eam flecti & leniri posse diffideret, *ægritudine animi est mortuus.* Filius non multo post *Romæ*, privato *Calbus* & alii amici Hermolai scripserunt ad ipsum, patrem eius *magna animi constantia* mortem excepisse. Hermolaus autem *peste* abreptus fuit, quum esset *extra Romam* in prædio Oliverii Caraphæ. *Giornale de' Letterati d' Italia* T. XXIIX. 242. 256.

Non

tus *plebeio* morbo periit.

Lib. VII. 155. Norimbergenses emissis ad urbem *legatis* exemplum *Venetarum legum* a Patribus petiverunt, velleque se se eis uti legibus ostenderunt. quod quidem illis Senatus frequens concessit.

Non legatos, sed *litteras* miserunt, scriptas a Wilibaldo *Pirckheimero* mense Maio A. 1506. neque universas leges Venetorum petiverunt, sed eas duntaxat, *quæ ad tutelas* pertinent; sicut Responsum serenissimi Ducis,& ipse codex legum tutelarium, qui in exedra tutelari Reip. noribergensis asservatur, abunde testantur. Vide *Amœnitates* meas theol. p. 669. Georg. *Richterum* Orat. XXV. 109. & *Wagenseilium* Epist. ad Fechtium p. 125. ac Notabil. Noriberg. 201.

Li marmi eruditi di Sertorio ORSATO. In Padoua 1669. Sunt X. epistolæ in antiquas aliquas inscriptiones. Inter quas in primis memorabilis est octava, quæ conspicitur in Prætorio patavino, & diu credita fuit esse monumentum Titi Livii, historicorum latinorum principis, cum sit *Titi Livii Liberti Halys*, *concordialis*, sive sacerdotis templi Concordiæ patavini, quod ille vivens fecit Liviæ, Titi, id est, suæ filiæ, immo sibi & suis omnibus: sicut docte, cumque magna Vrsati, antea aliter persuasi, admiratione id explicuit Marq. *Gudius*, nobilis germanus; quem ille ideo multis exornat laudibus, nec errorem, in quo ipse hæserat, recantare ullo modo dubitat.

Sertorius *Vrsatus*, Eques D. Marci, scripsit etiam Monumenta patavina, & Commentarium de notis Romanorum, vitaque abiit A. 1678. ætatis 71. Greg. *Leti* nell' Italia regnante p. 245. *Gravius* Præf. & Epp. 433. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 776.

LXIX.

Historia della Rep. veneta di Battista NANI. Partes II. In Venetia

netia 1686. Scripta auspiciis serenissimæ Reip. Est hæc editio quarta: & describuntur hoc in libro res gestæ cum Venetorum, tum aliorum Principum & Statuum ab anno 1613. usque ad annum 1671. Est etiam reddita gallice a *Tallemantio*, & prodiit (uti titulus præ se fert) Coloniæ A. 1701. in 12. tomis IV. cum figuris.

Bapt. *Nanius*, Patricius & senator venetus, Eques & Procurator D. Marci, vir doctissimus ac prudentissimus, summæ in patria, cuius memorabile exemplum legitur P. I. 330. atque apud exteros, ubi splendidissimas legationes obivit, auctoritatis, quique, si supervixisset, in sedem principalem fuisset evectus, scripsit etiam Philosophiam peripateticam dogmaticam, & ad plures abiit A. 1678. æt. 63. Elogia eius reperiuntur in *Actis erudit.* A. 1703. 45. *Crassi* Elogiis literator. P. I. 101. Octav. *Ferrarii* Operib. variis P. I. 405. 458. 584. 670. & P. II. 22. 115. 123. 126. 164. 206. 285. 288. 328. 329. 331. 333. 335. 383. *Neuii* Acessionib. ad Wheari Relect. hiemal. 215. *Wagenseilii* disp. de Imperatorib. qui post francicos p. 31. & *Kemmerichii* Neueroeffneten Academie der wissenschafften T. I. 362. qui ait, librum hunc singulari iudicio scriptum esse, & universalem in se historiam continere. Antequam hinc abeamus, non est silentio prætereundum, excellentissimum Nanium primum fuisse inter Historicos Reip. venetæ, ab ipsamet constitutos, qui Historiam suam vivens ediderit: hoc autem intelligendum de Parte I. nam II. Pars post obitum magni auctoris in dias luminis auras prodiit.

LXX.

Historia della Rep. Veneta di Michele FOSCARINI. In Venetia 1696. Secunda vice edita A. 1707. Hæc Historia est continuatio Historiæ venetæ Bapt. *Nanii*, incipiens ab A. 1669. & progrediens usque ad annum 1690. Estque scripta graviter, veritati conformiter, & eleganter.

Michaël *Fuscarenus* inclytus fuit Senator venetus, splendidis muneribus insignis, atque ad plures abiit A. 1692. æt. 60. Munera illa hoc disticho, quod sub eius effigie exstat, comprehensa sunt.

Quæsitor, Sapiens, Fastorum conditor, urbem
Iuvit & imperium legibus, ore, stilo.

LXXI. Isto-

LXXI.

Historia della Rep. di Venezia di Pietro GARZONI. In Venezia 1712. Tertia editio, eaque optima. Historia hæc complectitur res gestas tempore sacri fœderis contra Mahometum IV. & tres eius successores, ab anno 1682. usque ad 1700. adeoque describit felices successus, quos Veneti habuerunt in Peloponneso, atque Eubœa insula. EIUSDEM Pars altera Historiæ venetæ. Editio secunda. In Venezia 1717. Describuntur in ea res gestæ ab anno 1700. usque ad 1714.

Petrus *Garzonius*, amplissimus Senator venetus, primus fuit, qui Historiam patriam, iussu & auspiciis augustæ Reip. scriptam, integram posset velletque edere: illustrissimo enim Nanio fata non concesserunt, alteram Historiæ suæ partem ipse ut curaret atque emitteret. *Supplem.* Actor. erud. T. V. 384. *Giornale de' Letter. d' Italia* T. III. 417.

LXXII.

Le Opere del Cardinal BENTIVOGLIO. In Venetia 1667. Sunt autem Relationes de Provinciis Flandriæ unitis, de Flandria seu illis provinciis, quæ tunc parebant serenissimæ Domui Archiducum Austriæ, de Dania, & de Hugonotis seu Reformatis Galliæ: Historia Flandriæ, seu de bello belgico: Memoriarum libri duo, in quibus describit suam ipsius vitam & multas res, quæ sua ætate contigerunt Romæ, in Italia, & alibi: & denique Epistolæ.

Guido *Bentivolus*, origine ex regio sanguine, & principatu, quem eius maiores in urbe Bononia gesserunt, inclytus, civilis & canonici iuris Doctor, Pontificis rom. camerarius privatus, deinde Prælatus, & referendarius, postea Nuncius apostolicus in Flandria & in Gallia, & tandem Cardinalis, Galliæque Protector, reliquit etiam Commentarios rerum ecclesiasticarum, a Clementis VIII. pontificatu usque ad tempora Vrbani VIII. perductos, & vivere inter mortales desiit A. 1643. æt. 64. Est scriptor elegantissimus, atque in numerum classicorum auctorum recipiendus, dignusque qui *italicus* vocetur *Livius* & *Tullius*, & quem Gratiæ ament ob suavissimas facetias, quas epistolis suis inspergit. Vide *Crassum* Elog. P. I. 262. & Io. Nic. *Erythraeum* P. II. Pinacoth. 38.

LXXIII.

Iac. TOLLII Epistolæ itinerariæ. Amstelædami 1700. Ex auctoris schedis recensitæ, suppletæ, digestæ, Annotationibus, observationibus & figuris adornatæ ab Henr. Christiano *Henninio*. Describit autem ea, quæ vidit, audivit & observavit in itinere germanico, bohemico, ungarico, & græziensi. *Parrhesiander* quidem in Singularibus de viris doctis p. 525. non negans, multas res curiosas & notabiles contineri hisce Epistolis, hoc tamen addit, multa Tollium obscure tradidisse, nimisque credulum fuisse, & sæpe parvii iudicii; *Henninii* autem observationes elegantes & doctas esse, illustrare obscuriora, atque errores, in quos ille per credulitatem cecidit, candide indicare & corrigere. Huc etiam facit *Henninii* Præfatio, qua curam & diligentiam suam in hoc opere Tollii edendo, quodque præclaræ hæ Epistolæ Liberalitati brandenburgicæ, qua serenissimus Elector Brandenburgicus FRIDERICVS WILHELMVS Magnus Tollio itinera in Austriam, Vngariam, Italiamque non indulsit modo, sed & sumtus erogavit, debeantur, ipseque descriptionem vitæ Tollii præ manibus habeat, exponit. Recensetur hic liber in *Actis eruditorum* ad A. 1700. p. 274.

Pag. 8. Inscriptio in tabella plumbea, *litteris Longobardicis*, inventa in sepulcro LOTHARII Imperatoris, Saxonis.

Henninius in Annotat. p. 24. LOTHARIVS II. sive Saxo Imperator sepultus fuit in Lotharia Cæsarea, *Kaisers* Luter, *cui & originem & nomen ipse dederat.*

Litteris *latinis quadratis*, ita ut ipse Tollius eam exhibet spectandam. Vide *Annotationes meas* ad Letzneri Descriptionem monasterii Regiæ Luteræ, p. 27.

Iam *ante illum Imperatorem fuit hic monasterium virginum*, quod ille, pulsis virginibus, mutavit in conventum Benedictinorum; ac *nomen* Luter sive Lauter *habuit a Lutera fluvio*, parvulo quidem, sed purissimam ac limpidissimam aquam præbente. Vide iterum *Annotationes nostras* p. 12. Henr.

Henr. Christian. *Henninius*, francus, primum in academia Clivensium, quæ Duisburgi ad Rhenum floret, Tollii successor, adeoque Historiarum, Eloquentiæque latinæ & græcæ professor ordinarius, deinde apud Belgas confœderatos medicus, scripsit etiam Dissertationem de pronunciatione græcæ linguæ, qua, cum approbatione virorum doctissimorum, disputat, eam non esse pronunciandam secundum accentus, aliaque promisit, aut certe eorum commemoratione p. 118. 119. & 88. salivam eruditis movit.

POGGII Historia florentina, nunc primum in lucem edita, notisque & auctoris vita illustrata ab Io. Baptista *Recanato*. Venetiis 1715. Quod dicitur, primum in lucem nunc edi, id intelligendum est de textu latino, quo eam auctor in prædio suburbano consignavit; italica autem versio, cuius auctor est Iacobus, Poggii filius, diu ante prodierat. Ger. Io. *Vossius* lib. III. de Histor. lat. c. 5. p. 171. scribit, in ea hoc a *Machiavello* merito culpari, quod pleraque ea omiserit, quæ ad civiles discordias pertinent: nimis & patriæ favisse; quo respexerit *Actius Sincerus*, sive *Sannazarius* epigrammate istoc:

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

Historia autem hæc Poggii, iussu Reip. scripta, ab origine urbis florentinæ, si præcipuas res spectes, sed ab anno 1350. quod attinet ad gesta Florentinorum in particulari, usque ad annum Christi 1455. deducitur.

Io. Bapt. *Recanatus*, Patricius venetus, & academicus florentinus, eruditæ nobilitatis magnum ornamentum, non tantum nitidissime, sed & correctissime Historiam poggianam edidit, magnaque dignus est laude, quod eam illustrarit appositis in margine annis sive chronologica serie, sine qua lectores in tenebris versarentur, maioremque voluerit rationem habere veritatis, quam auctoris sui: eum enim, sicubi opus est, correxit ac reprehendit. De vita Poggii, ab eodem conscripta, fatentur doctissimi collectores *Actor. eruditorum* Tomo VI. *Supplementor.* p. 337. singulari studio & eleganti stilo consignatam esse.

LXXIV.

DIOGENES Laërtius de Vitis, dogmatibus, & apophthegmatibus clarorum philosophorum, græce & latine, cum Annotationibus Isaaci *Casauboni*, Th. *Aldobrandini*, Mer. *Casauboni*, Marci *Meibomii*, Æg. *Menagii*, & Ioach. *Kuhnii*. Accessit *Menagii* Syntagma de Mulieribus philosophis. Amstelædami 1692. Præmittitur catalogus editionum Diogenis Laërtii, & alius, nomina philosophorum, quorum vitas enarrat Diogenes, indicans. Indices IV. locupletissimi, qui subiunguntur, curæ & studio Io. *Clerici* accepti sunt ferendi. Est hæc editio omnium optima, nitidissima, & locupletissima: de qua etiam testatur *Struvius* Introd. in notit. rei liter. 369. addens de opere ipso, plane id egregium esse, & fundamentum omnis historiæ philosophicæ.

Lib. II. Segm. 108. p. 143. Eubulides Milesius plurimos in Dialectica modos rationesque interrogandi tradidit, mentientem & fallentem, --- & item *calvam*.

Calva illa, quæ nec ab *Aldobrandino*, neque a *Menagio* explicatur, hæc erat: Num, qui unum tibi pilum eripit, calvum te facit? Non. Sed qui sensim omnes capillos adimit, unum pilum eripit? Ita. Non igitur calvum te facit. Corn. Dieter. *Koch* Program. A. 1718. de Modo disputandi socratico p. 9.

Diogenes, a Laërte Ciliciæ urbe dictus *Laërtius* sive Laërtiensis, sectator Potamonis alexandrini, auctoris sectæ Eclecticorum seu Veritatis amantium, ita tamen, ut sectæ Epicuri non esset inimicus, vixit postremis forte temporibus Imp. SEVERI ac deinceps, sæc. II. & III. Habetur pro scriptore digno, qui assidue versetur & legatur. Stilus eius est concisus, & efficaciæ plenus, voces selectæ, sermo facundus; sique memoria & iudicio non semper valuit hic scriptor, leves tamen hæ maculæ insignibus reliquis eius ornamentis officere non possunt. Scripsit etiam παμμετρον seu Epigrammata omni metrorum genere, & Commentarium in Sillos *Timonis*. Videantur Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 19.

Acta

Acta erudit. A. 1692. l. 1. c. 1. B. G. *Struve* Biblioth. philosoph. 3. *Heumann* Actor. philosoph. P. I. *Vnparth. bibliothecar.* T. I. 1001.

Th. *Aldobrandinus* floruit versus finem sæculi XVI.

Æg. *Menagius*, andegavensis, Regis Gall. a consiliis & eleemosynis, Iuris utriusque Facultatis parisiensis Doctor honorarius, florentinæ andegavensisque academiarum socius, singularum primum hebdomadarum, postea quotidianis congressibus, (quos *Conferences* vocant) magna celebritate domi habitis, clarus, Europam fere universam peragravit, nec græcum duntaxat & latinum, sed italicum etiam gallicumque scriptorem politissimum egit, editis publico bono Originibus linguæ italicæ & gallicæ, Antibaielleto, Dissertatione de Heautontimorumeno terentiana, Poëmatibus & Miscellaneis, obiitque Lutetiæ Parisiorum, A. 1692. æt. 79. Pastori moribundum visenti, rogantique, excusatum se haberet, si pro ratione muneris iam proponeret quæstiones non nullas super mysteriis fidei, respondit: *Mihi quidem hoc est gratissimum; nam in fidei materia vel litteratissimi non sunt aliter considerandi, quam infantes.* Eruditorum de eo iudicia dabunt *König* 529. *auctor Memoriæ* vitæ Menagii, quæ secundæ Menagianorum, post ipsius obitum publicatorum, Parti præmissa est, *Petitus* in præfat. quæ reperitur sub initium Partis I. Menagianorum, *Heidegger* in Vita I. L. Fabricii 32. *Sorberiana* 137. *Colomesius* 628. *Crenius* de Furib. librar. 99. *Acta erud.* A. 1701. 247. *Moller* Hypomnem. ad Morhofii Polyhist. 399. *Morhof* Polyhistor. lib. IV. 40. 46. lib. V. 226. lib. VII. 330. 379. T. II. 2.

Marcus *Meibomius*, Tonninga-cimber, ex Aula CHRISTINÆ augustæ suecica in Daniam delatus, & professoris ibi sorani, consiliarii ac bibliothecarii regii, tandemque architeloni helsingorensis dignitatibus a Friderico III. auctus, hinc in Gymnasio amstelodamensi unum tantum annum historica professus, & post excursiones in Angliam & Galliam otio vitæ privatæ fruitus, trium vir linguarum, pariterque summa matheseos peritia, & multa variaque eruditione inclytus, sed infelicibus annumerandus litteratis, atque in codice hebræo restituendo, metrisque eius corrigendis audacior, edidit VII. auctores Musicæ veteris, Dialogum de Proportionibus, librum de Fabrica triremum, & III. Specimina correctionis locorum scripturæ V. T. quorum primum est con-

tentum in libro de Fabrica triremum, tertium autem non eſt completum, ſed tantum pars aliqua, ſecundo adiuncta, tandemque in paupertate obiit Vltraiecti A. 1710. ſic ſatis ſenex. *Clericus* Tom. XXII. Biblioth. ſelectæ p. 303. Io. *Moller* Hypomnem. ad Bartholin. de ſcriptis Danor. 327. & de homon. 700. denique *Acta erud.* A. 1692. 316.

Ioach. *Kühnius*, gryphiswaldenſis, gr. linguæ profeſſor argentinenſis, & huius quidem linguæ peritiſſimus, edidit Animadv. in Pollucem, & Pauſaniam cum notis, vita hac defunctus A. 1697. æt. 50. *N. Bücherſaal* T. II. 134. *Ludovici* Hiſt. ſcholaſt. P. III. 225. Laudatur in *Actis erud.* A. 1697. 98. atque a *Crenio* Animadv. P. III. 175. & præf. in Saubertum de ſacrificiis 55. ac *Morhofio* Polyh. l. 4. c. 7. n. 4.

LXXV.

Laurentii CRASSI Elogii d' huomini letterati. *Venetiis* 666. Deſcribuntur vitæ virorum litteris inſignium, traditur ſyllabus ſcriptorum, quæ compoſuerunt, & exhibentur eorum imagines. Similis argumenti ſcripta ſunt M. Zuer. *Boxhornii* Monumenta illuſtrium virorum & elogia. Amſtelædami 1638. fol. Academie des ſciences & des arts, contenant les vies & les eloges hiſtoriques des hommes illuſtres, qui ont excellé en ces profeſſions depuis environ quatre ſiecles parmy diverſes nations de l'Europe, avec leurs portraits, par Iſ. *Bullart.* A Amſterdam 1682. f. Elogii de' Prencipi & huomini illuſtri d' Italia, per Gio. Batt. *Fabri*, in Venezia 1698. f. Compendioſo riſtretto delle vite di perſonaggi alcuni illuſtri per la ſcienza, & altri celebri per ſantità e dottrina, per Ant. *Baldaſſaro.* In Fuligno. 1711. 12. Andr. *Theveti* liber de viris illuſtribus. Nicol. *Craſſi* Elogia venetorum Patriciorum, & illuſtrium belli Ducum: de quibus vide *Acta erud.* A. 1684. 432. Cum vero Index literatorum, uſitato apud exteros, perverſo tamen, & quærentibus valde moleſto more, ſecundum prænomina ordinatus ſit, haud gravabor illum hic communicare, quem egomet ad ipſa ſcriptorum nomina gentilitia meum in uſum formavi. Eſtque hic; dummodo notes, priorem numerum ſignificare Partem libri, poſteriorem paginam.

Achi-

Kircher

Laur. *Craſſus*, Legum doctor, & advocatus ordinarius neapolitanus, quantum temporis cauſſarum negotiis licuit detrahere, id

id omne impendit ſtudiis elegantioribus & humanioribus, floruitque ſæculi XVII. initio. Ludov. *Boncompagnus* ait in præfat. Craſſum plures litteratos celebraturum fuiſſe, ſi eorum imagines & vitæ deſcriptiones ipſi licuiſſet nanciſci, in præſentibus autem laudandis ab omni adulatione abſtinuiſſe, ſoli virtutum & doctrinæ illorum conſiderationi intentum; ceterum animo concepiſſe elogia plurium eruditorum, immo & illuſtrium belli Ducum, & Politicorum, Hiſtoriam poëtarum, Vitas regum neapolitanorum, volumen de Familiis nobilibus, Collectionem materiarum iuridicarum, & aliam peregrinæ eruditionis. *Morhofius* fatetur in Polyhiſt. T. I. 246. ſe non pauca, quæ faciant ad hiſtoriam virorum doctorum, ex hoc auctore didiciſſe. At credit tamen, multa illum ex aliorum relationibus hauſiſſe, adeoque non ſemper fide dignum eſſe. Adde *Critopuli* Cenſuram Eclogar. Mayeri 69.

LXXVI.

PROMTVARIVM iconum inſigniorum a ſæculo hominum, ſubiectis eorum vitis. Editio ſecunda. Lugduni in Gall. 1581. Collector earum eſt Guilielmus ROVILLIVS, bibliopola, qui adhuc floruit A. 1581. ac fatetur, priſcorum hominum, ante diluvium & ante pingendi & ſculpendi artes viventium, a ſe fuiſſe per imaginationem effictas; reliquas autem efformandas curavit ex nummis, ſtatuis, aut probatis auctoribus. Atque illæ icones ordiuntur ab *Adamo*, & finiunt in Franciſco Card. *Zabarella*, qui vixit A. 1443.

P. 212. Io Picus exceſſit e vita *trium* & triginta annorum iuvenis, eo die, quo CAROLVS IIX. Gall. Rex *Neapolim* eſt ingreſſus *anno* ſalutis 1483. *Nepotem* habuit *Franciſcum* Picum.

Duorum & triginta annorum iuvenis, eo die, quo CAROLVS IIX. *Florentiam* eſt ingreſſus, *anno* ſalutis 1494. Nepotem *ex fratre* habuit *Io. Fran.* Picum. Vide p. 204.

Auberti MIRAEI Elogia belgica. Antverpiæ 1609. Commemorantur in iis illuſtres Belgii ſcriptores, qui auctoris patrumque memoria vel eccleſiam romano-catholicam propugnarunt, vel di-

sciplinas illustrarunt: & vivas illustriorum effigies, quas consequi datum, a Theodoro *Galleo* in æs incidendas ac publicandas curavit auctor.

Aubertus *Miraus*, bruxellensis, canonicus & bibliothecarius antverpiensis, obiit A. 1640. æt. 67. & præterea edidit Fastos sacros belgicos ac burgundicos, item Chronicon rerum belgicarum a IVLII Cæs. adventu usque ad A. 1635. Bibliothecam ecclesiasticam, multaque alia. In Elogiis belgicis, iudicio Gallorum per *Bailletum*, accuratior quidem est, & elegantius loquitur, sed cæco sæpe amore in patriam fertur & populares. Videantur autem præter hunc *Kænig* 542. *Magirus* 595. *Pope-Blount* 977. *Schurzfleisch* Epp. arcan. P. I. 562. & in Epp. select. p. 125. *Morhof*. Polyh. T. I. 207. *Ghilini* P. II. 32.

Caroli PATINI Lyceum Patavinum. Patavii 1682. Exhibentur in eo icones & vitæ professorum, Patavii A. 1682. publice docentium; suntque illi vel theologi, vel philosophi, vel medici, (ICtis enim alteram destinavit partem, sed quæ nunquam fuit elaborata) nominatim Hier. *Frigimelica*, Octav. *Ferrarius*, Angel. *Montagnana*, Seb. *Scarabicius*, Io. Pompil. *Scotus*, Georg. *à Turre*, Hadr. *a S. Iuliana*, Hilar. *Spinellus*, Alex. *Borromaus*, Hermenig. *Pera*, Domin. *de Marchettis*, Stephan. *de Angelis*, Alban. *Albanesius*, Fel. *Rotundus*, Car. *Renaldinus*, Io. *Cigala*, Ant. *de Marchetis*, Ant. Maria *de Blanchis*, Iordanus *Iordani*, Iac. *Pighius*, Car. *Patinus*, Io. Hier. *Textorius*, Nic. *Calliachius*, Gemin. *Montanarius*, Octav. *Saviolus*, Vital. *Terra rubea*, Nic. *Arnu*, Georg. *Calafatti*, Seraph. *Piccinardus*, Ios. *Carlottus*, Mich. Aug. *Molinettus*, Lud. *de Saxonia*, Augustin. *Pivati*. Recensetur hoc opus in *Actis erudit*. A. 1682. 374.

Pag. 94. Io. Georg. Volckamerum, *patricium* Norimbergensem, medicum unice diligo.	Nobilissimus hic Medicus distinguendus a gente patricia *Volckheimererum*.
96. *Hofmannus altorfi.*	*Mauricius Hoffmannus, Altorfii.*

Carolus *Patinus*, Doctor medicus parisiensis, primarius chirurgiæ in lyceo patavino professor, & Eques D. Marci, quem Collectores *Actor. erudit.* l. c. p. 375. omnium elegantiarum promum condum, & scriptorum præstantissimorum gloria inclytum vocant,

Vrsini

Vrsini & *Augustini* Familias romanas emendavit & auxit, deditque Notas in Suetonium, Epistolam ad Eggelingium de numismatibus quibusdam, Commentarium in III. Inscriptiones græcas Smyrna allatas, Commentarium in antiquum monumentum Marcellinæ, Commentarium in cenotaphium M. *Artorii* medici, & Explicationem nummi ANTONINI Pii, Tractatum gallicum de mariscis seu cespitibus bituminosis, qui germanice *Torf* vocantur, obiitque A. 1693. æt. fere 60. Vide *König* 612. *Acta erud.* A. 1684. 248. *Morhof.* Polyhist. T. I. p. 198. & *Struve* de doctis impostor. §. 44.

LXXVII.

Guidonis PANCIROLI Res memorabiles, tam deperditæ, quam recens inventæ, & veteribus incognitæ, cum Commentario Henrici *Salmuthi*. Francofurti 1660. Prodierunt etiam Lipsiæ 1707. 4. Res deperditæ, quæ hic commemorantur, sunt Purpura, Encaustum, Obsidiani, Linum vivum sive asbestinum, Byssus, Specularia, Murrhinum & aliquæ gemmæ, Aurichalcum, Cinnamomum, Folium barbaricum, Amomum, Costus, Malobathrum, Casia odorata, Aroma indicum & Laser, Myrrha, Stacte, Bdellium, Balsamum, Azzalum indicum, Sal ammoniacus & Stellio, Marmora, Lapides pretiosi, Fructus, Amphitheatra, Theatra, Circus maximus, Basilicæ, Tabernæ, Nymphea, Forum, Viæ, Librariæ sive bibliothecæ, Statuæ ex multis particulis seu crustis compositæ, Cellæ, Palæstræ & Stadia, Thermæ ac balnea, Arcus triumphales, Columnæ Traiani & Antonini Pii, Moles Hadriani & Sepultura Cestii, Obelisci, Pyramides, Labyrinthi, Sphynx ægyptia, Thebæ, VII. mundi Miracula, Naumachia, Statuæ, Asylum, Pyropus, Electrum, Corinthium æs, Oleum incombustibile, Vitrum ductile, Papyrus, Naves quadriremes & quinqueremes, Musica muta & hydraulica, Actio, Characteres litterarum, Fibula, Habitus Imperatorum, Salutatio Imperatorum, Diadema, Equi, Testudo, Supellex argentea, Mos capiendi cibum, Venditio olei, vini & aliorum liquamentorum ad mensuram, Mores bellici, Mores exercitus, Coronæ militibus datæ, Armamentaria, Triumphus, Legati, Nuptiæ, Ludi, Damnati in metallum, Exequiæ mortuorum, Nomenclatores, Dona, Horæ & clepsydræ. Recens autem

inventæ, ſunt Novus orbis, Porcellanæ, Lapis Bezoar, Rhabarbarum & Caſſia, Saccharum, Manna, Alchemia, Deſtillationes, Campanæ, Horologia, Pixis nautica, Typographia, Charta, Ziferæ ſeu ſurtivæ litterarum notæ, Conſpicilia, Sellæ, Staphiæ, & Soleæ equorum, Quadratura circuli, Tormenta muralia & Bombardæ, Ignis græcus, Torneamenta, Quintana, Moletrinæ, Aucupium, quod cum accipitre, niſo, falcone & aliis avibus peragitur, Texta ſerica, & Liquores, qui vulgo *Botarge* & *Caviaro* dicuntur. Henr. *Salmuth* libros hoſce, ſuaſu Ioach. *Camerarii*, Ioach. filii, ex italico vertit in latinum; *Pancirolus* autem eos ſcripſit in gratiam Ducis pedemontani, & Mich. *Watſonus* eorundem Supplementum dedit in Theatro variarum rerum. Sed illi de Rebus deperditis diſputationi Panciroli peculiarem oppoſuit Diſſertationem Olaus *Borrichius* T. II. Diſſertationum p. 97. oſtendens, *nihil opum antiquarum perdidiſſe ſaculum noſtrum*, quin evidentius omnia perſpicere, certiusque definire: ut proinde *in ſupervacuis ſe fatigarit Pancirolus* docto illo ſuo, & in ſpeciem veraci opere, atque hunc potius ei titulum præfigere debuiſſet: *De rebus hodie in deſuetudinem abeuntibus*, ſive *de rebus antiquorum, quas poſteritas intuitu meliorum abolevit, antiquavit, correxit*.

Parte II. 281. Bombardæ inventæ fuerunt *anno* 1378.

283. Machinæ iſtius inventor fuit Germanus, ſive *eius nomen ignoretur*, ſive *monachus* fuerit.

Anno 1354. G. I. *Voſſius* Epp. p. 358.

Aiunt, fuiſſe *Bertholdum*, *medicum*. Thaddæus *Donnola* de patria Propertii 35.

Guido *Pancirolus*, regienſis, V. I. D. nec inficiandæ diligentiæ ſcriptor, ceterum feſtivitate & multiplici doctrina clarus, ſortemque ſuam aulæ pontificiæ honoribus præferens, iura magno adplauſu, lautoque ſtipendio docuit cum Auguſtæ Taurinorum, tum Patavii, & bis quidem hoc in loco, obiit A 1591. ætat. 76. & compoſuit Comment. in Notitiam imperii, Theſaurum variarum lectionum, Notas in *Tertullianum*, libellum de origine Equitum, libros de claris Iuris interpretibus, & alia, de quibus videatur *Tomaſinus* in P. I. Elogior. p. 192. De ipſo autem & eius Memorabilibus *König* 603. *Magirus* 634. *Pope-Blount* 757. *Leikher*. in Vitis ICtor. 390.

390. *Ghilinus* P. I. 140. *Erythraeus* P. III. Pinacoth. 201. *Morhof* Polyh. lib. I. 269. *Wower.* Epp. p. 414.

Henricus *Salmuth*, Henrici filius, Ambergae syndici munere functus est, eiusque nomen inserendum properanti ad finem saeculo XVI.

LXXIIX.

ARISTOTELIS Opera, graece, curante Frid. *Sylburgio.* Francofurti apud Andr. Wecheli heredes A. 1584. 1587. volumina VI. Est haec editio inter graecas nitida, luculenta, emendatissima, teste Io. Alb. *Fabricio* B. gr. l. 3. p. 169. & l. 1. p. 100. in qua textus collatus est cum basileensi editione Mich. *Isingrinii*, & veneta Bapt. *Camotii*, subiunctaeque singulis tomis variae lectiones, & annotationes cum praestantissimorum virorum, tum ipsius etiam *Sylburgii*, atque indices locupletissimi. In primo volumine comprehenduntur 1) Organon, editum A. 1585. 2) Artis rhetor. libri III. 3) Rhetorices ad Alexandrum liber I. 4) De arte poëtica lib. I. Editi A. 1584. De Organo videatur Ioach. *Langius* Theol. christ. in numeris 218. & Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 3. p. 117. de reliquis idem *Fabricius* p. 118. 121. 122. Librum de Poëtica emendavit & illustravit Dan. *Heinsius*. De quo R. *Simon* Biblioth. choif. P. I. 158. Libri περὶ ἑρμηνείας & de categoriis, indice *Sanctio* in Minerva p. 32. & 290. indigni sunt nomine Aristotelis. In secundo 1) Ethicorum ad Nicomachum, Aristotelis, ut veteres credunt, filium, libri X. opera Petri *Victorii* emendati. 2) Ethicorum magnorum libri II. 3) Ethicorum eudemiorum, sive ad Eudemum rhodium, Aristotelis discipulum, libri VII. 4) De Virtutibus & vitiis lib. I. 5) *Theophrasti* characteres ethici. 6) *Alexandri* aphrodis. Quod virtus non sufficiat ad beatitudinem. Haec omnia edita sunt A. 1584. Io. Alb. *Fabricius* p. 150. 155. 156. Ac nota, christianis virtutibus & gratiae divinae male cum Ethicis Aristotelis convenire, *Conringiana* p. 69. nec patere rationem, cur Magna Moralia inscripserit ille libros II. cum sint breviores reliquis. Interim concedimus *Scaligero* Exercit. 317. & Ioach. *Camerario* in Notis ad caput 7. libri I. Ethic. & ad c. 3. libri VII. Aristotelem in libris moralibus populariter locutum, nec nisi mathematicae scientiae imperitis obscurum esse. In tertio, 1) Politicorum & Oeconomicorum libri. 2) Varia opuscula, videlicet de *Xenophanis*, *Zenonis* & *Gorgia* dogmatibus, de Li-

neis inſecabilibus, Mechanica problemata, de Audibilibus, de Mirabilibus auditis, Ventorum ſitus & nomina, Phyſiognomonica, de Coloribus, & de Plantis libri II. Omnia edita A. 1587. & variis Opuſculis inſerta ſunt *Sotionis* & *Athenæi* Collectanea de fluviis, lacubus & fontibus mirabilibus, item *Polemonis* & *Adamantii* Phyſiognomonica, cum libro *Melampodis* de Palpitationibus, & libro de nævis oleaceis. Vbi notandum, libros politicos nec integros, nec eo ordine, quo ab auctore ſcripti ſunt, ad nos perveniſſe: nam ſeptimus & octavus, quibus de optima rep. agitur, præmiſſi fuerunt ab auctore libris quarto, quinto & ſexto, qui ſunt de rebuspubl. a rectiſſimo ſtatu aberrantibus; & libri quidam poſtremi deſiderantur: librum adverſus *Xenophanis*, *Zenonis* & *Gorgiæ* dogmata quædam phyſica & metaphyſica ex nobili Bibliothecæ apud Lipſienſes paulinæ codice ſuppleri & emendari poſſe, cuius etiam varias lectiones exhibet Cl. *Fabricius* p. 139. librum τῶν θαυμασίων ἀκουσμάτων non nullos non agnoſcere pro ariſtotelico, teſte *Mollero* de Homon. 288. per *palpitationes* in Melampodis libro intelligi ſaliſſationes (ut Medicorum vocabulo utar) membrorum corporis humani, eiusque alterum librum, ſive potius fragmentum de nævis oleaceis itidem corpus reſpicere humanum: *Sylburgium* non refragari, ſi quis Mechanica cum ceteris Problematis coniungenda eſſe exiſtimet: & libros de plantis eſſe adulterinos. Io. Alb. *Fabricius* 157. 159. 158. 149. 137. 143. 144. 136. 135. In quarto 1) de Animalium hiſtoria libri X. 2) Collectanea e *Theophraſto* de animalibus. A. 1587. Nota autem, Ariſtotelem plura de animalibus volumina ſcripſiſſe, alios etiam ex editis, atque a nobis mox commemorandos, ad hoc argumentum ſpectare, & *Athenæum* lib. IX. Hiſtoriar. referre, Ariſtotelem in ſumtus huic operi neceſſarios ab ALEXANDRO *accepiſſe talenta* octingenta, id eſt, 600000. amplius ioachimicorum. I. A. *Fabricius* 132. In quinto 1) de Animalium partibus libri IV. 2) de Animalium ingreſſu liber I. 3) de Animalium motu lib. I. 4) de Animalium generatione libri V. 5) de Spiritu lib. I. Qui ſpurius eſſe creditur. Ad hæc autem verba ſic annotavit vir quidam doctus in meo codice: *Ex auctoritate Hieron. Mercurialis.* Vide in calce notas *Sylburgii.* At vero Iulius Cæſ. *Scaliger*, maximi vir iudicii, Ariſtoteli eum diſerte attribuit Exercit. X. pag. 56. Vide

etiam

etiam Exercit. CCLXXIII. 6) *Aristotelis*, *Alexandri* & *Cassii* Problemata, cum *Theophrasteorum* quorundam collectaneis. A. 1585. I. A. *Fabricius* 135. 131. 130. Et Aristotelis quidem Problemata sunt omnis generis quæstiones, cum responsionibus non minus acute, quam modeste propositis, physici, medici, mathematici, philologici, & ethici argumenti, eademque, referente Phil. *Mornao* de V. R. C. cap. 9. ex pluribus collecta putantur: itaque eius sententia propria male ex Problematis petitur, ut ait Franc. *Vallesius* de S. philos. cap. 30. quia in eorum dissolutione sæpe utitur alienis placitis. Nec prætereundum discrimen inter Problema, Theorema & Porisma. *Problema* simplicem & illaboratam præfert propositionem; *Theorema* autem operosam, solidam, exactoque & scientifico iudicio compertam & exploratam; & *Porisma* dicitur, si ex demonstratione comprobatis obiter aliud theorema colligitur, & quasi lucro opponitur. *Sylburgius* in præfatione. In sexto denique 1) Physicæ auscultationis libri IIX. 2) de Cœlo libri IV. 3) de Generatione & corruptione II. 4) Meteorologicorum IV. 5) de Mundo I. Qui non est Aristotelis, uti videtur *Conringio* Conringian. 128. 6) de Anima III. 7) de Sensu & sensibilibus liber I. 8) de Memoria & reminiscentia I. 9) de Somno & vigilia I. 10) de Insomniis I. 11) de Divinatione per somnum I. 12) de Iuventute, senectute, vita & morte I. 13) de Respiratione I. 14) de Longitudine & brevitate vitæ. 15) Metaphysica, cum Metaphysicis *Theophrasti*. Libri physicæ auscultationis, quorum primo agitur de principiis, secundo de natura, fortuna & casu, in reliquis de affectionibus generalibus corporum, præcipue de motu, ut & metaphysici, sunt acroamatici: & hos quidem evulgatos esse ab Aristotele, indignatus fuit ALEXANDER M. cui tamen ille respondit, vulgasse se, & non vulgasse, quia nempe scripti fuerint non rudibus, sed eruditis iam & philosophia imbutis, adeoque non satis plene & perspicue singula tradant. Io. Alb. *Fabricius* 124. 126. 127. 129. 130, 131. 146. In hoc igitur opere omnes fere Aristotelis libri exhibentur, excepto Peplo, seu Epitaphiis heroum troianorum græcorumque ultra quadraginta, quæ distichis constant elegiacis: de quo legendus sæpius excitatus *Fabricius* p. 160. Quamquam alii dubitant, an sit Aristotelis, alii illum ei abiudicant. Io. *Moller* de Homon. 288. De diversis autem, si non de singulis Aristo-

Aristotelis libris, docebunt te *Lutherus* T. I. Opp. ien. germ. 310. *Magirus* 78. *auctores* in Crenii Methodis, *Ancillonii* Melange critique 188. & Mich. *Piccarti* Isagoge in lectionem Aristotelis, aucta & notis illustrata a Io. Corn. *Durrio*.

Tyrtamus, quem Aristoteles ob divinam eloquentiam *Theophrastum* vocavit, eresius, Aristotelis discipulus, cuius ludum duo millia circiter discipulorum frequentarunt, dicitur exegisse annos 107. Stilo usus est puro & elegante, scripsitque de Temporibus, Lapidibus, Causis plantarum, Republica, & plura alia, quorum catalogum publicavit Io. *Meursius*. *Kœnig* 802. *Magirus* 776. *Pope-Blount* 56. Io. Alb. *Fabricius* l. 3. B.Gr. c. 9.

Alexander, ab urbe Cariæ Aphrodisiade, ubi natus est, Aphrodisiensis dictus, egregius Aristotelis interpres, atque ideo κατ ἐξοχην vocatus ἐξηγητης, floruit sæc. III. & IV. deque Deo satis pie sensit & locutus est, animæ autem immortalitatem & separationem a corpore strenue negavit, scripsitque de Fato, Mistione, Anima, Febribus, & Commentarios in Aristotelis primum priorum Analyticorum, in Topicorum libros IIX. in Metaphysicorum XII. in librum de Sensu, & in libros de Meteoris. Alius autem Alexander videtur esse auctor Problematum, quia in illis anima immortalis esse adfirmatur, quod noster negavit. *Kœnig* 25. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 4. c. 25. *Magirus* 31. *Sylburg*. in præfat.

Sotion, uti putat G. I. *Vossius*, vixit sub Imp. TIBERIO; sed pro certo tamen id adfirmari nequit. Hoc autem constat, eum scripsisse Διαδοχας, librum de Salibus Timonis, & alium de Ira, *Kœnig* 767.

Antonius *Polemo*, laodicenus, familiæ consularis, sophista, magna apud Impp. TRAIANVM, HADRIANVM atque ANTONINVM Pium gratia floruit, apud Smyrnæos *valuit* auctoritate, atque in HADRIANI numo pantheo honorem habuit hæc legi verba: Πολεμων Σμυρναιων ανεϛησι, Museo alexandrino ab eodem adscriptus Imperatore. Genus dicendi, cuius imitator fuit *Gregorius* nazianzenus, habuit robustum ac vehemens, idque *Sylburgio* nostro in præfat. videtur plerisque in locis non atticismum, sed magis asianismum, in quibusdam etiam barbarismum resipere, mores autem eius erant asperi ac superbi, nec ultra annum 56. ætatem produxit, & stolidum vitæ finem sibi elegit:

git: ex impatientia enim morbi articularis vivus in tumulum descendit, & inedia se confecit. Inter scripta eius sunt ἐπιτάφιοι λόγοι, parentum nomine dicti in Cynægirum & Callimachum athenienses, qui in pugna marathonia pro patria adversus Medos pugnantes obierunt, & variæ declamationes. *Kœnig* 650. I. Alb. *Fabricius* l. 4. Bibl. gr. c. 30. p. 368.

Adamantius, sophista, scripsit libros II. Physiognomonicorum ad CONSTANTIVM, adeoque vixit sæculo IV. *Kœnig* 8.

Melampus noster, distinguendus cum a Melampode augure & vate simulque medico, a quo proverbium in re difficili, *Melampode & Polluce indigere*, & alterum de medicis præstantissimis, *Chiron & Melampus*, a quo etiam elleborum herba Melampodii nomen habet; tum a Melampode grammatico, cuius scholia manu exarata exstant in bibliothecis, & denique a Melampode Ithagenis filio, qui inter Homeri maiores refertur, vixit sub PTOLEMAEO PHILADELPHO, cui & suam περὶ παλμῶν μαντικὴν de corporis humani membrorum palpitatione vel salissatione divinationem, (quod divinationis genus distinctum est a divinatione ex pulsibus) nec non plures libros ex arcanis columnis descriptos & excerptos obtulit. Stilus tamen eius *Sylburgio* in Præfat. videtur multo recentior, & magis ad turcicam barbariem, quam ad græcam venustatem accedere. Præterea putat, res ipsas maiori ex parte nec ἱερογραμματέως gravitati, nec regiæ maiestati satis convenire: quam ob rem & ipsum titulum suspectum haberi posse, in quo Melampus iste ἱερογραμματεὺς nominetur, & τὴν περὶ παλμῶν μαντικὴν regi PTOLEMAEO inscripsisse feratur. *Kœnig* 527. I. A. *Fabricius* l. 1. B. gr. c. 15.

De *Cassio*, quisnam is scriptor fuerit, quove temporum tractu vixerit, fatetur Hadr. *Iunius* se nihil habere compertum: a *Suida* memorari *Longinum Cassium*, qui sub AVRELIANO Imp. Porphyrii philosophi præceptor fuerit, & inter alia scripserit ἀπορήματα ὁμηρικὰ, & προβλήματα Ὁμήρου καὶ λύσεις, citari etiam quendam medicinæ scriptorem Cassium calpitanum; an vero alteruter istorum huius libri sit auctor, an alius quisquam, & an is, quem Galenus lib. 9. de Compositione medicamentorum secundum locos allegat, & aliquoties Hippiatrica, malle se in dubio relinquere, quam temere asseverando ineptiæ notam incurrere. *Sylburgius* in Præfat.

LXXIX.

ARISTOTELIS Organon, graece & latine, cumque argumentis, variis lectionibus, notis & tabulis synopticis Iulii *Pacii*. Morgiis 1584. Editio autem de anno 1598. longe est praestantior, eamque retinuit *Du Vall* in sua operum Aristotelis publicatione. Io. Alb. *Fabricius* B. gr. l. 3. c. 6. p. 117. Continentur hoc Organo 1) *Porphyrii* Isagoge. 2) Aristotelis Categoriae. 3) de Interpretatione. 4) libri Analyticorum. 5) libri Topicorum. 6) Sophisticorum. Vide Io. Alb. *Fabricium* p. 109. Idem Organon graece & latine cum commentario & tabulis synopticis editum fuit a Lud. *Lucio*, Basileae 1619. Sunt & alii, qui id illustrarunt, videlicet Iac. *Faber*, Iac. *Schegkius*, Augustin. *Niphus*, Pet. *Ramus*, Ant. Bernard. *Mirandulanus*, Zach. *Vrsinus*, Io. *Casus*, & Barthol. *Keckermannus*. De Organo Aristotelis loquitur etiam *Casaubonus* ad Persii Sat. V. p. 168.

Porphyrius, Batanea-syrius vel tyrius, Syrorum lingua *Malchus* dictus, a Longino autem, cuius & Plotini discipulus erat, Porphyrius eo, quod augusti reges purpuram gestent, vocatus, & Iamblichi magister, philosophus insignis, vixit sub AVRELIANO Imp. saec. III. *Moller* de Homon. 807. Io. Alb. *Fabricius* Bibl. gr. lib. IV. c. 27. p. 181. Reliquit & alia scripta, videlicet Vitam Plotini, de Abstinentia ab esu animalium, Epistolam ad Anebonem aegyptium, Homericas quaestiones, Moralem interpretationem errorum Vlyssis, & plura, de quibus videndi *Pope-Blount* 206. & I. A. *Fabricius* 182. Incertum autem est, eum fuisse christianum, & a religione christiana resiliisse, item senem denuo christianum esse factum. *Voss.* de Hist. gr. l. II. c. 16. Io. *Moller* de Homon. 334. Scripsit etiam libros contra Christianos, sed qui non *amplius* supersunt: etsi cum Ios. *Scaligero* optandum esset, eorum copiam adhuc dari. *Scaligerana* 321. Et Isagogen suam, seu librum de V. vocibus petiit ex Aristotelis libris Topicorum; nec minus illa, si *Vivem* audimus de Causis corrupt. art. (apud *Pope-Blount* 207.) ταυτολογίᾳ & molestia orationis laborat, quam utilis est. Adde hisce *Koenig* 657. *Magiri* 684. & I. *Mollerum* in Hypomn. T. II. Polyhist. Morhof. 519.

Iul. *Pacius*, vicetinus, egregius philosophus & ICtus, qui philosophiam docuit in Germania, ius civile in Vngaria, Sedani, Nemausi, Montis pessulani, Valentiæ, Patavii, & rursus Valentiæ in Gallia, ubi & dignitatem Regii Consiliarii consecutus est, vir eruditissimus, & hebrææ ac græcæ linguæ peritus, pariterque insignis mathematicus, sed qui ob varias sedis mutationes *Inconstantiæ* nomen obtinuit, vitam finivit Valentiæ A. 1635. ætat. 70. Inter alia scripsit libellum de Iure maris adriatici, & alium de Arte lulliana. *Kænig* 597. *Crasso* negli elogii d' huom. letter. P. II. 86. *Morhof* Polyhistor. T. II. p. 108. & Frid. *Sylburgius* præfat. in Organ. & Politic. Aristotelis.

LXXX.

ARISTOTELIS de Moribus ad Nicomachum libri X. ex versione Dionys. *Lambini*, cumque eius annotationibus, & Theodori *Zvvingeri* scholiis. Adiecta sunt Fragmenta quædam Pythagoreorum vetustissima, ex emendatione & versione Gul. *Canteri*. Basileæ 1566. Exhibetur hic etiam textus græcus cum Aristotelis, tum Pythagoreorum, & præmittuntur præfationes *Canteri* & *Lambini*, quorum uterque instituti sui rationem reddunt, & hic in primis, quare post *Argyropilum* & *Perionium* translationem sint aggressi. Additur & *Mureti* præfatio, in laudem Lambini, eiusque versionis & scholiorum. Pythagorei autem illi, quorum fragmenta ex Stobæi sermonibus descripta, sunt sequentes: *Hippodamus*, *Euryphanus*, *Hipparchus*, *Archytas*, *Theages*, *Metopus*, *Clinias*, *Criton*, *Polus*. Ceterum de Ethicis Aristot. videantur *Grotius* in Consil. (ap. Cren. T. I. Methodor. 653.) *Conringiana* 69. *Cren.* Exercit. I. de libris script. opt. 370 & V. 23. *Morhof* Polyh. T. III. 5. I. A. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 3. p. 150. *Magirus* 78.

Theodorus *Zvvingerus*, basileensis, confecto itinere italico & gallico, patria in academia professus est primum græcam linguam, deinde ethicam & politicam, & denique medicinam, vir pius, candidus, & erga pauperes ac tenuiores, quippe quibus gratis medicinam fecit, misericors, obiitque A. 1588. æt. 54. & hoc ei positum est epitaphium: Theod. Zwingerus basil. cum ex philosophia tenebras, ex arte medica humanas miserias deprehendisset, summi boni cognoscendi potiundique desiderio accensus, christia-

no philosopho dignam mortis commentationem instituit, vivensque mortuus est, ut mortuus viveret. Multa concinnavit scripta, partim historica & philologica, partim medica, & inter illa quidem familiam ducit ingens illud opus, quod vocat Theatrum vitæ humanæ, cœptum quidem a Conr. *Lycosthene*, ab ipso autem digestum in volumina, libros, & titulos. Vt adeo plagiariis non sit accensendus. M. *Adamus* in Vitis medicor. 301. *Kœnig* 887. *Cren.* de furib. librar. Dissert. I. p. 116. *Morhof* Polyh. T. I. l. 1. c. 21. *Magirus* 812. Io. Lud. *Fabricius* Oper. p. 412. *Naudæus* in Crenii Methodor. P. I. 507.

Dionys. *Lambinus*, Monstrolio-picardus postquam diu Romæ vixit in aula Cardinalis Francisci TVRNONII, (de Tours,) in Galliam reversus ornavit græcæ linguæ professionem in acad. parisiensi, & humaniorum litterarum in schola ambianensi, nec non orationes varias scripsit, & Carmina, ut & Commentarios in Horatium, Lucretium, Corn. Nepotem, Plautum, Ciceronem, & tandem mœrore ac metu, ne idem sibi accideret, quod *Ramo*, consumtus est A. 1572. æt. 56. Transtulit quoque in latinam linguam Aristotelis Ethicam & Politicam. *Ghilinus* T. II. Theatri litterat. p. 68. eum vocat arca ricchissima d' erudizione. Plura de eo reperies in *Kœnigio* 454. *Magiro* 502. *Pope-Blount* 715. & *Lexico univers. histor.* T. II. 272.

Guil. *Canterus*, ultraiectinus, utriusque linguæ monumentis clarus, admodum adolescens Tragœdias latine scripsit, immo & dum adhuc in sinu nutricis hæreret, nulla re magis quam libris delectabatur, deinde etiam Notas composuit in Officia & Epistolas Ciceronis, in Propertium, Æl. Aristidis Orationes, & Lycophronis Cassandram, atque in latinum Thucydidis, Synesii, Euripidis, Georgii Gemisti aliorumque opera transtulit, & vix tres & triginta annos natus vivere inter mortales desiit A. 1575. crediturque immodicis studiis, quorum caussa nec convivas invitabat, nec vocatus ad convivium ibat, cetera humanus, humilis, & continens, ita ut reditus ecclesiasticos, cum ipse Ecclesiæ servire nequiret, non expeteret, mortem sibi accelerasse. *Kœnig* 161. *Magirus* 177. *Pope-Blount* 748. *Cren.* de Singular. scriptor. 68. & Dissertat. II. de furib. librar. 18. *Morhof* Polyhist. T. I. l. 5. c. 1. M. *Adam.* in Vit. philosoph. 272.

LXXXI.

Guil. HILDENI Quæstiones & Commentaria in Organon Ariſtotelis. Berlini 1586. Textus græcus integer quæſtionibus accommodatus eſt, in latinam linguam converſus, præceptorum vero artis diſſerendi articulorum uſus exemplis philoſophicis, oratoriis & poëticis commonſtratus.

Guil. *Hildenus*, ut ipſe refert in Partis II. Epiſtola dedicatoria, in academia lipſienſi docuit artem diſſerendi & ethica Ariſtotelis, ſcripſitque Reſolutionem Paradoxorum Ciceronis, florens circa finem ſæculi XVI.

LXXXII.

Titi PETRONII Arbitri Satyricôn quæ ſuperſunt, cum integris doctorum virorum commentariis, & notis Nicol. *Heinſii* & Guil. *Goëſii*, curante Petro *Burmanno*. Traiecti ad Rhenum 1709. Hæc eſt omnium optima editio, laudata a collectoribus *Actorum eruditor.* A. 1710. 381. & Io. Alb. *Fabricio* in *Supplem.* Biblioth. lat. p. 179. ut luculenta, accurata, & præſtantiſſima, in qua contextus ſcriptoris emendate deſcriptus, & in capita diſtinctus, ſingulis paginis ſubſtrata habet integra virorum doctorum commentaria, & notas antea ineditas Nicol. *Heinſii*, & Guil. *Goëſii*, & frequentes ac pereruditas, ad Tragurianum præcipue fragmentum, ipſius *Burmanni*. Primæ Parti, quæ continet libros Satyricôn Petronii, præfigitur Præfatio *Burmanni*, qua ille exponit ſuam de hoc opere ſententiam, & rationem, quam in recenſendo Petronio habuit, aperit. Secunda autem Parte continentur Iani *Douſæ* Præcidanea. pag. 1. *Gonſalii* de Salas commenta. 63. *Sambuci* Præfatio & Vita Petronii. 215. *Tornæſii* Præfatio. 252. Lil. Greg. *Gyraldus* de Petronii Vita. 252. P. *Guirandi* Aloſiani Epiſtola ad Arnaudum. 253. *Vaſſenii* Præfatio. 254. De Petronio & eius ſcriptis veterum auctorum loci. 254. Petri *Danielis* Præfatio. 256. Cl. *Bineti* Præfatio. 257. *Goldaſti*, (non Georg. *Erhardi*) Prolegomena, ſive Elogia & teſtimonia de Petronio. 257. Vide *Placcium* de pſeudon. 256. *Burmannum* in Præfat. 24. & *Novam bibliothecam* T. I. 282. Io. *a Wouveren*, qui iudice *Baclero* Bibliograph. crit. p. 139. præclariſſime de Petronio meritus eſt, Dedicatio, & duplex Præfatio. 267. *Barthii*

 Epiſto-

Epiſtola ad Goldaſtum. 269. *Letichii* Vita Petronii. 269. Mich. Caſp. *Lundorpii* Θμολογημενα. 270. Teſtimonia in Lundorpianis omiſſa. 277. Caſp. *Barthii* Diſſertatio de Petronio 281. *Gonſalii* de Salas Præludia. 286. Præfatio Mich. *Hadrianida*, ex centonibus & pannis undique conſuta, & male *Bourdelotio* adſcripta. 301. Patavina Præfatio. 301. Io. *Blaenii* Epiſtola ad Principem Condæum. 306. Io. *Lucii* Epiſtola ad Guil. & Petrum *Blaenios* fratres. 307. Io. Caii *Tilebomeni*, id eſt, Iac. *Mentelii* Iudicium de Fragmento traguriano. 308. Qui Fragmentum Petronii pro genuino agnoſcit, Io. Chriſtoph. *Wagenſeilii* & Hadriani *Valeſii* Diſſertationes de cœna Trimalcionis. 309. 317. Qui negant eſſe genuinum. Marini *Statilei* Reſponſio ad ſuperiores Diſſertationes, & Apologia ad Patres conſcriptos Reip. litterariæ. 324. 342. Quas quidem alii Petro *Petito*, alii Steph. *Gradio* adſcribunt. *Fabricius* Biblioth. lat. 389. & Supplem. 179. & *Burmannus* Præfat. 27. Io. *Schefferi* Diſſertatio de Fragmenti traguriani vero auctore. De qua vide Io. *Mollerum* ad Schefferi Suec. liter. 459. Thomæ *Reineſii* Dedicatio, & Præfatio. 359. Epiſtolæ variorum de Fragmento traguriano ad Chriſtoph. *Arnoldum* 384. Io. *Boſchii* Præfatio. 368. Poſt hæc ſequuntur tres Indices, I. omnium vocum & locutionum Petronianarum. II. Rerum & verborum, quæ in Notis explicantur. III. Auctorum, in Notis emendatorum aut explicatorum. Et quod ad Fragmentum traguriauum attinet, illud quidem *Wagenſeilius* & *Valeſii* cum Octav. *Ferrario* * Opp. var. T. II. pro ſpurio habuerunt; ſed genuinum eſſe poſtea compertum eſt, ita ut iam nullum amplius dubium ſuperſit. *Placc.* de pſeudon. 496 593. I. G. *Eccard* Program. A. 1706.):(3. *Burmannus* Præfat. p. 28. *Menagiana* T. III. 205. Quibus adde *Acta erud.* A. 1710. 381. *Neu, Bucher Saal* T. I. 897. *Novam bibliothecam* T. I. 275. *Clericum* Biblioth. choiſ. T. XIX. 350. Legi etiam merentur, quæ *Piccartus* Periculor. criticor. c. 17. in Petronio tentat.

Præfat.

* Octavius *Ferrarius*, anno 1675. 25. Maii, quum Neapoli reverſus eum ſalutarem, faſſus eſt, ſe *Fragmentum Petronii traguriense* pro ſpurio habere, eo quod eius barbara & horrida dictio cum elegante & terſa petroniana plane non conveniat. Neque ſe poſſe adduci, ut credat, *Phædrum* fuiſſe libertum AVGVSTI; potuiſſe alterius eſſe Imperatoris, ſed cuius, ſe ignorare. Audiviſſe etiam ex *Scioppio*, *Danielem* eremitam adeo deperiiſſe Petronium, ut diabolum interrogaret, an non plura eius ſupereſſent ſcripta, malumque illum dæmonem negando reſpondiſſe,

Præfat. p. 27. Ferebat fama, hæc non ab ipso Statileo proficisci, sed ab eruditissimo viro Stephano *Gradio*.	Alii Petro *Petito* abbati tribuebant. *Placcius* de pseudon. 574.
Parte I. 632. Ipse pater veri *doctus* Epicurus in *arte*.	Ipse pater veri *doctis* Epicurus in *hortis*. Sic quidem *Gassendus* de Vita Epicuri lib. I. c. 6.
Parte II. 324. *Marini Statilei* Responsio ad Wagenseilii & Hadr. Valesii Dissertationes.	Est Petri *Petiti*, si audire lubet *Placcium* de pseudon. 574. & Io. Albert. *Fabricium* Biblioth. lat. 389. atque in Supplemento p. 179.

Titus *Petronius*, cognomine *Arbiter*, quod nobilis lautitiæ & elegantis luxuriæ arbiter esset, equestri genere natus, & quidem, uti creditur, Massiliæ, distinguendus a pluribus aliis Petroniis, ac præcipue a S. Petronio, qui Bononiæ in Italia integer asservatur, vulgo dicitur vixisse sub NERONE, & vir fuisse consularis, atque inter Imperatoris familiares, sed artibus Tigellini æmuli invisus tyranno redditus, iussusque ab eo mori incisis venis, animam efflasse anno Christi LXVII. sed *Burmannus*, TIBERII eum, CALIGVLAE & CLAVDII imperia attigisse, immo & AVGVSTI felicia vidisse tempora, CLAVDIVMque & potentium sub eo libertorum crimina & scelera materiam præcipuam sibi sumsisse putat. Nisi forte ipsius libelli huius satirici titulus fuit *Petronius Arbiter*, eodem modo, ut *Apicius* inscribuntur libri de re culinaria, quos nullus unquam Apiciorum conscripsit, & *Cato* libellus distichorum, qui nullum Catonem auctorem habet. Esto autem, propositum & scopum auctoris huius, quis quis sit, non fuisse, lasciviam, impuritatem, & luxuriam docere, sed reprehendere & insectari; attamen lectio eius minime permittenda est pueris, adolescentibus & iuvenibus, sed viris duntaxat, & qui affectus suos moderari valent. *Goldastus* in secunda huius voluminis Parte p. 262. *Barthius* 270. 282. *Gonsalius* de Salas in Præf. 61. *Piccartus* Pericul. critic. c. 17. & *Burmannus* Præfat. 31. Ceterum de Petronio vide *Mollerum* de homon. 393. *Menagiana* T. III. 112. *Morhof*. Polyhist. lib. IV. 179. *auctores vitæ Petronii* supra memoratos, *Magirum*

Epiſtola ad Goldaſtum. 269. *Lotichii* Vita Petronii. 269. Mich. Caſp. *Lundorpii* Θμολογυμενα. 270. Teſtimonia in Lundorpianis omiſſa. 277. Caſp. *Barthii* Diſſertatio de Petronio 281. *Gonſalii* de Salas Præludia. 286. Præfatio Mich. *Hadrianida*, ex centonibus & pannis undique conſuta, & male *Bourdelotio* adſcripta. 301. Patavina Præfatio. 301. Io. *Blaeuii* Epiſtola ad Principem Condæum. 306. Io. *Lucii* Epiſtola ad Guil. & Petrum *Blaeuios* fratres. 307. Io. Caii *Tilebomeni*, id eſt, Iac. *Mentelii* Iudicium de Fragmento traguriano. 308. Qui Fragmentum Petronii pro genuino agnoſcit. Io. Chriſtoph. *Wagenſeilii* & Hadriani *Valeſii* Diſſertationes de cœna Trimalcionis. 309. 317. Qui negant eſſe genuinum. Marini *Statilei* Reſponſio ad ſuperiores Diſſertationes, & Apologia ad Patres conſcriptos Reip. litterariæ. 324. 342. Quas quidem alii Petro *Petito*, alii Steph. *Gradio* adſcribunt. *Fabricius* Biblioth. lat. 389. & Supplem. 179. & *Burmannus* Præfat. 27. Io. *Schefferi* Diſſertatio de Fragmenti traguriani vero auctore. De qua vide Io. *Mollerum* ad Schefferi Suec. liter. 459. Thomæ *Reineſii* Dedicatio, & Præfatio. 352. Epiſtolæ variorum de Fragmento traguriano ad Chriſtoph. *Arnoldum* 384. Io. *Boſchii* Præfatio. 368. Poſt hæc ſequuntur tres Indices, I. omnium vocum & locutionum Petronianarum. II. Rerum & verborum, quæ in Notis explicantur. III. Auctorum, in Notis emendatorum aut explicatorum. Et quod ad Fragmentum tragurianum attinet, illud quidem *Wagenſeilius* & *Valeſii* cum Octav. *Ferrario* * Opp. var. T. II. pro ſpurio habuerunt; ſed genuinum eſſe poſtea compertum eſt, ita ut iam nullum amplius dubium ſuperſit. *Placc.* de pſeudon. 496 593. I. G. *Eccard* Program. A. 1706.):(3. *Burmannus* Præfat. p. 28. *Menagiana* T. III. 205. Quibus adde *Acta erud.* A. 1710. 381. *Neu. Bucher Saal* T. I. 897. *Novam bibliothecam* T. I. 275. *Clericum* Biblioth. choiſ. T. XIX. 350. Legi etiam merentur, quæ *Piccartus* Periculor. criticor. c. 17. in Petronio tentat. Præfat.

* Octavius *Ferrarius*, anno 1675. 15. Maii, quum Neapoli reverſus eum ſalutarem, faſſus eſt, ſe *Fragmentum Petronii traguriense* pro ſpurio habere, eo quod eius barbara & horrida dictio cum elegante & terſa petroniana plane non conveniat. Neque ſe poſſe adduci, ut credat, *Phaedrum* fuiſſe libertum AVGVSTI; potuiſſe alterius eſſe Imperatoris, ſed cuius, ſe ignorare. Audiviſſe etiam ex *Scioppio*, *Danielem* eremitam adeo deperiiſſe Petronium, ut diabolum interrogaret, an non plura eius ſupereſſent ſcripta, malumque illum dæmonem negando reſpondiſſe.

Præfat. p. 27. Ferebat fama, hæc non ab ipso Statileo proficisci, sed ab eruditissimo viro Stephano *Gradio*.	Alii Petro *Petito* abbati tribuebant. *Placcius* de pseudon. 574.
Parte I. 632. Ipse pater veri *doctus* Epicurus in *arte*.	Ipse pater veri *doctis* Epicurus in *hortis*. Sic quidem *Gassendus* de Vita Epicuri lib. I. c. 6.
Parte II. 324. *Marini Statilei* Responsio ad Wagenseilii & Hadr. Valesii Dissertationes.	Est Petri *Petiti*, si audire lubet *Placcium* de pseudon. 574. & Io. Albert. *Fabricium* Biblioth. lat. 389. atque in Supplemento p. 179.

Titus *Petronius*, cognomine *Arbiter*, quod nobilis lautitiæ & elegantis luxuriæ arbiter esset, equestri genere natus, & quidem, uti creditur, Massiliæ, distinguendus a pluribus aliis Petroniis, ac præcipue a S. Petronio, qui Bononiæ in Italia integer asservatur, vulgo dicitur vixisse sub NERONE, & vir fuisse consularis, atque inter Imperatoris familiares, sed artibus Tigellini æmuli invisus tyranno redditus, iussusque ab eo mori incisis venis, animam efflasse anno Christi LXVII. sed *Burmannus*, TIBERII eum, CALIGVLAE & CLAVDII imperia attigisse, immo & AVGVSTI felicia vidisse tempora, CLAVDIVMque & potentium sub eo libertorum crimina & scelera materiam præcipuam sibi sumsisse putat. Nisi forte ipsius libelli huius satirici titulus fuit *Petronius Arbiter*, eodem modo, ut *Apicius* inscribuntur libri de re culinaria, quos nullus unquam Apiciorum conscripsit, & *Cato* libellus distichorum, qui nullum Catonem auctorem habet. Esto autem, propositum & scopum auctoris huius, quis quis sit, non fuisse, lasciviam, impuritatem, & luxuriam docere, sed reprehendere & insectari; attamen lectio eius minime permittenda est pueris, adolescentibus & iuvenibus, sed viris duntaxat, & qui affectus suos moderari valent. *Goldastus* in secunda huius voluminis Parte p. 262. *Barthius* 270. 282. *Gonsalius* de Salas in Præf. 61. *Piccartus* Pericul. critic. c. 17. & *Burmannus* Præfat. 31. Ceterum de Petronio vide *Mollerum* de homon. 393. *Menagiana* T. III. 112. *Morhof.* Polyhist. lib. IV. 179. *auctores vitæ Petronii* supra memoratos, *Magi-*

rum 651. *Pope-Blount* 113. *Schurzfleisch.* Epp. select. p. 142. Sed & de Massiliensibus Petronium scripsisse, testis est *Servius*, uti Gyraldus refert in Vita Petronii.

Nicol. *Heinsius*, Danielis filius, Lugduno-batavus, Fœderati Belgii ad Aulam suedicam legatus residens, litteris consignavit Notas in Ovidium & Claudianum, varia diversi argumenti Poëmata, Carminaque elegiaca & iambica ad Reginam Sueciæ, CHRISTINAM, in natalem eiusdem vicesimum, in natalem decimum tertium CAROLI XI. Sueciæ Regis, & Castigationes in C. Velleium Paterculum, & impetratis a legatione feriis Hagæ-Comitis degit, ibique naturæ concessit A. 1681. ætatis 61. *Witte* Diar. biograph. R r r r 4. Henr. *Noris* Orthograph. p. 75. eum vocat elegantissimum Musarum amasium; Octavius *Ferrarius* Opp. var. T. II. III. maximo consenescentem in patre; *Schurzfleischius* in Epp. select. p. 142. ingenio florentem, & facultate carminis pangendi facile æquales suos vincentem; I. Fr. *Gronovius* apud Crenium Animadvers. P. XII. 37. summum iuvenem, & patri nec ingenio, nec eruditione, nec versuum scribendorum facultate concessurum; & I. G. *Gravius* Præfat. & Epp. p. 86. virum, quem & patris, & sua cum in publicam, tum in rem litterariam merita supra laudem omnem extulerunt.

Guil. *Goesius* Lugduno-batavus, nobilis, senator primus Reip. patriæ, deinde Curiæ batavæ, sumens interdum nomen ac schema Lucii *Veri*, scripsit Vindicias de recepta sententia de mutui alienatione, Animadversiones in Speciminis salmasiani caput I. & II. Pilatum iudicem, & Notas in scriptores rei agrariæ, vitaque abiit A. 1686. ætatis 74. *Witte* Diar. biograph. Z z z z 3. *Placcius* de pseudon. 606.

Pet. *Burmannus*, traiectinus, Francisci, celebris in Batavia theologi, filius, Perizonii successor in academia leydensi, & humaniorum litterarum professor, vir, quum Petronium ederet, XLII. annorum, orbi erudito varia dedit scripta, e quibus sunt Dissertatio de vectigalibus populi romani, Oratio de officio professoris humaniorum, Tractatio de passione Iesu Christi, Iupiter fulgurator in Cyrrhestarum nummis, Præfatio in Emendationes Menandri & Philemonis, & Refutatio Io. Clerici, atque a *Spanhemio* Orbis romani p. 184. laudatur ut eruditissimus vir, & ad præclara surgens, a Col-

a Collectoribus *Actor. erudit.* ad A. 1710. p. 383. ut ingeniosus, & critices bene peritus, eiusque Notæ cum Heinsianis & Goësianis dicuntur salis habere affatim, dignæque arbitro elegantiarum. *Acta erudit.* l. c. p. 381. *Acta erudit. germanica* T. IV. 316. *Neu. Bücher Saal* T. I. 897. *Clericus* Biblioth. choisie T. XIX. 365.

Ianus *Dousa*, sive *Van der Does*, nordovix, nobilissima Hollandiæ familia natus, Henr. *Iunii* & Lucæ *Fruterii* discipulus, cum varia doctrina præstantissimas virtutes coniungens, suoque exemplo Martem cum Pallade sociari posse docens, fuit urbis lugdunensis durante obsidione præfectus, & postea academiæ illius, ut condendæ auctor, ita conditæ per XXIX. annos curator, Bataviæ Varro, & academiæ commune oraculum habitus, denique in supremæ Curiæ senatum adscriptus, atque omnibus muneribus parem se se ostendens, magnumque honorem ac pretium non modo apud Batavos, sed & alias totius Europæ nationes, relictis præstantissimis Poëmatis, inter quæ Annales Hollandiæ & Echo, consecutus, e vita discessit anno Christi 1604. ætatis 50. *Academia leidensis* d ij. Melch. *Adamus* in vitis ICtor. & Politicor. 391. *Kœnig* 260. auctor *Excerptor. menstr.* A. 1702. m. Febr. p. 5. *Clericus* Biblioth. choisl. T. XIV. 3. *Magirus* 290. *Pope-Blount* 824. Dan. *Heinsius* in Oration. p. 379. *Broeckhusius* in Tibullum p. 1.

Iof. Ant. *Gonsalius*, (Gonzalez) Madrito-hispanus, composuit Commentarium in Petronium Arbitrum, Compendium geographiæ, Tragœdias aliquot, & Tractatum de duplici terra viventium, vitaque abiit A. 1561. ætatis 63. Nicol. *Antonius* Biblioth. script. hispan. *Witte* Diar. Bbb 2. *Cren.* Fasc. II. 90.

Ioannes *Sambucus*, Tyrnavia-panno, ex XX. annorum peregrinatione eam sibi in utraque lingua, & medicinæ, poëseos, atque historiarum studiis eruditionem & famam comparavit, ut haberetur pro elegante medico, poëta erudito, insigni historico, & antiquario præstantissimo, nec augusti Impp. MAXIMILIANVS II. & RVDOLPHVS II. dubitarent eum evehere ad dignitatem consiliarii sui & historici. Erat vir diligentissimus, qui omne illud tempus, quod medicæ artis exercitium ipsi reliquum faciebat, sive edendis veterum monumentis, sive latinitate donandis Græcorum scriptis, sive suis commentationibus in litteras referendis impendit, (atque has inter sunt Poëmata, Orationes, Me-

thodus conscribendi epistolas, de Imitatione a Cicerone petenda, Icones & vitæ medicorum, Tabula geographica Vngariæ, Expositiones obsidionum aliquot arcium & urbium Vngariæ, Appendix rerum ungaricarum ad I. Pet. *Ranzanum*, Additamentum ad Ant. *Bonfinii* Decades III. Historiæ Vngariæ, & Orationis dominicæ simplex expositio) donec Viennæ Austriæ apoplexia tactus exspiraret anno 1584. ætatis 53. Thuano ea dicitur fuisse diligentia in veteribus libris colligendis, eaque liberalitate in publicandis, ut principibus viris, qui hac de re laudem consecuti sunt, quamvis in dispari fortuna, æquari debeat; Is. *Bullarto* talis vir, quo ægre poterat natura ad scientias propensiorem, & animi labore magis indefessum producere; & Pet. *Victorio* accuratus homo in legendo, & reconditæ doctrinæ, omnique laude dignus. David. *Czvittinger* Specim. Vngariæ litteratæ 323. *Frisius* Epit. Biblioth. Gesner. 493. *Richardus* Histor. bibliothecæ cæsar. vindobonens. 53. *Pope-Blount* 782.

Io. *Tornaisius* sive *Tornesius* floruit Lugduni anno 1575.

Lilius Gregorius *Gyraldus*, ferrariensis, Demetrii Chalcondylæ, qui græcam linguam Mediolani docebat, discipulus, protonotarius apostolicus, *Alberti Pii*, Principis carpensis, & Io. Fran. *Pici*, Principis Mirandulæ, domesticus, sed & periculo vitæ, quum hic a fratris filio occideretur, expositus, & Ferrariæ postea egestate & doloribus arthriticis sive podagricis usque ad finem vitæ, qui fuit A. 1552. ætatis 72. pressus, variis scriptis, quæ iunctim A. 1696. a Io. *Iensio* Lugduni Batavorum edita, in *Actu eruditorum* eiusdem anni p. 229. recensentur, variæ eruditionis, atque in primis notitiæ antiquitatum merces exposuit, a Ios. *Scaligero*, qui alias parcus est laudum, in Scaligeranis p. 170. laudatus, ut optimus locorum coacervator & iudiciosus; hac cum appendice: opera ipsius omnia esse quam optima. *Lexicon univ. histor.* T. II. 339. *Iensius* in Prolegomenis, qui verbis utitur Laur. *Frizzoli*. vitam Gyraldi describentis, eiusque notat errores, in primis in Historia deorum gentium, & Poëtarum sui temporis græcorum & latinorum, ab ægroto, & inter sævissima podagræ tormina in litteras redacta, & *Pope-Blount* 577. Quibus addere potes ea *virorum doctorum* testimonia ac iudicia, quæ congessit, suæque Gyraldi de Vario veterum sepeliendi ritu editioni præmisit Io. *Faës*. P. Gui-

P. Guirandus *Alosianus* IC. Epistolam suam ad Arnaudum anno scripsit 1590.

Mamertus *Patisson*, eruditus typographus parisiensis, beneque peritus graecae linguae, celebris erat saeculi XVI. anno 75. De quo vide *La Croix du Maine* Biblioth. franc.

Petrus *Daniel*, aurelius sive aurelianus, IC. floriacensis, distinguendus a Petro *Aurelio*, (qui est Ioannes *de Hauranne*, abbas S. Cyrani, princeps Iansenistarum) laudatur *a Turnebo* & *Merula* ob incredibilem litterarum amorem, ediditque antiquam comoediam, quae dicitur *Querolus*, additis scholiis, florens medio saeculo XVI. *Kœnig* 235. *Ancillon* Mel. crit. T. II. 222. *Frisius* Epit. B. G. 671.

Claudius *Binetus*, bellovacensis IC. vixit temporibus Iac. *Cujacii*, Ios. *Scaligeri*, Lud. *Castanei*, M. Ant. *Mureti*, Achil. *Statii*, & Aldi *Manutii*, & Carmina reliquit, quae exstant T. I. Delit. gall.

Caspar *Barthius*, a Schwarzbach, natus Kustrini in Nova Marchia, e familia nobili & antiqua, ex Bavaria in Saxoniam translata, post excursiones in Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam & Belgium per plures annos institutas, & acquisito maximorum virorum, Dionysii *Godofredi*, *Meursii*, Ios. *Scaligeri*, *Rosweydi*, *Nunnesii*, aliorumque favore & aestimatione, consedit Lipsiae, ibique in secessu turbas fugiens & populares strepitus, otio litterario studiisque insenuit, ac veluti alter Socrates tantum animi tranquillitatem optans, libris, quibus & eruditio & virtus iuvarentur, scribendis operam dedit, nunquam minus otiosus, quam cum maxime otiosus esse videretur, usque dum ex officina litteraria, in qua multum laborum, nec parum vanitatum, in coelestis ac perfectae scientiae sacrarium anno 1658. aetatis 71. transferretur. *Witte* Memor. philosophor. T. II. 320. *Spizelius* Templ. honor. reser. 380. *Placc.* de pseudon. 580. *Magirus* 107. *Pope-Blount* 1010. Inter scripta eius, praeter Animadversiones in *Claudianum*, *Virgilium*, *Statium*, *Rutilium*, *Fabulas aesopicas*, *Aeneam gazaeum*, *Gallum* confessorem, *Phoebadium*, *Mamertum*, *Hermam*, *Pacianum*, & *Britonem*, sunt Iuvenilia silvarum &c. Panegyricus in obitum Laur. Rhodomanni, Translatio Historiarum Cominaei in linguam latinam, Adversaria, (quorum duos alios tomos tantae molis, si licet verbis uti illustris *Boineburgii* Epp. p. 136. ut ei vectandae vix duo

equi bene validi sufficiant, moriens reliquit, videlicet a libro LXI. usque ad CLXXX. sed e quibus CXXXV. & CLVIImus A. 1636. Sellerhusii in incendio perierunt) Satirica contra Casp. *Scioppium* sub nomine Tarraei *Hebii*, Responsio ad Epistolam Iacobi *Kelleri*, sub schemate Iac. *Hailbronneri*, & Soliloquia ; ineditorum autem catalogum reperies Tomo I. Actor. erudit. germanicor. p. 925. Fuit quidem Barthius, uti *Spizelius* scribit, generis & famae claritudine, elegantissimarum artium, tum graecarum tum latinarum, cognitione, veraeque sapientiae professione excultissimus, ac infinitae, ut *Crenius* de Singularib. scriptorum p. 43. fatetur, lectionis, sed emendandis in scriptoribus audacior, & in materiis medicis aliisque saepe erravit; unde & notatur a *Reinesio* in Var. lectionibus, & Epistolis ad Hofmannum & Rupertum, *Cotelerio* in Iudicio de S. Hermae Pastore p. 74. & in Notis ad Hermae librum I. Vis. I. p. 75. *Bailleto* in Iudiciis eruditorum, Rich. *Bentleo* in Notis ad Horatium p. 79. *Colomesio* 378. & *Clerico* Biblioth. choisi. T. I. 145. nec satis polito utitur stilo, iudice *Morhofio* Polyh. lib. I. 304. &, si *Arnoldo* in Hist. eccl. & haeret. P. II. 606. fides adhibenda, religioni addictus fuit prudentum.

Io. Petrus *Lotichius*, germanice *Lutke*, natus anno 1598. Christiani nepos, Petri Secundi cognatus, Medicinae doctor, & in academia rinteliensi professor, scripsit Poëmata, Res germanicas sub MATTHIA & FERDINANDIS II. & III. gestas, Notas in Petronium, in quibus tamen ad superstitionem usque diligens fuit, & multa inania, ἀδιάφορα, & ineptissima, uti *Baclerus* scribit Bibliograph. crit. p. 140. congessit, Bibliothecam poëticam, Historiam Holofernis & Iudithae, Tractatum de casei nequitia, aliumque de gummi Gotta seu laxativo indico, Memorabilia Imperatorum roman. a IVLIO Caesare, usque ad FERDINANDVM *II*, *& Epigrammatum* centurias II. *Kœnig* 482. *Hyde* T. I. 410. *Bericht* von neuen buchern T. I. 704. *Burmannus* in Praefat. p. 25.

Mich. Casp. *Lundorpius*, francofurtensis ad Moenum, historicus & philologus, inter scriptores saeculi XVII. clarus, emisit Notas in Petronium sub nomine Georgii *Erhardi*, Acta publica, & Continuationem Historiae *Sleidani* ab anno 1557. usque ad annum 1609. *Kœnig* 486. *Placc.* de pseudon. 256.

Io.

Io. *Blaeu*, sive *Blaeuius*, amstelodamensis, Guilelmi filius, doctissimus typographus & bibliopola, claruit circa medium sæculum XVII. & geographici Atlantis paterni volumina II. totidem aliis continuavit, sudans etiam in V. & VIto; adornavit quoque Theatrum urbium & munimentorum stupenda industria. G. I. *Vossius* de Scientiis mathemat. p. 263. &, qui sua inde mutuatus est, *Kœnig* 113.

Io. *Lucius*, dalmata, qui VI. libros de regno Dalmatiæ & Croatiæ composuit, Epistolam suam ad Blauios fratres scripsit Romæ A. 1668. vir nobilissimus & eruditissimus appellatus a *Burmanno* Præfat. p. 27.

Iac. *Mentelius*, patricius castro-theodoricensis, medicus parisiensis, qui hic comparuit sub larva *Caii Tilebomeni*, emisit Dissertationem de vera typographices origine, locumque habet inter viros claros medii sæculi XVII. *Placcius* de pseudon. 593.

Marinus *Statileus*, ICtus traguriensis, circa annum 1662. in bibliotheca viri illustris, Nicolai *Cippici*, amici sui, invenit codicem manu scriptum, & quidem A. 1423. postea autem Romam, ut de eius sinceritate iudicaretur, ac tandem in bibliothecam regiam Parisios delatum, in quo una cum Catulli, Tibulli, & Propertii carminibus erant etiam Petronii quædam, quæ inde ab illo tempore vocantur *Fragmentum Petronii traguriense:* quod deinde sive ipse, sive alius sub eius nomine, defendit contra dissentientes *Wagenseilium* & Hadr. *Valesium*. *Burmann*. Præfat. p. 26. 28.

Io. *Scheffer*, argentoratensis, in academia upsaliensi primum eloquentiæ & politices skyttianus, dein Iuris naturæ ac gentium regius honorarius professor, ut & assessor regii Collegii antiquitatum, defunctoque Freinshemio bibliothecarius, vir πολυμαθέστατος, & de litteratura elegantiori, studio antiquario, historia suedica, scriptoribusque priscis compluribus egregie meritus, quippe qui, ut affecta opera taceam, scripsit de Stilo, eiusque exercitio, Orationes (quas inter sunt IV. de fato litterario per Sueciam) & Programmata varia, de Opilione, de vocabulo *Momenti*, de vocabulo *Militis*, de scriptis & scriptoribus Suecorum, Memoriam Io. Canuti *Lenæi*, & Laurentii *Stigzelii*, archiepiscoporum upsaliensium, de Philosophia italica seu pythagorica, de Militia navali, de Antiquorum torquibus, de Re vehiculari veterum, de antiquis verisque re-

gni Sueciæ Insignibus, Vpsaliam antiquam, & Lapponiam, notisque illustravit *Aelianum*, *Phadrum*, *Arriani* Tactica, *Mauritii* Strategicon, *Aphthonium*, *Theonem*, *Hyginum*, Latini *Pacati* Panegyricum, Israëlem *Erlandi* de Vita S. ERICI, regis Sueciæ, *Iustinum*, Iulium *Obsequentem* de prodigiis, & post tot ac tantos labores quievit A. 1679. ætatis 58. *Scheffer* ipse Sueciæ literatæ p. 293. & Io. *Moller* in ad eam Hypomnemat. 456. *Placcius* de pseudon. 470. *Witte* Diar. biograph. Pppp. *Borrichius* Differt. P. I. 310. *Crenius* Exercit. II. de libris scriptor. opt. 52. ac T. II. Methodor. 386. & Rich. *Simon* Biblioth. choisi. T. I. 355.

LXXXIII.

Thomæ CAMPANELLAE libri III. videlicet, *Atheismus* triumphatus, Quæstio de gentilismo non retinendo, & Cento thomisticus de Prædestinatione & reprobatione, ac divinæ gratiæ auxiliis. Parisiis 1636. E bibliotheca professoris *Corberi*. Antea prodierat hic liber Romæ 1630. In Atheismo triumphato (quem titulum Casp. *Scioppius* libro dedit, cum auctor eum nominasset Recognitionem religionis secundum omnes scientias contra antichristianismum machiavellisticum. Io. *Berent* in Reg. Euangelic. philadelph. 151.) agitur de divina providentia, S. Triade, Dei unitate, malo, multitudine deorum, animi humani immortalitate, vita post hanc alia, Superis & inferis, christianæ religionis præstantia, mahometanæ autem, iudaicæ & ethnicæ absurditatibus, sacrificio eucharistiæ, persona Christi, & miraculis, ac passim vellicatur & refutatur Machiavellus. Solis quidem rationibus pugnandum sibi fuisse contra atheos, fatetur auctor in Præfatione; sed sacri censores zelotypi coëgerunt ipsum ad colligendum auctoritates Patrum, atque ad mutandum stilum philosophicum in theologicum; quibus, ut debuit, morem gessit. MStum huius libri exstat in bibliotheca ienensi, cuius differentiam ostendit clarissimus *Struve* in Actis litterar. p. 92. tandemque scribit, impressum librum variis hinc inde locis fuisse adauctum. Atheismo triumphato subiungitur Disputatio, in qua improbat auctor Bullas SS. pontificum SIXTI V. & VRBANI IIX. contra iudiciarios, seu astrologos. Quæstio de gentilismo hæc est: utrum liceat novam post gentiles cudere philosophiam? Et eam auctor affirmat, scientiasque

tiasque ex theologia & SS. canonibus instaurandas, utile esse Aristoteli contradicere, & Aristotelem per sæculorum ruditatem tantam æstimationem & auctoritatem nactum esse, nec in verba magistri, qui revelationis luce non est collustratus, iurare licere docet. Liber de Prædestinatione & Reprobatione ex D. Thoma desumtus, & a nonnullis quidem impugnatus, deinde autem a trium Gymnasiorum regentibus examinatus & approbatus est.

Thom. *Campanella*, stylensis calaber, ordinis Prædicatorum, philosophus acutissimus, sed & summa eruditione ac parrhesia magnam sibi invidiam conflans, scripsit Physiologiam, Metaphysica, Poëtica, Civitatem solis, (qua præsentatur idea Reip. longe præstantior, quam platonica, aut quævis alia) & tractatus Medicinalium varios, ac tandem post carcerem XXV. annorum, in quem ob perduellionis imputationem Neapoli coniectus fuerat, Lutetiæ Paris. animam exhalavit A. 1639. æt. 71. Fuit ardentis, ut *Naudeus* de eo iudicat, & portentosi vir ingenii, qui nova in omnibus fere scientiis (verba sunt Leon. Allatii) excogitaret. Videndi de eo *Crassus* in Elogiis litterator. P. II. 243. *Sorberiana* 57. 71. *Erythraeus* P. I. Pinacoth. 41. Leo *Allatius* in Apib. urban. 240. *Bosius* de Compar. prud. civ. §. 81. *Morhof* Polyh. T. I. 80. & T. II. 68. 256 *Conringiana* 38. 276. *Niebenck* disp. de Relig. 25. *Arnold* Histor. eccl. & hæret. P. III. c. 8. n. 37. *Petersen* in Nube test. verit. l. 3. p. 63. *Kœnig* 158. *Magirus* 175. *Pope-Blount* 936. Leo *Allatius* in Apib. urban. 342. Io. *Müller* in Atheismo 32. Io. *Bereni* in Reg. Euangel. philadelph. 150. *Bellarminus* quidem, observante Nic. *Critopulo* in Censura eclogarum I. F. *Mayeri* p. 35. sicut *Müllerus*, *Wagnerus*, *Reiserus*, *Pfeffer*, *Osiander* atque alii, Campanellam atheismi accusavit, sed Aub. *Miraeus* Biblioth. eccles. p. 226. testatur, eum scripsisse Atheismum triumphatum contra librum de III. impostoribus. Et sane ipse Campanella eius facit mentionem his verbis : Ex illis (Borealibus) exiit liber de Tribus impostoribus, nihil in religione ponens, nisi astutiam & deceptionem. Et in præfatione ad Casp. *Scioppium*, quam e MSto ienensi produxit *Struvius*, p. 74. librum illum scribit triginta ante ortum ex utero matris suum prodiisse, atque ita hostes suos, impium illum fœtum, seu potius monstrum sibi tribuentes, falsi convincit. Ceterum ait laudatus *Stru-*

Struvius, sibi placere iudicium *Deckherri* de *Campanella*, ipsi autem videtur, eum non fuisse atheum, sed naturæ nimium tribuisse.

LXXXIV.

Petri GREGORII Tholozani de Rep. libri XXVI. Francofurti 1619. Editio emaculatior & nitidior, quam erat pontimussana. Methodus huius operis hæc est, ut 1) tractetur de rebus ad remp. necessariis, 2) de personis quibusdam in ea præcipuis, & 3) de actionibus circa illius administrationem exercendis. Et sic agitur lib. 1. de Rep. & civitate in genere. 2. de rebus corporalibus, quibus indiget Resp. 3. de bonis & reditibus reip. 4. de præcipuis quibusdam personis considerandis in Rep. 5. de formis vel speciebus rerump. 6. de Principatu & Principe. 7. de Principatuum distinctione. 8. de qualitatibus quibusdam pertinentibus ad Principem. 9. de potestate regia 10. de arte administrandi remp. pacis tempore. 11. de militari cura. 12. de rebus ad religionem pertinentibus. 13. de his, in quibus prætextu religionis errari potest in rep. & de remediis ac emendationibus talium errorum. 14. de cura & educatione infantium. 15. de prima institutione puerorum & iuvenum in societate civili. 16. de litteris. 17. de liberalibus disciplinis. 18. de politia circa studia, scholas, & collegia. 19. de origine & caussis Principatus. 20. de duratione Principatuum, per diversas orbis partes. 21. de mutatione, alteratione & interitu rerump. & Principatuum, & de remediis ac præcautionibus eorundem. 22. de aliis mutationibus, innovationibus, & transformationibus rerump. principatuum & regnorum. 23. de seditionibus remp. turbantibus, & de remediis earum. 24. de consilio. 25. de interitu regnorum per divisionem. 26. de modis, quibus quis desinit principatum gerere. Gabr. *Naudeus* in Bibliogr. polit. p. 512. (T. I. Methodor. *Crenii*) desiderat hoc in opere modum, maiestatem, & iudicium, fatetur tamen pariter, sicut & *Bosius* in Differt. de compar. prud. civ. §. 19. esse instar thesauri, ubi meliorum auctorum gemmas & pretiosam variæ doctrinæ supellectilem possis invenire. Addit tamen & hoc *Bosius*, plurima eum iuridice magis, quam politice tractare. Eandemque sententiam adsumit Gebh. Theod. *Meier* in præfat. ad Anal. Polit. Aristot. §. 48.

Petrus

Petrus *Gregorius*, nativitate tholosanus, I. V. D. & professor in academiis cadurcensi, tholosana & pontimussana, scripsit Syntagma universi iuris, (quod *Boineburgius* Epp. ad Dietericum p. 126. ait omnibus ex æquo commodare) & Syntaxin artis mirabilis, obiitque A. 1585.

LXXXV.

Io. WIERVS de Præstigiis dæmonum, & incantationibus ac veneficiis. Basileæ 1577. Prodiit ibid. A. 1556. & auctior 1583. Argentinæ 1591. f. & germanice Francofurti 1586. f. *Primo* libro agitur de diabolo, quid sit, quæ eius origo, qui prima eius dolosi conatus, perniciosique progressus ab Eva ad sua auctoris usque tempora: secundo de magis infamibus, dæmonum opera quascunque præstigias oculis nostris obiicientibus, divinationumque variis larvis alios deludentibus, & medicinæ sacra satanicis suis imposturis conspurcantibus: *tertio* de lamiis, diaboli ludibrio obnoxiis, & stolide credentibus, se rerum a dæmone, ex Dei abstrusa voluntate vel consensu peractarum, aut plagarum hominibus bestiisve infectarum, sive designatorum flagitiorum, aut malarum, naturæ ductu pronatorum, effectrices esse; quæ a veneficis probe sunt distinguendæ: *quarto* de iis, qui lamiarum maleficio affici putantur, cum illi a dæmonibus exerceantur, vel obsessi sint ex occulta Dei permissione, citra ullam ullius lamiæ, aut hominis alterius cooperationem: *quinto* de eorum, qui lamiarum maleficio affici, vel dæmonis obsidione subigi creduntur, curatione; ubi ostenditur, missis illicitis remediis, utpote vetitis coniurationibus, characteribus, ligaturis, appensis, annulis, sigillis, imaginibus, a Deo ordinatis remediis utendum esse: & *sexto* de diversis magorum infamium, lamiarum, & veneficorum pœnis. Scopus igitur huius operis est, liberare lamias, a diabolo seductas, & velut melancholia agitatas, ab immisericordi inquisitione, & tortura, ac combustione. Subiicitur liber apologeticus, cui annectuntur Doctorum sententiam auctoris approbantium Epistolæ, tanquam testimonia ipsius innocentiæ: & hunc excipit Pseudomonarchia dæmonum, seu *liber officiorum Spirituum*, quo explicantur nomina Spirituum obscura, & formula citationis illorum traditur, non ut alii ea utantur, sed ut eorum hominum, qui se magos iactitare non erube-

ſcunt, male ſana curioſitas, præſtigiæ, vanitas, dolus, impoſturæ, deliria, mens eluſa, & manifeſta mendacia innoteſcant. Adiunctus etiam eſt liber *de Lamiis*; & alius *de Ieiuniis commentitiis*. Per lamias autem intelligit auctor mulieres, quæ ob fœdus præſtigioſum aut imaginarium cum dæmone initum, propria ex ſuo delectu voluntate, vel maligno dæmonis inſtinctu impulſuve, illius ope qualiacunque mala, vel cogitatione vel imprecatione, vel re ludicra, atque ad inſtitutum opus inepta, deſignare putantur; velut aërem inſolitis ignire fulminibus, tonitrua edere, grandinem immittere, tempeſtates excitare, lætam ſegetem alio transferre aut depopulari, morbis præter naturam homines beſtiasque vexare, eosque rurſus tollere, paucis horis longiſſime evagari, ſuccubas agere, homines in beſtias commutare. In libro de Commentit. ieiun. aliquot proponit exempla, mira ieiunia ſimulantium, ut puellæ unnenſis, *Barbara*, cuius effigies exhibetur pag. 123. Margarethæ roëdenſis, puellæ commerciacenſis, Margarethæ eslingenſis, virginis cantuarienſis, vetulæ venetæ, puellæ traiectenſis, Margarethæ gorcomienſis, & mulieris leodienſis; Henrici autem ab Haſſelt, *Numinis norvegici* dicti, ieiunium quadrageſimale verum & miraculoſum fuiſſe adſerit.

Io. *Wierus*, natus Graviæ, latine dictus *Piſcinarius*, cuius effigies primo libri folio impreſſa eſt, Henr. Corn. *Agrippa* diſcipulus, in Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. Impp. nec non Guilelmi, Cliviæ, Iuliæ, & Montium Ducis aula medici munere functus, obiit A. 1588. æt. 73. M. *Adam*. in Vit. med. 186. Omnia eius opera iunctim edita ſunt Amſtelodami 1669. 4. Contra præſens autem ſcriptum ſurrexere Pet. *Scalichius*, Io. *Campanus*, Leo *Suavius*, & Io. *Bodinus*. Nec defuere, qui eum hoc libro blaſphemias effutiviſſe, atque ad atheiſmum abducere clamitarent. Sed alii præiudiciis & affectibus non occupati, bene de eo ſentiunt. Vide *Magirum* 805. *Pope-Blount* 764. *Kœnig* 869. Chriſtian. *Thomaſ*. diſp. de Crimine magiæ § 3. & de Origine ac progreſſu proceſſus (qui liber eſt germanicus) contra lamias 39. 41. *Thuan*. lib. 89. p. 174. & *Menagiana* P. II. 252. SYLVESTRVM autem II. Pontif. rom. quem magiæ accuſat *Wierus*, M. *Neumann* diſp. de Fauſto c. 2. th. 11. ab hoc crimine abſolvit.

LXXXVI.

LXXXVI.

La piazza univerſale di tutte le profeſſioni del mondo di Tomaſo Garzoni, ſive Thomæ GARZONII Forum univerſale omnium in mundo profeſſionum. Venetiis 1626. Vltima impresſio, correcta & collata cum prima, quam ipſe auctor curavit. Accedunt etiam Adnotationes ad ſingulos ſermones ſive capita. Latina autem verſio eſt Nicolai *Belli*, cumque eius & Mich. Caſp. *Lunderpii* Adnotationibus prodiiſſe memorat *Senftlebius* de Alea veterum, c. 18. p. 238. De univerſis artibus & profeſſionibus dum diſſeritur, facile inde colligendum non tantum bonas, utiles & honeſtas, ſed etiam malas, vanas, impias & pernicioſas in theatrum produci, & materiam ſermonis præbere, e. g. alchemiſtarum, aruſpicum, morionum, maledicorum, detractorum, murmuratorum, latronum, furum, necromantarum, ganeonum, meretricum, tyrannorum. Quam acrem liber hic cenſuram paſſus ſit, videre licet ex Præfatione, in qua auctor non tantum doctrinæ eccleſiæ romanæ ſe ſe totum ſubiicit, ſed etiam, ſi forte in excitatis ſcriptoribus improbis ſive prohibitis omiſerit epitheta infamium & ſceleratorum, ut,ſi non vocaverit *Aretinum* infamem, *Agrippam* ſacrilegum, *Munſterum* ſceleratum, profitetur, errorem illum (mirus error, non maledixiſſe, nec conviciatum eſſe!) ſe hic velle correctum, ac iudicare, nomina talium monſtrorum omnino cum epitheto beſtiali ac deteſtabili, ut qui indigni ſint, qui in impreſſione, niſi in forma beſtiarum peſſimorumque animalium, compareant, pronuncianda eſſe.

Thomas (in baptiſmo nominatus Octavianus) *Garzonius*, natus in oppido Romandiolæ Bagnacauallo, canonicus regularis primum ravennatenſis, deinde lateranenſis, præcocis homo ingenii, adeoque anno ætatis undecimo ſcitos iam valens verſus componere, ebraicamque & hiſpanicam linguam perfecte callens, non tantum opera Hugonis de S. Victore edidit, verum etiam ipſe addidit Adnotationes, Scholia & Vitam auctoris, prætereaque in uſum orbis eruditi ſtruxit Theatrum variorum cerebrorum mundanorum, Hoſpitale ſtultorum incurabilium, Synagogam imperitorum ſive ignorantium, Vitas feminarum illuſtrium in S. litteris, cum appendice de vitis feminarum obſcurarum & turpium

tam unius, quam alterius Testamenti, Discursum de nobilitate feminarum, Cornucopiæ consolatorium, & Meditationes in sacra cantica, matureque mortis imperium sensit: cum enim in patria sua esset, denasci eum in eadem oportuit anno 1589. ætatis 40. Defuncti honorem ac merita eloquenti oratione in exequiis celebravit *Franciscus a Tossignano*, vir vere nobilis inter eruditos Franciscanos. *Ghilinus* T. I. Theatri p. 216. Quod autem Garzonius noster in præsentis operis, quod *Ghilinus* eruditum & curiosum vocat, pagina 80. Tractatum promittit de Arte nova contra Raymundum Lullium, id pro eiusmodi promisso habendum est, quod sine effectu evanuit.

Parte Prima del Palagio degl' incanti e delle gran marauiglie de gli Spiriti e di tutta la natura, Pars prima Palatii incantationum, mirabiliumque, quod ad Spiritus attinet, & totam naturam, per Strozzium CICOGNA. Vicetiæ 1605. Liber hic latinitate donatus est a Casparo *Ens* sub titulo Theatri magiæ omnivariæ, vel potius universæ naturæ, editusque Coloniæ A. 1607. 8. & proponit omne id, quod cognosci potest de omnipotente huius mundi architecto, deque mundi origine, & spiritibus bonis & malis, de eorum commercio cum magis, deque magia nigra, dicta Goëtia sive Necromantia, cum opinionibus omnium veterum & modernorum theologorum, & philosophorum, Platonicorum videlicet, Stoicorum, Peripateticorum, Rabbinorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Mahumetanorum, Cabbalistarum & Talmudistarum. Hanc excipere debuissent tres aliæ Partes, & Secunda quidem agere de Diis cælestibus, ordine cælorum, stellis & planetis, fato, fortuna, casu, & astrologia iudiciaria, contra Io. *Picum* Mirandulæ Principem, & Lucium *Belantium*; Tertia describere Animam mundi secundum Platonicos, & formam omnium rerum elementariarum sub luna, tonitrua, fulgura, tempestates, nives, ventos, terræ motus, originem fontium, fluminum, lacuum & marium, porro terram, eiusque situm, civitates, castella, provincias & regna, naturam & qualitatem lapidum, arborum, herbarum & mineralium; de animalibus perfectis & imperfectis, aëreis, terrestribus, & aquaticis, cum opinione veterum & recentiorum de abyssis, campis elysiis, oraculis, diis terrestribus & aquaticis, inferno,

no, eiusque pœnis: Quarta de ſanctiſſima Trinitate, prophetiis, adventu Chriſti ſalvatoris, de omnibus in mundo religionibus, ac præcipue ebræa, chriſtiana & mahometica, de omnibus ſcientiis & artibus liberalibus, de Sibyllis, Cabbala, Talmude, & numeris pythagoricis, deque ſcientiis occultis, magia naturali, ſomniis, miraculis, divinationibus & prædictionibus, tam illicitis, quam licitis; ubi demum monſtratur vanitas variarum divinationum & ſuperſtitionum, quæ tamen valuerunt apud antiquos, ut pyromantiæ, capnomantiæ, daphnomantiæ, alphitomantiæ, pegomantiæ, axinomantiæ, dactylomantiæ, caſtromantiæ, lecanomantiæ, oryctomantiæ, onymantiæ, cryſtallomantiæ, aruſpicinæ, teratoſcopiæ, catoptromantiæ, aëromantiæ, cephalomantiæ, hieroſcopiæ, lithomantiæ, rhabdomantiæ, chiromantiæ, geomantiæ, & phyſiognomiæ. Quamvis autem Cicogna cum in fronte libri, tum aliquoties in Dedicatione, eius ſe profiteatur auctorem, tamen, ſi Io. *Rhodio*, quem *Placcius* de pſeudonymis p. 183. *Morhof* Polyhiſt. lib. I. 130. & alii ſequuntur, credendum, liber hic Thomæ *Garzonio* ſurreptus eſt. Interim, quia ille Cicognæ nomen præ ſe fert, non peccabimus, ſi de eo etiam tria verba proferamus.

Strozzius *Cicogna*, nobilis vicetinus, theologus, philoſophus & doctor legum, patriæque ſuæ apud ſereniſſimam Remp. venetam nuncius, quique in animo habebat maioris momenta ſcripta in publicum edere, floruit anno 1605.

LXXXVII.

Ioannis Pierii VALERIANI Hieroglyphica, & alia. Francofurti ad Mœnum A. 1678. Iuxta exemplum francofurtenſe A. 1614. Hoc opus a *Curione* vocatur divinum, ab *Imperiale* curioſos antiquitatis abunde reddens ſaturos, a *Ghilino* vere egregium & fructuoſum, a *Thuano* maximæ commendationis, a *Voſſio* in Etymolog. eruditum; ſed, uti addit, in quo illud probare nemo poſſit, quod tam multa ut hieroglyphica referat, quæ talia olim habita eſſe, nullo adſtruere poſſit auctore. Alia autem illa ſunt 1) Viri cuiusdam eruditi, Cœlii videlicet Auguſtini (an Cœlii Secundi? eius enim filius, itidem eruditus, ſed in flore ætatis, cum 28. ageret annum, abreptus, Auguſtini quidem, ſed neſcio an Cœlii Auguſtini, prænomen habuit) *Curionis* Hieroglyphicorum libri II. 2) Ano-

Anonymi Hieroglyphicorum Collectanea, ex veteribus & recentioribus auctoribus descripta, & in VI. libros ordine alphabetico digesta. 3) *Horapollinis* Hieroglyphica, ex postrema Dan. *Hæschelii* correctione. 4) Declamatiuncula pro barbis Sacerdotum. Qua auctor barbarum defensionem, pro collegii sacerdotalis tuenda dignitate, suscipit. 5) de Infelicitate litteratorum libri II. In dialogi forma conscripti, quos continuavit *Tollius*. A *Vossio* quidem laudantur ut curiosum & egregium opus; sed *eruditi Parisienses* T. II. du Journal des Sçavans, auctorem indicant unice laborasse ad creandum eruditis fastidium, vel saltem ut nos moneret, prosperæ fortunæ usum ei non esse sperandum, qui eruditionem studiis sectetur; immo ut infelicium illorum virorum, qui Litteratorum nomine veniunt, numerum multiplicet, eorum calamitates variis perspergere naturalibus casibus, qui infortuniis minime sint accensendi. Et sic optandum esse, ut maiore cum delectu, solidiorique cum iudicio Synopsis illa fuisset elaborata, eique illustria tantum exempla inserta, quæ illis opponi potuissent, qui in profanum usum liberales disciplinas se convertere posse putant, id est, iis non uti ad suam probitatem augendam, atque ad contendendum, ut ecclesiæ vel reipublicæ utiles fiant in statione, cuius tutelam divina providentia in huius vitæ itinere ipsis demandavit. 6) Antiquitatum bellunensium, sive civitatis Belluni in Marchia tarvisiana, Sermones IV. In lucem producti A. 1620. ab Aloysio *Lollino*, episcopo bellunensi; eorumque ultimus Flaviorum nobilitatem ex antiquis in agro Bellunensium memoriis exponit. Præmittuntur autem toti huic operi 1. Præfatio, qua usus monstratur cognitionis hieroglyphicorum, non modo pro humaniorum litterarum, sed sublimium quoque Facultatum, atque in his vel præcipue sacræ theologiæ studiosis, variæ editiones, quæ præcessere, indicantur, & ratio adfertur, cur poëmata auctoris hic resecta fuerint. 2. Valeriani dedicatio ad Cosmum Medicem, Florentinorum Ducem, Etruriæque Principem, sane doctissima & gravissima, atque ad pietatem colendam directa, qua pathetice ostendit officium Principis, quibusque coruscare virtutibus debeat, & sic in laudes it florentissimi illius Principis, ad quem verba facit; ceterum sine iactantia fatetur, labores se incredibiles sustinuisse in elaborandis Hieroglyphicis; denique obiectionem eorum,

eorum, qui aiunt, non posse quemquam totum hoc sacrum perlustrare, diluit, eamque nullius esse valoris ostendit. 3. Ioannis *Pisoni* ad Nicolaum de Langes dedicatio, qua multa in Hieroglyphicorum Pierii locupletissimo, pretiosissimo inexhaustoque (ita enim ea adpellat) thesauro emendasse, additionibusque fortasse non infrugiferis auxisse narrat, ipsum vero auctorem totius antiquitatis scientissimum vocat. 4. Auctoris Vita, ab Antonio *Verderio* enarrata.

In Hieroglyphicis Horapollinis pag. 1. Ex Suida. *Horapollo*, *grammaticus*, Alexandriæ docuit, & in Aegypto, tandem CPli sub Theodosio.

Sed grammaticus ille *distinguendus* est ab Oro, sive Horo Apolline ægyptio, niliaco, ut probabiliter, iudice *Morhofio* Polyh. lib. IV. 10. contendit *Caussinus*. Non ille, sed hic est auctor Hieroglyphicorum.

Ioannes Petrus (quod nomen ei mutatum fuit a *Sabellico* in *Pierii*, occasione sumta a Pieridibus sive Musis, quas assidue colebat; alterum autem Ioannis incertum est) *Valerianus*, bellunensis, e gente Balzania, statim in adolescentia a paupertate ita pressus fuit, ut Nobilibus venetis famulari cogeretur; deinde vero cum eius curam patruus, Vrbanus Valerianus susciperet, eumque in linguis & artibus informaret, tantum profecit, ut a Laurentio Medice, litteratorum summo Mæcenate, liberaliter adiuvaretur, atque a CEMENTE VII. Hippoliti, Alexandri & Catharinæ, nepotum ipsius, educationi præficeretur, quorum ille Cardinalis, iste Dux patriæ primus, hæc Gallorum ex connubio Regina, perennibus virtutum cumulis illustrem æternamque præceptoris memoriam reddidere. Quamvis autem horum favore ac beneficentia ad magnam fortunam pervenire potuisset, ac primum Iustinopolis, mox etiam Avenionis designatus fuerit antistes, eos tamen honores constantissime detrectavit, unicaque protonotarii apostolici & comitis dignitate maluit contentus esse. Sed & huic honestum tandem otium prætulit, & senex factus, valeque urbanis curis dicto, Patavium se recepit, ut, quod reliquum erat vitæ, Musis ac Deo impenderet, ubi & requiem invenit A. 1550. octogenario maior. Fuit orator, poëta, antiquitatum cognitor, & philosophus,

phus, ceu ſcripta eius teſtantur; quæ inter ſunt Caſtigationes & varietates Virgilianæ lectionis, de honoribus Matthæi *Langii* Epiſtolâ, Hexametri, Odæ & Epigrammata, Compendium in Sphæram Io. de *Sacrobosco.* Plura de eo propinabunt tibi Ant. *Verderius* in eius vita, *Imperialu* in Muſeo hiſtor. 38. *Ghilinus* T. I. del Teatro d' huomini letterati 189. *Sauſſay* Continuat. Bellarmini 33. *Du Pin* T. XIV. 184. *Pope-Blount* 557. *Morhof* Polyh. lib. IV. p. II. & L' Eſprit de Guy *Patin* p. 44.

Orus ſive *Horus Apollo*, Niliacus dictus, non a fluvio, ſed urbe Nilo in Aegypto, adeoque non confundendus cum Horapolline grammatico, ſcripſit Hieroglyphica ægyptiaco idiomate, quæ neſcio quis *Philippus* græce vertit, græca autem latine tranſtulit Bernardinus *Trebatius* vicetinus, ſicut poſtea novam publicavit Io. *Mercerus*, & ante Hœſchelium Nicolaus *Cauſinus* editionem romanam, ex Merceri aliiſque verſionibus conflatam, multis in locis correxit, notasque & obſervationes addidit. Vide *Morhofium* Polyh. lib. IV. 10. Neque *Suidas* teſtatur, grammaticum illum Hieroglyphica collegiſſe, ſed tantum deſcribit, unde fuerit, ubi docuerit, & quid ſcripſerit.

LXXXIIX.

Iconologia di Ceſare RIPA, ampiata da Gio. Zaratino *Caſtellini*, Iconologia Cæſaris Ripæ, aucta a Io. Zaratino Caſtellino. Venetiis 1669. Denuo impreſſa Patavii 1712. Ea exprimuntur variæ imagines virtutum, vitiorum, paſſionum humanarum, affectuum, actuum, diſciplinarum, humorum, elementorum, corporum cæleſtium, provinciarum Italiæ, fluminum, aliarumque materiarum infinitarum, & cuivis hominum ſtatui utilium. Et ſingulis materiis ipſæ earum imagines ſive figuræ, ſatis ſcite in lignum inciſæ, præmittuntur. Ad imitationem huius Iconologiæ produxit P. Vincentius *Riccius* Hieroglyphica moralia, Neapoli excuſa anno 1626. In Præfatione noſtri operis, a *Morhofio* in lib. de Lingua & poëſi teutonica p. 591. laudati, & in germanicam linguam verſi, ac Francofurti anno 1699. 4. ſub titulo, *Erneuerte Bilder-ſprache*, editi, ſermo fit generaliter de imaginibus, earumque regulis.

Cæſar

Cæsar *Ripa*, perusinus, Eques SS. Mauritii & Lazari, nobilitatem familiæ suæ hoc scripto illustravit sæculo XVII.

Io. Zaratinus *Castellinius*, romanus, atque ad idem tempus referendus, itidem Eques, scripti huius amplificatione gloriam sibi æternam acquisivit.

Imagini delli Dei de gl' antichi di Vicenzo CARTARI, cum notis & additamentis Laurentii *Pignorii*, cuius etiam est catalogus auctorum veterum & recentium, qui hac de materia scripserunt, nec non cum Cæsaris *Malfatti* Allegoriis super imaginibus, & catalogo centum celebriorum deastrorum apud Ethnicos. Venetiis 1674. antea 1571. In Præfatione non sine querelis narratur, pictores sæpe multis erroribus contaminasse imagines, sive addendo, sive diminuendo, sive aliter, quam fas est, repræsentando, idque accidisse *Horapollinis* & *Valeriani* Hieroglyphicis, Notitiæ Imperii orientalis Guid. *Panciroli*, Emblematibus Andr. *Alciati*, Fabulis Gabr. *Faërni*, Dialogis Ant. *Augustini*, Familiis romanis Fulvii *Ursini*, & Saturnalibus Iusti *Lipsii*; neque in hoc etiam opere impediri potuisse, quo minus gregarii scalptoris negligentia superaret editoris curam & solicitudinem.

Vincentius *Cartarius*, regiensis, floruit labente sæculo XVI. eique a *Frisio* in Epit. Biblioth. gesner. p. 816. tribuitur tractatus de Suppositionibus. Præsens autem liber in Dedicatione merito vocatur eruditissimus, in quo auctor collectas de antiquorum fabulosis deitatibus imagines ornaverit adeo bellis & exquisitis explicationibus, ut famelicus lector non modo iis famem suam possit sedare, sed etiam cibos sibi videat appositos in argenteis & aureis vasis: omnia enim esse selectissima, proprietatem verborum, concinnitatem phrasium, rotunditatem periodorum, dulcedinem stili, & elegantem ordinem tractandi ac proponendi res abstrusissimas, & eo digniores veneratione, quo remotiores a nostris temporibus.

Laurentius *Pignorius*, (italice *Pignoria*) patavinus, primum ecclesiæ patriæ S. Laurentii parochus, deinde canonicus tarvisianus, pietate (sunt verba Dominici *Molini*, amplissimi Senatoris veneti in Epitaphio ei posito) ac morum sanctitate spectatissimus, verum candoris & pudoris exemplum, litterarum omnium, cum

graviorum, tum politiorum peritissimus, penitioris antiquitatis non minus certus, quam curiosus indagator, patriæ, amicorum, & sui ipsius memoriæ luculentissimis scriptionibus propagator, Musarum denique & Gratiarum corculum & ocellus, peste abreptus est Patavii anno 1631. ætatis fere 60. Quod ad scripta eius attinet, latine edidit Characteres ægyptios, Notas & Commentarium in *Alciati* Emblemata, Magnæ Deûm matris ideam & Attidis initia, Aponum, Miscellam elogiorum, adclamationum, adlocutionum, conclamationum, epithaphiorum &c. Typum antiquissimæ picturæ, quæ Romæ visitur, & Præfationem in Iac. *Cavatii* Elogia Anachoretarum; italice, della Congregatione delle vergini, Gareggiamento vicendeuole in lode dell' illustrissimo Sigr. Domenico *Molino*, Notitie historiche sopra la Gierusalemme del *Tasso*, l' Origini di Padoua, L' Antenore, e la Vita di S. Giustina. Io. Phil. *Tomasinus* in Illustrium virorum vitis, P. II. 199. ubi etiam indicat Pignorii opera perfecta, sed nondum edita, profert eruditorum de eo testimonia, eiusque aperit museum, recensens virorum clarissimorum imagines, statuas, numos & numismata, supellectilem antiquariam, & manu exaratos codices, latinos, græcos, & linguis vernaculis. Vide etiam *Pope-Blount* 962. *Morhofium* Polyh. T. I. 64. qui eum appellat virum ingenio & scriptis illustrem, & denique *Crenium* T. II. Methodor. 310.

Cæsar *Malfattus*, patavinus, eruditione celebris vixit initio sæculi XVII.

LXXXIX.

La Fisonomia dell' huomo, e la celeste del Sigr. Gio. Battista DALLA PORTA. In Venetia 1668. Editio septima, cum figuris. Adiungitur Physiognomia Io. *Ingenierii* (Ingegneri,) *Polemonis* & *Adamantii*, Discursus Livii *Agrippa* de Natura & complexione humana, Ludovici *Septalii* tractatus de nævis, & Cyri *Spontonis* Metoposcopia. Portæ Physiognomonia, & Septalii tractatus ex italico in latinum sermonem translati sunt, editique Francofurti A. 1618. in 8. mai.

Io. Bapt. *a Porta*, neapolitanus, & magnus artifex investigandi naturales hominum inclinationes, variaque eruditione ornatus, facile obtinuit gratiam Cardinalis Ludovici *Estensis*, cuius

palatium erat quasi parnassus litteratorum. Fuit præterea Porta noster integerrimis præditus moribus, & aliis etiam scriptis celebris; in lucem quippe dedit tractatus de elementis curvilineis, de destillatione, de occultis litterarum notis, de furtivis litterarum notis seu cifris, de refractione optices, de aëris transmutationibus, deque villa. Dedit quoque Tragœdiam quandam, & Tragicomœdiam, & Comœdias aliquot, mundoque valedixit A. 1615. ætat. 70. *Kœnig* 658. *Ghilinus* P. I. Theatri 105. Imperialis in Museo 123. *Sorberiana* 169. *Morhof* Polyh. T. II. 488. *Naudæus* Bibliograph. polit. c. 22. (in Crenii Method. T. I. 562.) *Crassus* Elog. P. I. 170. Atque hic ultimus refert de Porta, ipsum fundasse in urbe patria academias Otiosorum & Secretorum, &, quam fuit sagax in inventionibus rerum ad scientias pertinentium, tam fuisse debilem & timidum in illis defendendis, ita ut sæpe studiosum quendam domesticum adversariis obiiceret, Aulamque romanam ei prohibuisse astrologiam iudiciariam, & rumorem sparsum esse, in libris scribendis ei præsto esse quendam fratrum non minus eruditum.

Lud. *Septalius*, italice *Settala*, mediolanensis, doctor medicinæ, eiusque professor in acad. ticiniensi, a pluribus Principibus ad primam cathedram, sed frustra, invitatus, propter insignem doctrinam, a Rege Hispaniarum, titulo *Protophysici generalis per Statum mediolanensem* honoratus, vir reverenda & maiestatis plena facie, sententiis utens in sermone, & gravis, pariterque humanus in conversatione, ex singulari privilegio prælegit etiam politica & moralia, & quam ingenio, tam etiam prole fertilis, obiit Mediolani A. 1633. æt. 82. Inter scripta, quæ in lucem dedit, sunt comment. in Aristotelis Problemata, & alius in Hippocratem de aëre, aquis & locis, Dissertationes animasticæ & analyticæ, Iudicium de margaritis ex India allatis, de Peste & pestiferis affectibus, de Morbis ex mucronata cartilagine, de Ratione status, & Epistola de festo paschali, cur non sit stabile. *König* 747. *Crassus* P. II. 279. *Conring* de Civ. prud. c. 2. *Ghilinus* P. I. 151. *Morhof* Polyhist. T. II. 488.

Teatro d' huomini letterati, aperto dà Girolamo GHILINI. In Venetia 1647. In præfatione occurrit V. obiectionibus, quæ sibi fieri possent, atque ita se defendit: 1. se meditari Theatrum

trum universale prope omnium litteratorum, cum veterum, tum modernorum, in quo nullum velit præterire, nisi illum, qui de suis scriptis non se facturus esset certiorem. 2. Solius se inter Iesuitas meminisse P. Caroli *Scribanii*, non ut iesuitæ, sed ut civis sui alexandrini. 3. Principibus, & aliis magnæ dignitatis viris non potuisse se dare locum priorem, quod consilium cepisset litteratorum aperiendi Theatrum, sine ullo præeminentiæ, qua alter alterum superet, respectu. 4. Itaque etiam ad evitandam præcedentiæ disputationem, in ceteris litteratis se disposuisse elogia ad alphabeti lineam, & 5. per vocabula *Fortuna*, *Sors*, *Divinum*, se nihil aliud intelligere, quam caussas secundas, primæ semper subordinatas. Nota etiam, Horatium *Oricellarium*, qui P. I. 79. Ioanni de Casa monumentum posuit, italice appellari *Rucellai*; sicut indicatur ab illustri *Zeno* nel Giorn. de' Lett. d' Ital. T. IV. 211.

P. I. 79. Io. de Casa fuit Nuncius apostolicus apud Venetos; *quo in munere tantam ostendit providentiam & integritatem, ut* PAVLVS III. *ei conferret archiepiscopatum beneventinum.*	*Iam ante nunciaturam* illum ei contulerat. *Giornale de' Letter. d' Ital.* T. IV. 198.
195. Petri Iustiniani Historia veneta ab origine urbis progreditur *usque ad annum* 1570.	*Vsque ad annum* 1560.
P. II. 77. Ferrantes Pallavicinus *pergit donare scripta sua mundo erudito.*	*Hoc anno*, videlicet 1647. Academia incognitorum in Elogiis suis *mortem eius publice doluit. Placc.* de anon. 654.

Hieronymus *Ghilinus*, natus Magnantiaci sive Modiciæ, quæ hodie Monza, apud Insubres, in Ducatu mediolanensi, anno 1589. post mortem uxoris sacerdos factus, rediit ad studia iuris canonici, & impetrata eorum laurea, operam dedit theologiæ morali; accepit etiam abbatiam S. Iacobi in loco Aprutii, qui vocatur Cantalupo, & canonicatum cum præbenda doctorali in collegio S. Ambrosii mediolanensi, ediditque in italica lingua La perla occidentale, Odi in lode di Agostino Domenico *Squarçiafichi*, Presidente

dente del Senato di Milano, in latina Practicabiles casuum conscientiæ resolutiones, brevissimis conclusionibus explicatas; inedita autem sunt Memorie Alessandrine, overo Cronica della città d'Alessandria, Rime, Concetti poëtici, Biennium Insubribus maxime calamitosum, seu Historia annorum 1498. & 1499. & Tempio delle donne letterate. Ita ipse *Ghilinus* vitam suam describit in præsentis operis Parte I. p. 121. *Morhofius* Polyhist. lib. I. p. 246. testatur, Ghilinum libros editos ac ineditos diligenter recensere; huiusque rei magnum usum esse in notitia exoticorum auctorum, qui apud nos sint rariores.

XC.

De la Recherche de la verité, par le R. P. MALEBRANCHE. A Paris 1678. Quarta editio; quinta autem, eaque auctior, cum regulis de motu, eiusque communicatione, in publicum prodiit A. 1701. in 12. Tractatur hoc in libro de hominis intellectu, quaque illo via uti debeas, ut evites errores in scientiis; & in primo quidem libro de erroribus sensuum, secundo de imaginatione & fortium imaginationum contagiosa communicatione, tertio de intellectu puro, quarto de intellectus inclinationibus aut motibus naturalibus, quinto de passionibus, sexto de methodo. Huic inquisitioni, qua auctor emendare voluit Io. *Claubergii* Logicam, se se opposuit Simon *Fucherius* libro, quem appellavit La Critique de la Recherche de la verité, & hanc impugnavit Robertus *des Gabets* per Criticam Criticæ inquisitionis veritatis, seu par la Critique de la Critique de la Recherche de la verité. Vide *Vindingii* Ep. ad Deckherrum p. 56. (ubi tamen sic corrigendum: MALEBRANCHE, Prestre de l'Oratoire de Iesus: Robert des Gabets: Ex. SPANHEMIUM, serenissimi Electoris Brandenb. legatum) & *Placcium* de Anon. p. 614. 17. Equidem *Menagius* in Menagianis p. 258. & Domina *de la Faiette* negant se hunc librum intelligere, sed apud Placcium p. 615. hoc eorum in philosophicis ignorantiæ tribuitur. *Dippelius* in Fato fatuo p. 118. Operum statuit, Malebranchium aut non scripsisse secundum animi sententiam, aut ingentia rationis deliquia passum esse.

Nicolaus *Malebranche*, parisiensis, presbyter Oratorii Iesu, ex lectione libri *Cartesii* de Homine in philosophiæ amorem

flexus, vitium corporis (erat enim gibbosus & sterno inflexo) correxit sapientiæ & doctrinæ sacræ studiis, & præclaris eorum profectibus, atque, ut Systema hoc acceptabilius redderet & utilius, scripsit les Conversations chrétiennes, de quibus *Acta eruditorum* A. 1686. 24. sed & alia: videlicet Tractatum de Natura & gratia, Responsionem ad Dissertationem *Arnaldi*, Additamento tractatus de natura & gratia oppositam, Tractatum de amore, Epistolas ad amicum, in quibus respondetur ad reflexiones *Arnaldi*, & pluria, quæ in Indice primi Actorum erudit. decennii, v. *Malebranchius*, nominantur. Præter supra dictos habuit etiam aduersarios *Regisium*, & *monachum* quendam *viennensem* in Delphinatu, edentem Les dogmes fondamentaux de la nouvelle philosophie, comparée avec les dogmes de l'ancienne, in quibus Malebranchium spinosismi accusat; quo iure, quave iniuria, iudicent alii. Sed Malebranchius anno 1715. quum annum ætatis ageret 77. & vivere & philosophari, & pugnare atque oppugnari desiit. Vide *Acta erud.* A. 1716. 232. Supplem. Tomum III. 385. ac *Struvii* Biblioth. philosoph. p. 61.

XCI.

Fran. BERNII Moralitatis arcana ex Pythagoræ Symbolis, Ferrariæ 1669. Est & alia editio A. 1687. 8. Symbola ab auctore hinc inde collecta sunt, eoque locata ordine, quo ad manus pervenere. Variæ lectioni, aliorumque interpretationibus suas auctor coniunxit coniecturas, morum institutionem tanquam finem sibi proponens. Si Philippum *Caroli* in Gellium p. 263. velis audire, pleraque Pythagoræ Symbola in ænigmate prolata sunt, adeoque non capienda in sensu litterali.

Fran. *Bernius*, Comes ferrariensis, scripsit etiam quædam etrusco idiomate, atque ad meliorem transiit vitam anno 1673. ætatis 67.

XCII.

Discorsi sopra Cornelio Tacito del Conte Virgilio MALVEZZI. In Venetia 1622. Inter commentarios in Tacitum, qui palmam sibi merito concedi postulant, hic non est ultimus, iudice *Naudeo* in Bibliographia politica c. 25. (T. I. Methodor. Crenii 571.)

Virgilius *Malvezzius*, bononiensis, Comes, non tantum legum, in quibus iam anno ætatis decimo septimo doctoris lauream meruisset, sed multarum quoque aliarum scientiarum peritus, ut theologiæ, medicinæ, philosophiæ, item musicæ & pictoriæ artis, eorumque exercitiorum, quæ summæ nobilitatis virum atque ad militiam exercendam, in qua & ipse meruit sub Duce Feria, Gubernatore Status mediolanensis, necessaria sunt, claruit anno 16. sæculi XVII. & vocatur excessus resurgentis gloriæ nominis italici, verumque compendium omnium virtutum & scientiarum, ac perfecta idea sive exemplum equitis laudatissimi. Commentarium in Tacitum scripsit valde iuvenis, reliquæ autem eius lucubrationes sunt sequentes: Discorso delle ragini, per le quali i Letterati credono non potere auantaggiarsi nella Corte; il Romulo; il Tarquinio superbo; Davide perseguitato; il Ritratto del privato politico christiano; Lettera di consolatione scritta à Gio. Vicenzo *Imperiali*, esiliato di ostracismo dalla patria: quæ tamen sine ipsius consensu luci fuit exposita. *Ghilinus* P. I. 222. & *Bumaldus* Biblioth. bononiensis p. 232.

XCIII.

Scipionis AMIRATI & Andreæ *Canongerii* Dissertationes in Tacitum, ex italico idiomate in latinum translatæ. Francofurti 1612. & antea 1609. etiam in 4. sicut postea 1618. in 8. Cum Christophori *Pflugii*, ut rubrum habet, sed, secundum Præfationem, Iulii *Belli* Digressionibus ex eodem Tacito. Adduntur, ob argumenti similitudinem, rerumque præstantiam, libri III. de regni regisque institutione. De *Canongerio* autem, seu potius *Canonherio*, nihil quidquam hic reperies. In Dissertationibus illis, quidquid de monarchia tum Imperii romani, tum pontificii, tum denique Regis Hispaniarum, aliorumque Statuum Imperii & Rerumpublicarum, ac singulorum etiam immunitatibus, officiis, administrandique modis, aliisque multifariis rebus ad Remp. pertinentibus, prudenter & politice tractari potuit, discutitur. Hoc opus, ut ait *Crassus* Elogiorum T. I. 109. non minus a Principibus, quam a litteratis admiratione exceptum est ob nobilem expositionem præceptorum politicorum; eidemque *Naudæus* Bibliograph. polit. c. 25. inter eos commentarios locum assignat, qui palmam sibi merito concedi postulant; præterea Ioach. *Pistorius* in Palæstra nobilium

lium c. 28. (T. II. Methodor. Crenii p. 337.) Machiavelliano minus acutum, sed magis probum esse iudicat; & Christoph. *Colerus* de Studio politic. ordinando cap. 16. (Tom. III. Methodor. Crenii pag. 394.) Scipionem nostrum in Tacitum eleganter & ingeniose scripsisse fatetur. Attamen *Struvius* Biblioth. philosoph. c. VII. p. 140. commemoratis aliquot italicis commentatoribus, non dubitat his uti verbis: *Sed, ut verum fatear, difficile est ab Italis haurire scientiam politicam: isti enim ad placita potentiorum vivunt, ideoque vera libertate sentiendi destituuntur, praeconceptis inhaerent, &, si quid novi statuunt, plerumque in excessum rapiuntur, ut Politici perversi.* Quae quidem sententia, ut ovum ovo, similis est illi, quam tenuit *Pflugius* noster, sicut legi potest in Praef. Iulii *Belli*, huic libro praefixa. Et Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. l. 2. c. 21. p. 474. observat, commentarios illos in Tacitum, *Malvezzii*, *Amirati*, *Boccalini*, *Forstneri*, *Gruteri*, *Milleti*, *Mutii* & similium, ad Tacitum intelligendum saepe minus facere, quippe cuius affectata obscuritas ita videatur in maiorem eius gloriam & admirationem cessisse, ut πολυπλοκώτερα longe, multoque plura interdum, quam de quibus unquam cogitarit, dixisse putetur. Neque hoc praetereundum, secutum esse *Amiratum* antiquas & obsoletas Corn. Taciti editiones, ac proinde sexti Annalium libri nullam facere mentionen, neque etiam annales & historicos libros, prout opotebat, discrevisse, cetera subinde disputare contra Machiavellum, cuius tamen nomen silentio plane involvat.

Scipio *Amiratus*, vetustae & illustris familiae surculus, Aletio-neapolitanus, ecclesiasticam vitam saeculari anteponens, servivit BONAE Poloniarum Reginae, & relicta spe romana iis, qui fortunae sunt mancipia, consedit Florentiae, ibique favore & gratia Magnorum Tusciae Ducum abunde fruens, & cathedralis ecclesiae canonicus factus, varia litteris mandavit, videlicet Historias florentinas, Familias florentinas, Discursum de negotiis, II. Partes de familiis neapolitanis, de familiis Paladina & Lantolietta, Carmina, Annotationes in Bernardini *Rota* versus, & Opuscula III. quibus continentur vitae Regis VLADISLAI, & Reginae ANNAE neapolitanae, Homines illustres familiae Mediceae, & varia ad rhetoricam & scientias pertinentia, saturque gloriae, divitiarum & honorum e mundo abiit A. 1603. aetatis 70. *Crassus* Elog. P. I. 170.

In

In præſenti opere, quod ad umbilicum perduxit, quum ſexaginta tres annos exegiſſet, omnibus viribus enititur, ut probet, tollendam, & in extremas oras amandandam eſſe erroneam illam ac ſceleſtiſſimam opinionem, qua non poſſe putatur cæleſtibus Deoque placentibus legibus imperia tuto gubernari.

Chriſtoph. *Pflug*, Eques miſnicus, inter cuius maiores eminuiſſe Iul. *Pflugium*, Epiſcopum & Principem naumburgenſem, illud non modo ſuæ gentis, ſed totius etiam Germaniæ ornamentum, & ſacratiſſimorum Cæſarum, ut ita loquar, corculum, notum eſt, vir imaginibus & doctrina præclarus, & cunctis virtutibus fulgentiſſimus, familiam ſuam, & ſæculum XVII. in cuius initio vixit, mirum in modum ornavit. *Crenius* Methodor. T. II. 337. & Iul. *Bellus* in Præfatione.

XCIV.

Commentarii di Traiano BOCCALINI ſopra Corn. Tacito. In Coſmopoli (Amſtelodami, apud Blauium) 1677. Sunt nempe hi Commentarii in VI. libros Annalium, in I. librum Hiſtor. & in Vitam Iulii Agricolæ. In Introductione ad commentarios hoſce, ſeu in præfatione defendit auctor Tacitum contra eos, qui eum dicunt eſſe obſcurum, impropriis locutionibus uſum, & minus latinum, atque oſtendit, eum non a quovis recte intelligi, eundemque docere modos, quibus Principes, quocunque ad imperium pervenerint modo, illud conſervare poſſint, ſicut *Livius* deſcribat Remp. bene ordinatam.

Traianus *Boccalinus*, romanus, architecti filius, vir acri, ſed & tumido atque inflato ingenio, ad iocandum cum aliquo maledicto facetus, omni elegantia doctrinæ excultus, vitamque privatam publicis muneribus atque honoribus, quorum Romæ, ubi Prælatorum ac Cardinalium favore maximo fovebatur, facile particeps redditus fuiſſet, amore libertatis, aut potius licentiæ, anteponens, poſt Relationes ex Parnaſſo ſcripſit librum, cui *Lapidis lydii* (Pietra del Paragone politico) nomen indidit, qui ultimum ipſi attulit exitium. Quia enim in eo oſtendere auſus eſt, Regis cuiusdam potentiſſimi opes non eſſe tam validas, ut labefactari non poſſent, Venetiis, quo maioris libertatis & ſecuritatis cauſſa ſe transtulerat, die quodam, quum ſolus in muſeo ſuo eſſet, a IV. robuſtis validisque viris armatis prehenſus, in lectum conie-

ctus, facculisque arena differtis ita contusus commitigatusq; fuit, ut paullo post spiritum efflaret, nec ab ipso Apolline, cui summum rerum omnium arbitrium tribuerat, servari posset. Qui tristis casus contigit duodecimum inter & decimum sextum annum saeculi XVII. *Erythraeus* Pinacoth. I. 271. *Crasso* negli Elogii P. I. 261. *Spizelius* Fel. liter. 223. 686. *Kœnig* 116. *Amelot* de la Houssaie in Taciti Moralibus parum aestimat istos Boccalini Commentarios, aiens, se parum in iis reperisse, quod quaerebat; sed alii in maiori eos pretio reponunt. Immo testatur *Morhof.* Polyh. T. III. 17. olim tanquam κειμήλιον servatos esse in eruditorum bibliothecis. *Pope-Blount* 928. & *Naudaeus* Bibliogr. polit. (T. I. Methodor. Crenii) c. 25.

XCV.

Io. SELDENI de Synedriis & praefecturis iuridicis veterum Ebraeorum libri III. Editio ultima. Amstelaedami 1679. Sunt etiam editi Lipsiae 1695. 4. De qua editione videatur *Crenius* Animadv: P. II. 173. Libro I. agitur de proselytis, & initiationis sacramentis, de poenis forensibus, de Cerith & excommunicatione, de presbyteris, iudicibus & Schoterim: libro II. de Mosis iudiciis & regimine, Synedrio magno, & iudiciis minoribus: libro III. de Synedrii magni potestate, appellationibus ad Synedrium magnum, de vestibus sacris, bello, templi dedicatione, encaeniis, origine dedicationum christianarum, situ precantium, adoratione Gentilium, & stella in oriente magis comparente. Vno verbo: quae ad leges Hebraeorum forenses pertinent, illa his libris potissimum tractantur. Vide *Wagenseilium* Tel. ign. Sat. 318. Sotae p. 142. *Peringer.* disp. de Sanhedrin 7. *Raeschel.* in Biblioth. Schrader. P. II. H. 6. *Carpzovium* in Schickardi Ius regium 141.

Ant. CARACCIOLI Synopsis veterum religiosorum rituum atque legum. Romae 1612. Tractatur autem in ea de Origine clericorum regularium & saecularium, psallendi prisco usu & ritu, origine Officii de B. virgine, origine sacrae musices in ecclesiis, templorum nitore, ornatu & cultu, SS. ordinum collatione & ministerio, priscis SS. virginibus, de concionatoribus, mentali oratione, conscientiae examine, officio sacerdotum e veterum exemplo, ritu audiendi confessiones, moribundis pie adiuvandis, [illegible] funere

funere Christianorum, iteratione professionis religiosæ, III. votis religiosis, litteris gratiosis, priscorum clericorum vestitu, ieiunio, agape, cura ægrotorum, novitiorum educatione, studio litterarum, silentio, de caussis præcipuis exitii religiosorum ordinum, religiosi ordinis regendi modo, & abbatis, consultorum, definitorum, aliorumque officialium munere. Post Syllabum præcipuarum rerum repræsentatur icon S. *Ioannis* Chrysostomi, in æs incisa.

Ant. *Caracciolus*, clericus regularis, qui claruit A. 1620. edidit etiam Herempertum & Falconem chronologos.

XCVI.

Nic. CLENARDI Institutiones ac Meditationes in græcam linguam. Francofurti 1580. Cum Scholiis & praxi Petri *Antesignani*, & copiosissimis indicibus, rerum uno, verborum altero; nec non Clenardi Meditationibus græcanicis in artem grammaticam, pro iis, qui suo Marte ac sine præceptore litteras græcas discere coguntur; & P. *Antesignani* libello de Thematis verborum investigandi ratione. Omnia Frid. *Sylburgius* recognovit, locis propemodum innumeris emendavit, notisque insuper illustravit. Exstant etiam *Scoti* & *Guillonii* notæ in easdem. Hæ Institutiones, uti *Kœnig*. scribit p. 196. a multis commendantur, interque eos a *Balbino* Verisimil. 309. 312. immo a multis pro absoluto perfectoque opere habentur; de earum autem (ut & *Caninii* Hellenismi) defectibus iam dudum monuit Henr. *Stephanus* in dial. de Infidis linguæ gr. magistris, qui & Supplementum scripsit huius Grammaticæ.

Nic. *Clenardus*, Diesta-brabantus, docuit Lovanii & Salmanticæ græcas & hebræas litteras, quinquennium etiam Regis Lusitaniæ fratrem informavit, & arabicæ linguæ, cuius aliquam notitiam suo sibi Marte comparaverat, melius discendæ caussa, qua eius beneficio posset aliquando Turcas convertere, abiit Fessam Africæ tingitanæ, sed Turcarum invidia, & christiani cuiusdam perfidia impeditus, re infecta reversus est in Hispaniam, & obiit Illiberi, quæ hodie Granata est, A. 1642. Melch. *Adam*. in Vitis philosoph. p. 123. Fuit amans vitæ solitariæ, in litterarum studiis pertinax, lucubrationum tamen hostis, ingeniosus & festivus,

nec causidicorum, nec monachorum amicus: dicere enim solebat, *monachum* esse hypocriseos domicilium, seque didicisse adagium, quod adagiosissimus non noverit Erasmus, nempe hoc: *Opes perdunt Christiani litigando: Iudaei conviviis festorum: Mauri celebrandis nuptiis.* Supersunt Grammaticae eius quatuor, Latina, Graeca, Hebraea & Arabica, (sed haec ultima MS. apud Io. *Perefium* valentinum in Hispania) item Epistolae. *Miraeus* in Elog. belg. 128. Ios. *Scaligero* dicitur Clenardus diligentissimus grammaticus potius, quam doctus in ulla lingua, prout legimus in Scaligeranis p. 96. sed hoc iudicium *Morhofio* Polyh. T. I. l. 4. p. 66. nimis ambitiosum videtur.

Pet. *Antesignanus*, scriptor saeculi XVI. struxit etiam Annotationes in Terentium, ediditque Epistolam hebraeam ad P. Castum, & Commentationem de ratione graeci carminis.

XCVII.

Heliae PUTSCHII Grammaticae latinae auctores antiqui. Hanoviae 1605. E bibliotheca Georgii *Calixti*. Auctores nimirum, eorumque scripta sunt sequentia: 1) Flavii SOSIPATRI Charisii Institutionum grammaticarum libri V. 2) DIOMEDIS de Oratione, & partibus orationis, & vario genere metrorum libri III. 3) PRISCIANI omnia; & quidem Commentariorum grammaticorum libri XIIX. In quibus *Putschius* multa emendavit. 2. Partitiones versuum XII. Aeneidos principalium. *Lipsius* de Recta pronunciatione latinae linguae c. 8. libellum quidem hunc vocat non indoctum, sed de auctore subdubitat. 3. de Accentibus liber. 4. de Declinatione nominum. 5. de Versibus comicis. Opus inchoatum magis, quam pro dignitate rei iustis numeris absolutum. 6. de Praeexercitamentis rhetoricae ex *Hermogene*. 7. de Figuris numerorum, & numis ac ponderibus. 4) Q. RHEMNII Palaemonis Ars grammatica. 5) M. Valerii PROBI 1. Institutionum grammaticarum libri II. 2. de Notis Romanorum interpretandis libellus. De cuius variis editionibus videndus est *Fabricius* Biblioth. lat. 774. 6) MAGNONIS Notae Iuris. 7) PETRI Diaconi de Notis litterarum nomine romano. 8) Notarum veterum explicatio ex PAPIAE Glossario. 9) Notarum iuridicarum

rum

rum explanatio, ex veteribus membranis. 10) Notæ numerorum & ponderum, ex antiquo codice. 11) PHOCAE Ars de nomine & verbo: item de aspiratione. 12) ASPERI Ars. 13) DONATI 1. Ars sive Editio prima & secunda. 2. de IIX. partibus orationis. 3. de barbarismo, solœcismo, schematibus & tropis. 14) SERVII Mauri Honorati 1. in secundam Donati editionem interpretatio. 2. de ratione ultimarum syllabarum. 3. Ars de pedibus versuum, sive centum metris. 15) SERGII in Primam & Secundam Donati editionem Commentarium. 16) Ars CLEDONII. 17) Maximi VICTORINI 1. de re grammatica liber. 2. de carmine heroico. 3. de ratione metrorum. 17) Aurerelii AVGVSTINI, episcopi hipponensis, de grammatica liber. At *Benedictini* de S. Victore, & *Tillemontius* in Vita Augustini, negant eius esse hunc librum, sicut observat *Fabricius* Biblioth. lat. p. 791. 18) P. CONSENTII Ars, sive de duabus orationis partibus, Nomine & Verbo. 19) ALCVINI Grammatica. 20) EVTYCHIS de discernendis coniugationibus libri II. 21) Corn. FRONTO de differentiis vocabulorum. *Incerti* de differentiis vocum. 22) VELIVS Longus de orthographia. 23) Fl. CAPER 1. de orthographia. 2. de verbis dubiis. 24) Q. Terentius SCAVRVS de orthographia. 25) AGROETIVS de orthographia. Est quasi Supplementum Capri. 26) M. Aurel. CASSIODORVS 1. de orthographia. Sunt collectanea ex variis Grammaticis. 2. de Arte. 27) BEDA Sacerdos 1. de orthographia. 2. de re metrica. 28) TERENTIANI Mauri Carmen de litteris, syllabis, pedibus & metris. In quod *Villerius* commentarium scripsit. 28) Marii VICTORINI de orthographia & metris libri IV. 30) PLOTIVS de metris. 31) Cæsii BASSI de metris Fragmentum. 32) Attilii FORTVNATIANI de metris Fragmenta. 33) Commentarii RVFINI in metra terentiana. 34) Fragmentum de metris, *Censorino* vulgo adscriptum. 35) MACROBII de differentiis & societatibus græci latinique verbi libellus. Sunt tantum excerpta quædam ex Macrobii opere a *Ioanne* quodam, forte erigena seu scoto. 36) Libellus *incerti auctoris*, qui tamen *Beda* vulgo tribuitur, de orthographia. Omnes hi auctores recensentur a *Fabricio* in Bibliotheca latina, p. 781. & sqq. interque eos a *Praschio* in Præf. in No-

vam latinam Grammaticam A 4. in primis commendantur Donatus & Phocas. Dedit etiam Dionys. *Gothofredus* Auctores latinæ linguæ, de quo vide *Morhofium* Polyhist. T. I. lib. IV. 120. & Io. Alb. *Fabricium* 763. In Præfatione docet *Putschius*, linguarum omnium fundamenta in Grammatica esse, summosque in Rep. viros, ut *Apollodorum*, C. Iul. *Cæsarem*, M. Terent. *Varronem*, M. Tull. *Ciceronem*, & C. *Plinium*, ad hanc artem cognoscendam vel se se demisisse, vel eandem scriptis suis illustratam voluisse, nec noviorum curas & racemationes veterum eruditissimis perfectissimisque commentariis anteponendas, seque in huius operis collectione & recensione occupatissimum fuisse, atque hunc servasse ordinem, ut primo ponerentur, qui artem latius tractarunt; secundo, qui compendiosius; tertio, qui orthographiæ; quarto, qui metrorum rationem tradiderunt: *Macrobii* autem libellum cum sequenti *Bedæ*, quia serius advenerunt, extra ordinem positos esse.

Pag. 563. Veteres scripserunt I per EI, sequens ætas I productum.	Refutant id clare æra & marmora vetusta, in quibus fere omnibus, quasi si nihil intersit, confusanea hæc scriptura, *Lipsius*, de Recta pronunciat. lat. linguæ, in Notis ad caput IIX. (T. I. Operum.)
P. 2415. Terentianus in Carmine miuro: Livius ille vetus graio cognomine, suæ Inserit *Inonis* versu puto tale docimen.	*Ionis*. Thom. *Reinesius* Var. lect. lib. II. c. 1. p. 126.
Scaurus de Orthographia pag. 2261. Non constat, Obscurum, utrum per ob an per op debeat scribi; nec minus Obsecro, Obsideo, *cum in illis B littera evidenter sonum suum vindicet.*	Puto legendum: *Cum in illis P littera* evidenter sonum suum vindicet: auctor enim est *Quintilianus* lib. I. cap. 7. veteres B sono litteræ P pronunciasse. Henr. *Noris* in Orthographia p. 135.
Pag. 1362. PAVLI Diaconi.	PETRI Diaconi.

Flavius

Flavius *Sosipater* Charisius, qui in *Epitome Bibliotheca Gesner.* p. 233. vetustissimus grammaticus appellatur, ante Priscianum vixit, eiusque Grammaticæ institutiones, prout hodie dantur, carent capitibus de Grammatica, Voce & Litteris, ac verus earum codex est neapolitanus, minime vero romanus. Vide prædictam *Epitomen* 234.

Diomedes grammaticus, distinguendus est a Diomede scholastico, cuius commentaria inedita græce scripta in Dionysium Thracem exstant in variis bibliothecis Angliæ, Galliæ, & Italiæ. *Fabricius* Biblioth. lat. 782.

Priscianus, cæsariensis, Theoctisti discipulus, grammaticus CPtanus, secundum *Barthium* ad Claudianum p. 87. *Favonius* vocandus, vixit tempore Cassiadori, h. e. sæculo VI. adeoque non adeo profundæ est vetustatis, omnium tamen sui generis, eodem *Barthio* lib. XI. Adversarior. c. 2. iudice, facile princeps scriptor. *Pope-Blount* 326.

Q. *Rhemnius* Fannius Palæmon, vicetinus, grammaticus & poëta, floruit sæculo I. tempore CLAVDII Imp. & reliquit Carmina, eiusque *Suetonius* meminit in Illustribus grammaticis. *Kœnig* 687.

M. Aurel. *Probus*, grammaticus, floruit anno secundo imperii NERONIS. *Noris* Orthograph. 86. *Kœnig* 665.

Magno, archiepiscopus senonensis, Notas suas CAROLO M. inscripsit unico hoc disticho:

Hac iuris σημαια *libens Rex accipe* Carle,
Offert devotus quæ tibi Magno *tuus.*

Petrus, gente græcus, diaconus, unus ex iis, qui e Græcia Romam in causa fidei sub ANASTASIO Dicoro Imp. eiusque successore IVSTINO seniore venerant, vixit circa annum Christi 520. & scripsit librum ad Fulgentium ruspensem de Incarnatione & gratia domini nostri Iesu Christi. *Labbe* de Scriptorib. eccles. T. II. 206. *Cave* 279. *Vossius* Histor. pelag. lib. I. c. 22. *Olearius* Biblioth. scriptor. eccles. T. II. 78.

Papias, lombardus, vixit sub *Innocentio* III. Papa sæculo XIII. atque ad Glossarium suum plerisque bonorum auctorum interpretibus usus est: curiosissime enim omnia corrasit. *Kœnig* 606.

Phocas

Phocas, grammaticus, Romae docuit, & Virgilii vitam carmine heroico descripsit. *Kœnig* 636.

Asper iunior, grammaticus antiquus, distinguendus ab *Aemilio Aspero*, Virgilii interprete, scripsit in Terentium. *Frisius* Epit. Biblioth. Gesner. p. 85.

Aelius *Donatus*, grammaticus romanus, B. Hieronymi in grammaticis praeceptor, CONSTANTII Imp. temporibus, h. e. saeculo IV. in pretio fuit. *Voss.* de Historicis lat. lib. III. c. 2. p. 233. Laur. *Valla* praef. in librum III. Elegantiar. triumviris hisce, *Donato*, *Servio*, *Prisciano*, tantum tribuit, ut post eos, quicunque aliquid de latinitate scripserunt, balbutire ipsi videantur.

Maurus *Servius* Honoratus (hoc enim, ut docet *Morhofius* Polyh. Tom. I. 157. integrum eius nomen est) floruit temporibus Theodosianis, & insignes struxit commentarios in P. Virgilii Maronis opera. *Frisius* Epit. biblioth. Gesner. 750.

Sergius grammaticus distinguendus a *Servio*, de quo modo diximus: quamquam non nulli eundem esse putent, qui *Servium*.

Cledonius, qui & *Celidonius* scribitur, Senator romanus, grammaticus CPtanus, a *Barthio* Adversar. XXXIV. 6. vocatur nec ineruditus, nec malae frugis grammaticus.

Maximus *Victorinus*, distinguendus a *Mario Victorino* rhetore, scripsit aliquid in Georgica, si coniectura *Frisii* in Epit. Biblioth. Gesner. p. 814. vera est.

P. *Consentius*, grammaticus CPtanus, Viri clarissimi titulo ornatur a *Frisio* 710.

Flaccus Albinus *Alcuinus*, anglus, Bedae & Ecberti discipulus, Eboraci in patria diaconus, officio scholasticus, CAROLI M. Imp. praeceptor, abbas S. Martini turonensis, orator, philosophus, poëta, mathematicus, theologus, & omnium scientiarum peritus, cuiusque consilio fundatae sunt academiae parisiensis, & ticinensis, multa scripsit, quae A. 1617. iunctim edita sunt ab Andrea *Du Chesne* in fol. communemque omnium mortalium sortem explevit Toruni A. 804. Videantur *Du Chesne* in eius vita, *Olearius* P. I. 29. *Lexicon univ. histor.* T. I. 79. *Magirus* 30. *Pope-Blount* 342. *Cassander* 1103. Henr. *Meibom* orat. de fundat. acad. Iuliae H 2. *Cremius* Differt. III. de furib. librar. §. 4.

Eutycha,

Eutyches, grammaticus, & Prisciani discipulus, a *Barthio* ad l. 12. Theb. Stat. Papin. p. 1568. literatissimus in utraque lingua literator, appellatur.

M. Corn. *Fronto*, orator, & ICtus, Catilium Severum & L. Commodum, fratres, qui gubernaculo Imperii admoti nomina gesserunt M. Aurelii ANTONINI, & L. Aurelii VERI, in litteris & philosophia erudivit, ideoque in Inscriptione apud Gruterum Magister Imperatorum salutatur. Magnam eloquentiae famam consecutus est, quamvis *Macrobius* siccum ei dicendi genus tribuat: immo & statua ei publico in loco a Senatu romano posita fuit. *Kœnig* 320. *Lex. univ. histor.* T. II. 182. Io. *Bertrandus* lib. 2. de Iuris peritis c. 39. I. W. *Berger* Dissert. acad. 90. 110. 117.

Velius Longus, grammaticus, ante HADRIANI imperium floruit. *Noris* Orthograph. 135.

Flavius *Caper*, quem *Putschius* p. 2240. vetustissimum appellat grammaticum, scripsit etiam commentarium in Virgilium. *Kœnig* 163.

Q. Terentius *Scaurus*, cui *Kœnigius* praenomen *Marci*, nescio quo fundamento, tribuit, Hadriani temporibus grammaticus fuit, ut *Gellii* lib. XI. cap. 15. verbo utar, vel nobilissimus, eodemque teste composuit quaedam de Caesellii Vindicis erroribus.

Agroetius Capero iunior est, vir magnae peritiae. *Putsch.* 2264.

Beda, secundum alios Girvico-anglus, secundum *Engelhusium* in Chronico, & *Hallervordium* Spicileg. de Hist. lat. 688. saxo, natus in villa Dencke prope Asseburgum in Ducatu brunsvicensi, monachus & presbyter monasteriorum weremuthensis & girvicensis ordinis S. Benedicti, ob sanctitatem & morum gravitatem, si non dictus, tamen dicendus venerabilis, omnique sacra & profana doctrina excultus, in omnibus discipulus Augustini, tam multa in litteris, philosophicis & theologicis scripsit, ut Hervagius Basileae Anno 1563. IIX. iis volumina, quae tamen non omnia capiunt, quum alia supersint inedita, alia deperdita sint, replere potuerit. Recensentur autem cum illa, tum haec a Io. *Mabillonio* in Actis Sanctorum ordinis S. Benedicti, & *Cavio* P. I. 334. ac P. II. 143. Fama viri in tantum se se dissipavit, ut Papa eum Romam evocaret ad enodanda dubia; ille autem Anglia non excessit, sed ibidem, ubi

ubi & didicit, & docuit, videlicet in monasterio girvicensi, spiritum Deo reddidit A. C. 735. ætatis 59. *Mabillon* & *Cave* ll. cc. *Du Pin* T. VI. 86. *Olearius* T. I. 114. *Niemann* disp. de myst. Israël. salv. c. 2. §. 20. *Meibom* Rer. german. T. I. 809. *Sollerius* in Actis erud. A. 1715. p. 476. *Crenius* de Singular. scriptor. 46. *Magirus* 115. *Pope-Blount* 339.

Terentianus, a patria Maurus cognominatus, non nullorum sententia tempore DOMITIANI Imp. claruit, estque, ut *Vossio* videtur, is, ad quem librum suum περὶ ὕψους Longinus exaravit. Carmen eius a *Kœnigio* p. 795. vocatur suavissimum, a *Fabricio* Biblioth. lat. 794. omni elegantiarum genere, conditum, & amabili quadam ingenii amoenitate temperatum. Plura de hoc auctore dabunt *Frisius* Epit. Biblioth. Gesner. p. 773. & *Kœnig* l. c.

Caius (s. Fabius) Marius *Victorinus*, natione afer, professione rhetor, Hieronymi stridonensis præceptor, CONSTANTIO imperante per multos annos Romæ docuit Rhetoricam, tanta quidem cum laude, ut statuam sibi in foro romano poni meruerit, extrema autem senectute ad Christum conversus, confessionem eius, quam antea tegere studebat, in conspectu totius ecclesiæ pronunciare nullus dubitavit; cumque IVLIANVS vetuisset, ne Christiani oratoriam, Gentiliumque litteras docerent, cathedræ suæ lætus renunciavit, loquacem, ut *Augustinus* loquitur, scholam deserere malens, quam verbum Domini. Scripsit Commentarios in *Ciceronis* Rhetoricam, Versionem Isagoges *Porphyriana*, libros IV. de S. Trinitate contra Arianos, de Generatione verbi divini adversus *Candidum* arianum, de Homousio recipiendo, de duobus Manichæorum principiis ad *Iustinum* manichæum, Carmen de VII. Maccabæis, & Commentarios in aliquot S. Pauli epistolas, sed stilo in his sacris operibus parum felice, quin potius, in dogmaticis præsertim, perplexo & ingrato. Neque etiam fidei dogmata & apostoli Pauli mentem satis accurate videtur percepisse, certe non satis apte & concinne ubivis exprimere scivit, eo quod maximam vitæ partem in Gentilium litteris consumsit, nec nisi provecta ætate religionem amplexus est christianam. Quo anno obierit, incertum; obiit autem ante annum 378. *Cave* P. I. 128. *Labbe* T. II. 467. *Pope-Blount* 237.

Marius

Marius *Plotius* Sacerdos Romæ docuit, ſicut ipſe indicat in præfatione ad Maximum & Simplicium, clariſſimos viros.

Cæſius *Baſſus*, inter Lyricos numerandus, vixit ſæculo a N. C. primo, ſed miſere periit incendio cum villa ſua, ardente Veſuvio. *Perſius* ad eum miſit Satiram VI. *Kœnig* 91.

Attilius (*Voſſio* Curius) *Fortunatianus*, Gyraldo dictus Donatianus, vixiſſe videtur temporibus GORDIANI & PHILIPPI Arabis, & ſcripſit Vitam Maximi, qui & Pupienus dicitur. A Caſſiodoro in Rhet. vocatur doctor novellus, & legendus commendatur iis, qui brevitatis ſunt amatores. *Voſſ.* de Hiſtor. lat. l. 2. c. 3. *Fabricius* Biblioth. lat. 796. *Kœnig* 314.

Licinius *Rufinus*, grammaticus antiochenſis, IC. conſul & theſaurarius, Gentilium addictus ſuperſtitioni, tempore M. Aurelii Severi ALEXANDRI claruit, h. e. ſæculo III. *Bertrand* de Iuris peritis l. 1. c. 35. *Kœnig* 707. *Moller* Hypomnem. ad Morhofii Tom. III. 128. & de homon. 403. 620.

Aur. Theodoſius *Macrobius*, homo, ut videtur, græcus, & neſcio an non gentilis, philoſophus eximius & criticus acutiſſimus, HONORII & THEODOSII auguſtorum gratia floruit, cubicularii dignitate, conſpicuus, ut qui ab illis ipſis *vir illuſtris* appellatur, & in Sommium Scipionis commentatus eſt. Plagiariis vulgo adnumeratur, cum tamen ipſe ad evitandam calumniam precetur, ne ſibi vitio lector vertat, ſi res, quas ex lectione varia mutuaturus ſit, illis ſæpe verbis, quibus ab ipſis auctoribus enarrata ſunt, explicuerit. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 620. *Kœnig* 492. *Pope-Blount* 226.

El. *Putſchius*, antverpianus, cum naſceretur, ſtatim riſit, miram erga parentes obedientiam demonſtravit, ita ut a pueritia nunquam eos offenderet, a rixis etiam, & gloriæ cupiditate alienus fuit. Cum e ienenſi academia Lipſiam ſe conferret, & vulgaretur ibi, ipſum depoſitionis ritu nondum initiatum eſſe, oportuit eum illas ineptias, quas *Gregorius nazianzenus* τερθρείας vocat, ſubire, & vexationes tolerare: poſtea in Salluſtium notas compoſuit, & obiit Stadæ A. 1606. æt. 25. ante, quam Notas in Grammaticos ſuos elaboraſſet. Mortuo Conr. *Ritterhuſius* parentavit. Collectionem autem atque editionem Grammaticorum horum, ut ipſe memorat, nec non *Thuanus* ad annum 1606. p. 125. auctoribus Ioſ. *Scaligero* &

Iac. *Bongarsio* est aggressus. Idemque in Ep. dedicatoria narrat, quantos labores in explendis, restituendis & emendandis illis sustinuerit. Et hanc restitutionem agnoscit cum *Morhofio* l. c. p. 121. Io. Alb. *Fabricius* p. 781. qui Purschium vocat doctissimum iuvenem, sicut *Scaliger* in Scaligeranis 330. doctum & egregium iuvenem, & in ep. 455. summae spei adolescentem. His adde M. *Adamum* in Vit. philos. 457. qui & Ios. *Scaligeri* epistolam gratias pro dedicatione Purschio agentem p. 462. exhibet, in qua heros ille litteratorum profitetur, hoc ingratissimum saeculum tam praestanti opere indignum esse: meritoque modestus alioquin auctor interdum dixit, *non intelligere homines plerosque, quid in eo opere a se praestitum sit, quantoque id sibi labore constiterit.* Sed mundus vult decipi, & maioris interdum aestimat deproperata & neglecta, aut trita & vulgaria, carbonesque pro auro, & auram pro Iunone vel lubens prehendit.

XCVIII.

Dan. PAREI Mellificium atticum. Francofurti 1627. In eo, uti prae se fert titulus, flosculi ex omnium Poëtarum graecorum pratis decerpti, in locos communes ordine distribuuntur, eoque non tantum philologiae & poëseos graecae, sed & ceterarum disciplinarum, atque in primis elegantiae atticae studiosi uti possunt. Servit enim non tantum carmini graeco condendo, sed & latinae dictioni atticis eiusmodi elegantiis, cui id volupe, & propositum est *Scaligerum*, *Lipsium*, *Casaubonum*, *Puteanum* & *Goldastum* imitari, exornandae. *Morhofius* Polyh. liter. T. I. lib. IV. 68. delectum maiorem & distinctiorem ordinem hoc in libro desiderari posse iudicat. At vero nos praesente etiam Catone contenti esse possumus: nam delectus non potuit rationem habere, *qui ex omnibus graecis Poëtis delibare flores animum induxerat*; nec ordo in tali argumento plane ineptus est, qui ad normam alphabeti institutus, & ubi titulorum index praemittitur. In Epistola dedicatoria auctor proverbium hoc, *Quod pupilla in oculo, hoc sunt Athenae in Graecia*, explicat de philologiae studio & gloria, quam Attici suam fecerint.

Dan. *Pareus*, Philippi filius, Davidis nepos, indefessus studiorum humaniorum cultor, edidit Medullam historiae ecclesiasticae,

cæ, Notasque & Lexicon in Lucretium, vitamque amisit, sive a latronibus, sive in oppugnatione urbis Cæsareæ Luteræ, quæ in Palatinatu inferiore sita est, occisus ante annum Christi 1647.

XCIX.

Iani LAVRENBERGII Antiquarius. Lugduni 1622. E bibliotheca Mart. *Beerii*. In Antiquario præter antiqua & obsoleta verba ac voces minus usitatas, dicendique formulas insolentes, plurimi ritus populo romano ac Græcis peculiares exponuntur & enodantur. Adiecta est in fine vetustiorum vocum ex Glossariis aliquot ab Henr. *Stephano* editis collecta farrago. Vtili labore hanc collectionem instituisse auctorem, iudicat *Morhofius* Polyh. T. I. lib. IV. 107. Quod autem ad expositionem græcorum & romanorum rituum attinet, Collectores *Actor. eruditor.* ad A. 1714. p. 14. ei præferunt Sam. *Pitisci* Lexicon antiquitatum romanarum.

Ianus sive Ioannes *Laurenbergius*, Guilielmi (quod nomen sæpe suo adiunxit) filius, rostochiensis, primum in acad. patria poësin, deinde vero in sorana mathematicas scientias docuit, & scripsit Carmina græca & latina, Epigrammata, Græciam antiquam, Versionem latinam Sphæræ *Procli Diadochi*, Elementa sphærica, & sub nomine *Daphnorini* Querimoniam de suo & academ. soranæ statu, nomenque illustris quidem mathematici, philologi & poëtæ adeptus, sed tædia etiam sinistræ fortune abunde expertus, obiit Soræ A. 1658. æt. 68. Plura de eo vide apud *Mollerum* in Hypomnem. ad Bartholinum de Scriptis Danorum p. 279. ubi & Ioach. *Morsii* ac Thomæ *Bartholini* elogia, quibus celebrant Laurenbergium, adferuntur. Adde *Kænigium* 462.

C.

Georg. Matthiæ KOENIGII Gazophylacium latinitatis, sive Lexicon latino-germanicum. Norimbergæ 1668. In eo voces a latinis scriptoribus, iisque tam veteribus, quam recentioribus usurpatæ, item significationes, constructiones, elegantiæ, formulæ, proverbia exhibentur, cum Indice germanico locupletissimo. In Epistola dedicat. demonstrat, litteras ac scientias humano generi divinitus concessas esse, tantoque deposito mortales non sine speciali

divini Numinis favore & gratia frui, pariterque ostendit fata linguæ græcæ & latinæ, & heidelbergensem celebrat Vniuersitatem, e qua subinde viri prodierint eruditi. In Præfatione autem rationem instituti sui exponit, postque illam Catalogum exhibet auctorum latinorum iuxta tempora & sæcula, ut & Notas Romanorum. *Multa*, teste *Morhofio* Polyhistor. T. I. lib. IV. 115. *hoc in Lexico habentur, quæ frustra in operosissimis aliis Lexicis quæruntur, ipsoque etiam Foro romano.*

In Prolegomenis ** 4. ad Seculum II. a N. C. *Agellius.*	*A. Gellius.*
Pag. 552. *Imprimis.* Adv.	*In primis.* C. *Cellarius* Orthograph. lat. 101.
811. Pædagogium. *παιδαγωγιον.*	*παιδαγωγειον.* Pædagogium.
818. *Papilio*, Gezelt. *Plin.* l. 5. 3.	Sed alii legunt, *pabulis.* Christ. *Cellar.* in Fabri Lexico, v. Papilio.
975. *Quoad feras bestias.*	Quoad *est adverbium*, non præpositio. *Tursellinus Facciolati* de Particulis c. 162. p. 243.
112. *Stratagema.*	*Stratevema. Cren.* Animadvers. P. XIV. 21. XV. 1. 189.

CI.

Il nuouo Dittionario reale italiano-tedesco di Mattia CRAMERO, id est, Dictionarium italico-teutonicum. Noribergæ 1693. Editio nova, priore, quæ hanc XV. annis antecessit, longe emendatior & auctior. Altera eius pars est Dictionarium teutonico-italicum, A. 1700. Et sic opus hoc constat II. volum. *In præfatione* præsentis Dictionarii italico-teutonici exponit auctor caussam, quæ ipsum ad illud scribendum compulit; itemque modum in eo adornando, & scopum, quem sibi variis in partibus præfixit. Nimirum commotus is hunc ad laborem est imperfectione Dictionariorum italicorum e. g. Ant. *Oudini*, Laur. *Ferretti*, Nathan. *Dhuezii*, *Veneronii*, Phil. *Venuti*, *Calderini*, *Galesinii*, & *anonymi*, cuius Trilingue lexicon editum est Francofurti in 8. & *alterius*, cuius Italico-gallicum dictionarium prodiit Duillierii in Helvetia; itaque

itaque studuit, ut eorum defectum, lapsus & inconsiderantias corrigeret, suisque observationibus compensaret & expleret. Monstravit quoque rectam significationem vocabulorum, eorumque, nec non phrasium genuinum usum & adplicationem, additis etiam terminis & locutionibus, quæ in Statu, iurisprudentia, ecclesia, militia & commercio usurpari solent. Et sane tantum præstitit, quantum antehac nemo, ut *auctor Nova biblioth.* T. V. 454. b. non dubitet scribere: *Crameri Lexicon italicum extra controversiam est optimum.* At quædam tamen sunt notanda.

165. Camelotto, ciambelotto, Schamlot, Kamelot, Zeuch *von Camelhaaren* gewürckt.	*Aliud* docet *Langhans* Itiner. Indiæ orient. 594.
1027. Scherno. Lips. *epistol.* 43. *Cent.* IV. ad Belgas.	*Epist.* 44. *Cent. III.*
1032. Scilinguágnuolo.	*Scilinguágnolo.*

CII.

L' Idea del secretario, h. e. Idea secretarii, per Barthol. ZVCCHIVM. Venetiis 1606. Constat hoc opus IV. Partibus, in quibus collectæ exhibentur epistolæ optimorum auctorum variique argumenti, & quidem in genere demonstrativo, narratoriæ, negotiorum caussa scriptæ, oblatoriæ, civiles, gratulatoriæ, gratiarum actoriæ, laudatoriæ, discursivæ sive dissertationes de peculiaribus materiis: in genere deliberativo, exhortatoriæ, consolatoriæ, æqualem dolorem significantes, petitoriæ, commendatoriæ, systaticæ, commissoriæ; & in genere iudiciali, defensoriæ atpue excusatoriæ. Et primæ Parti præmittitur Tractatus de forma imitationis, cum aliquot monitis ad eum, qui vult aut debet agere secretarium. Certe hic liber illis, qui stilum italica in lingua exercere volunt, valde utilis est.

Bartholomæus *Zucchius*, nobilis moguntiacensis, (dà Monza, in Statu mediolanensi) academicus insensatus perusinus, per plures annos secretarius Cardinalis *de Mondovì* in urbe Roma, post

post spatium vero XII. annorum, relicto aulæ splendore ac stridore, in patria sua sacerdos sæcularis, concionibus, studiis, & librorum compositione reliquum vitæ tempus consumsit, donec A. 1631. morbo contagioso interiret. *Ghilini* P. I. 25. Phil. *Picinellus* in Athenæo litterator. mediolan. p. 73. *Morhof* Polyhist. lib. I. 336. Fuit vir peritissimus divinæ scientiæ, & politiorum litterarum, pluribusque orbem eruditum scriptis, tam sacris quam sæcularibus, locupletavit, videlicet Meditationibus in passionem & mortem Christi, Concionibus in diebus S. Trinitatis, Ioannis baptistæ, Assumtionis & Incarnationis, Nativitatis & Corporis Christi, Doctrina orationis dominicæ, Consideratione VII. dierum hebdomadis, & Observationibus in membra corporis Christi; traduxit etiam in vulgarem, hoc est, italicam linguam *Iustinum* historicum, libros Hieronymi *Piatti* iesuitæ de Bono statu religionis, & Horatii *Tursellini* Historiam de Laureto, eique librum sextum ipse addidit.

CIII.

PINDARI περίοδος sive Opera, cum Erasmi SCHMIDII versione nova, rationis metricæ indicatione, dispositione textus, & commentario. Wittebergæ 1616. Quæ editio inter celeberrimas, ut *Crenius* ait Tomo I. Methodor. p. 218. merito æstimatur, Schmidii eruditis commentariis illustrata. Recentior est oxoniensis de anno 1697. fol. curata a Richardo *West* & Roberto *Welsted*, qui eam vulgarunt cum Er. *Schmidii* versione & Io. *Benedicti* argumentis ac paraphrasi, variis lectionibus & notationibus criticis ex codd. MSS. Bodleianis & prioribus editionibus, maxime Schmidii Commentario, tum Scholiis græcis emendatioribus, vita Pindari recens adornata, *Phlegontis* Tralliani de *Olympicis fragmento*, & chronologica serie Olympiacarum, *cum annis mundi*, Olympiadum, Vrbis conditæ, & Aeræ christianæ collata a Guil. *Lloydo*, episcopo vigorniensi. Exstant autem hodie, atque hic exhibentur Pindari Carmina XLV. epinicia lyrica, quæ Strophis, Antistrophis & Epodis constant, videlicet XIV. in ὀλυμπιακαῖς, XII. in πυθιονικαῖς, XI. in Νεμεονικαῖς, & VIII. in ἰσθμιονικαῖς. In Præfatione *Schmidius* de præstantia huius poëtæ loquitur, deque labore, quem ipse scriptori emendando subierit; in Prolegomenis autem

autem de Pindaro ipſo, eiusque vita, de Olympiis, quibus ſubiungit Chronologicam ſeriem, Olympiorum & Pythiorum cum annis mundi, ante nativitatem Chriſti, ab Vrbe & ab Epocha Chriſtianorum, collationem oſtendentem, denique de ειδει, στροφη, αντιστροφη, επωδω, κωλοις, pedibus & carminibus lyricis. Vbi ſciendum, quod ſingula ειδη ſive carmina Pindari conſtent tribus hiſce, στροφη, αντιστροφη & επωδω, & στροφην appellari primum μελος ſeu primam partem, quam in choro, a dextris ſe ad ſiniſtra circa aras vertentes: αντιστροφην ſecundum μελος ſeu ſecundam partem, quam a ſiniſtris ad dextra ſe circa aras moventes; επωδον denique tertium μελος, ſeu tertiam partem, quam ad aram in medio conſiſtentes decantarunt. Tandem ſubiunguntur operi duæ Diſſertationes eiusdem Schmidii, una de Dithyrambis, altera de inſula Atlantica, quæ hodie America dicitur, & veteribus etiam cognita fuit.

Pindarus, Thebis Bœotiæ natus, nec tamen bœotica ſus, Daiphanti tibicinis filius, infans expoſitus, ſi fabula vera eſt, ab apibus nutritus, a patre & matre Myrto tibiam didicit, & lyram a *Laſo* hermioneo. Fuit ſectator Pythagoræ, & IX. lyricorum poëtarum facile princeps, tantamque carminibus dorice ſcriptis celebritatem ſibi acquiſivit, ut Lacedæmonii & Alexander M. quum in Bœotios ſævirent, Pindari tamen domui pepercerint, immo & Diis carus credebatur. Neque tamen caruit obtrectatore *Amphimane*, & videtur obiiſſe circa Olympiadem LXXXIIX. nonagenario maior; obiit autem, & exhalavit animulam vagulam, blandulam, vanulam, & lyricis aſſuetam nugulis luſibusque, inopinato, in gymnaſio aut theatro, quum reclinato in gremium pueri Theoxeni, quo unice delectabatur, capite ſuaviter dormiret. Er. *Schmidius* in Prolegomenis, & Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. II. c. 15. p. 551. Interim ob poëſin & dictionem magna nactus eſt elogia, quæ non tantum *Magirus* p. 665. & *Pope-Blount* p. 9. ſed & *Schmidius* noſter in Prolegomenis, & *Fabricius* l. c. collegerunt, ita ut *Plato* eum vocet ſapientiſſimum, *Aeſchines* magnum, *Athenæus* magnæ vocis, *Horatius* cygnum, qui volatu ſuo ſublimia petat, nec imitabilis ſit, *Plinius* ſublimis oris poëtam; *Quintilianus* autem omnia illa complectens ſcribat: *Novem lyricorum longe* Pindarus *princeps, ſp ritu, magnificentia, ſententiis, figuris beatiſſimus, rerum verborumque*

rumque copia, & velut quodam eloquentiæ flumine, propter quæ Horatius *nemini credit eum imitabilem.* De imitatione tamen nunc aliter sentiendum, postquam ille, industria virorum doctorum, in primis Er. *Schmidii*, repurgatus & emendatus est. *Schurzfleischius* in Bibliothecæ Schrader. P. I. K 4. observat, Pindarum ut plurimum σ omittere studuisse; unde dixerint, carmina eum scripsisse ασιγμα. His adde Dav. *Chytraeum* Program. A. 1596. d. 19. Martii, I. W. *Bergerum* Differt. acad. 165. & *Crenium* de furib. librar. Differt. I. 92.

CIV.

THEOCRITI, MOSCHI, BIONIS & SIMMIAE quæ exstant, cum græcis in Theocritum *Scholiis*, & Iof. *Scaligeri*, If. *Casauboni* ac Dan. *Heinsii* Notis ac lectionibus. Ex bibliopolio Commeliniano 1604. Editio hæc laudatur a *Colomesio* pag. 445. & *Morhofi* Polyh. l. 7. 360. Recusum est hoc opus Oxonii A. 1699. 8. Vide *Acta erudit.* anni prædicti p. 237. & Io. Alb. *Fabricium* l. 3. Biblioth. gr. c. 17. p. 438. Nimirum hic eduntur 1) *Theocriti eidyllion* i. e. parvum poëma, (εἶδος enim est genus carminis) & Epigrammata. 2) *Moschi* Idyllia, quorum I. est Amor fugitivus, II. Europa, III. Epitaphium bubulci amatoris, IV. Megara, uxor Herculis, V. de Terra mari infesto præferenda, VI. de Amantibus. VII. de Vespere amantibus favente, VIII. de Cupidine, & Epigramma in Amorem arantem. 3) *Bionis* Idyllia V. quorum I. tradit Epitaphium Adonidis. 4) *Simmiæ* Ovum, Alæ, Securis, Syrinx, & Ara. Vbi observandum, non nullos Syringem & Aram Theocrito tribuere, & omnia hæc modo dicta poëmata, rerum, a quibus nomen habent, figuras repræsentare.

Pag. 213. Simmiæ ovum, ut a Iof. *Scaligero est emendatum.*	*Infeliciter emendatum*, quia ordo legendi viro docto non suboluit. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. lib. III. c. 17. p. 447.

Theocritus, syracusanus, Praxagoræ & Philines filius, *Simichidas* cognominatus, bucolici princeps carminis, quemque *Virgilius* imitari studuit, usus est dialecto dorica recentiore, & claruit sub Pto-

Ptolemæo Philadelpho; valdeque de eo dubium, an Hieronis tyranni iussu, ob maledicentiam, fauces ipsi fuerint laqueo præclusæ. *Kœnig* 799. *Neander* Oper. aur. P. I. 351. Io. Alb. *Fabricius* l. 3. c. 17. *Gyraldus* in Vita Theocriti, huic etiam libro præmissa, Laur. *Crassus* in Hist. poëtar. græcor. 498. Adrian. *Bailletus* T. IV. Iudicior. erud. 247. *Magirus* 775. *Cren.* Methodor. T. I. 218. Exercit. I. de libris scriptor. opt. 52. & III. 59. *Morhof* Polyhist. l 7. 360. Est perdifficilis, scribit illustris *Boineburgius* in Epp. ad Dietericum p. 313. optimas autem in eum, ac Heinsianis præferendas notas iudicat esse. *Vigelii.*

Moschus, syracusanus, discipulus Aristarchi grammatici, poëta bucolicus, claruit sub PTOLEMAEO Philometore. *Kœnig* 556. I. A. *Fabricius* l. 3. c. 17. p. 444. *Morhof* Polyh. l. 7. 359.

Bion, smyrnæus, poëta itidem bucolicus, Moschi, qui ipsius mortem carmine lugubri descripsit, æqualis, floruit tempore PTOLEMAEI Philometoris. Io. Alb. *Fabricius* 441. Hic cum Theocrito, & Moscho dorica dialecto usus est, sicut lyrici tantum non omnes, *Morhof* Polyh. l. 7. 360.

Simmias, rhodius, Theocrito antiquior fuit. Salmasius eius griphos notis illustravit. Iosephus autem *Scaliger* in emendatione Ovi, quæ nostro in codice legitur, infelix fuit, nec ordinem legendi observavit. Io. Alb. *Fabricius* 446. *Morhof* Polyhist. lib. VII. p. 361.

CV.

Mich. NEANDRI Opus aureum & scholasticum. Lipsiæ 1577. Estque vere aureum. *Crenius* de libris script. opt. V. 3. In quo continentur, & quidem in I. Parte, PYTHAGORAE carmina aurea, PHOCYLIDAE Poëma admonitorium, THEOGNIDIS Sententiæ, *Gnomologici* libri II. *Apophthegmatum* libri II. NILI Præcepta: in II. Parte, COLVTHI Helenæ raptus, TRYPHIODORVS de Troiæ excidio, COINTVS de eodem, *eiusdem* Reditus Græcorum, LVCIANI Somnium seu

Gallus, & XENOPHONTIS Hercules, & quidem P. I. 56. omnia graece & latine, cum Commentariolo Neandri. In Epistola dedicatoria Carminum aureorum docet auctor, ab initio usitatum fuisse, doctrinam de moribus, brevibus sententiis quasi oraculis includere; alteri Gnomologici Parti praemittit Carmen graecum de miseria aeque ac dignitate & gloria paedagogorum; sicut Colutho Dedicationem, in qua maximarum calamitatum caussas esse libidines demonstrat, idque multis exemplis probat; & aliam Theognidi, qua ostendit, mox ab initio homines olim recte assuefactos fuisse, idque factum propositis virorum sapientissimis scriptis, neque graecis Patribus improbatam scriptorum ethnicorum lectionem; ac rursus aliam Tryphiodoro, in qua agit de belli troiani scriptoribus, qui quidem ei sunt *Syagrius*, *Corinnus*, *Demetrius Scepsius*, *Hegesianax*, *Acatus*, *Dares*, *Dictys*, *Homerus*, tanti a veteribus habitus, ut eius poëmata publice recitari praeciperetur, atque ab ALEXANDRO M. qui eo quasi consiliario utebatur, & semper ad manus habebat, *rei militaris viaticum* dictus, *Hipparchus*, *Pigres*, *Idaeus*, *Timolaus*, *Nestus*, & *Q. Calaber*, nec non de poenis, quae improbis, eorumve posteris a Deo iuste immittuntur. Sciendum porro, *Apophthegmata* collecta quidem esse a Neandro, discipulisque praelecta, sed in ordinem redacta, ad archetypum auctoris emendata, & edita a Matthaeo *Gotho*, ecclesiae elrichensis patriae pastore, genuino Neandri discipulo, qui & in Dedicatione optime meritum praeceptorem magnis celebrat laudibus, meminitque, Pindarum quoque, Theocritum, Apollonium rhodium & Lycophronem de graeco latinos a Neandro factos, notisque illustratos esse; per *Apophthegmata* autem intelligi breves & argutas sententias, non cuiuslibet, sed virorum duntaxat sapientia, doctrina, virtute ac fortitudine illustrium. Scripta prioris *Partis eo tendunt*, ut pietatis, virtutis ac sapientiae studia *hominibus* commendent, ac vitia dissuadeant; posterioris autem, ut iustitiam Dei manifestent, qui scelera calamitatibus punit, non tantum in eorum auctoribus, sed & horum posteris. In *Luciani* Dialogo deliria scholae pythagoricae de metempsychosi exagitantur, & pauperum ac mediocrium in vita hominum conditionem, esse optimam & tranquillissimam, ostenditur. *Xenophon* autem in Hercule describit certamen Virtutis & Voluptatis, quarum quaelibet illum ad

par-

partes suas allicere laboravit. Dicitur etiam in Syllabo opusculorum aurei huius Operis, accessisse Vaticinium *Nerei Marini* de Troiæ excidio, *Poëma historicum* de Mithridate Ponti rege, & *Historiam poëticam* de Arione citharœdo, omnia in latinam linguam conversa a *Rhodomanno*; sed illa minime hic reperiuntur. Ceterum de variis scriptorum græcorum, eorumque gnomicorum, in usum studiosæ iuventutis collectionibus vide Io. Alb. *Fabricium* B. gr. l. 2. c. 11. p. 445. & l. 1. c. 11.

Parte I. 160. Theognis Megarensis *Siculus*.	Megarensis *atticus*. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 11. p. 439.

Pythagoras, in insula Samo natus, Mnesarchi annulorum scalptoris filius, & Thaletis, Epimenidis, Pherecydis, ac Biantis doctrina imbutus, plura discendi caussa in Aegyptum (an & Babyloniam?) profectus est, indeque in Cretam & Lacedæmoniam rediens, & primus doctrinam seu fabulam de metempsychosi, apud Aegyptios haustam, in Græciam afferens, sapientiæ præceptis alios instruxit, idemque munus strenue obivit Crotone, donec valde senex e vivis discederet, sive Metaponti, sive alibi, ultimo LXX. Olympiadis anno. *Neander* in Ep. nuncupator. p. 22. *Kœnig* 670. *Magirus* 697. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 12. *Clericus* Biblioth choisf. T. X. p. 79. 98. 125. Ipse, & Socrates, ut ut doctissimi, nullum ingenii monumentum reliquere: Aurea enim carmina non sunt Pythagoræ, nisi quod eius doctrinæ sunt conformia, nec sine fructu pueris possunt proponi; &, si auctor illorum ex Pythagoricis quærendus est, nulli magis quam *Empedocli* agrigentino convenire videntur. Io. Alb. *Fabricius* p. 460. 469. *Conringiana* 46. *Morhof* Polyh. l. 7. c. 2. n. 13. Explodenda autem est fabula, Pythagoram Abaridis discipuli sui sagitta per aërem abivisse.

Phocylides, milesius, floruit eodem cum Pythogora tempore, post troiana videlicet tempora plus minus 647. annis. Κεφαλαια eius ex scriptis Sibyllarum depromta sunt, seu potius Sibyllinis inserta. *Neander* in Ep. dedicat. primæ Partis p. 24. I. A. *Fabricius* Biblioth.

Biblioth. gr. l. 2. c. 11. p. 444. Dubitant autem *Scaliger* ad Eusebium p. 88. *Conringius* in Conringianis epistol. p. 46. *Kœnigius* 636. *Morhof*. Polyh. l. 7. c. 2. n. 14. ac I. A. *Fabricius* p. 443. an hoc carmen, perpetuo filo contextum, sit Phocylidis, idque pro christiani alicuius compositione habent.

Theognis, megarensis atticus, floruit sexto ante C. N. sæculo, & scripsit Gnomas, & Gnomologium, e quibus præsens poëma coaluerit. Non utitur dialecto dorica, sed ionica. *Morhof*. Polyh. l. 7. c. 2. n. 15. I. A. *Fabricius* l. 2. Biblioth. gr. c. 11. p. 439. De variis eius editionibus idem agit p. 442.

Nilus, constantinopolitanus, primum urbis patriæ præfectus, & clarorum filiorum pater, deinde, relicta uxore, monachus in Ægypto, adeoque ab aliis Nilis probe distinguendus, fuit Chrysostomi discipulus florens seculo quinto medio, & obiit regnante MARTIANO. Multa composuit scripta, inter quæ sunt Expositio in Canticum canticorum, Narrationes de cæde monachorum in monte Sina, & captivitate Theoduli filii, Oratio in *Albianum* monachum nitriensem, liber de IIX. vitiosis cogitationibus, Capita de oratione, Epistolæ 355. Tractatus de Vita ascetica, & alia, quæ Ios. Maria *Suaresius* iunctim edidit Romæ 1673. Interierunt autem eius Sermones aliquot, Epistolarum plurimæ, & liber adversus gentiles. *Neander* in præfat. *Kœnig* 577. *Cave* Hist. liter. 241. I. Alb. *Fabricius* Biblioth. gr. l. 2. c. 11. p. 451. *Danmio* Nilus est rarus auctor, Epp. P. I. 14.

Coluthus, natus Lycopoli, quæ civitas est in Thebaide Ægypti, floruit tempore Imp. ANASTASII sæc. V. Scripsit etiam Calydoniaca, & Persica. Præsens poëma de Helenæ raptu a Barthio vocatur Νοννώδης eo, quod Nonnum in eo exprimere studuit. *Neander* in Coluthi Vita p. 65. & *Kœnig* 205.

Tryphiodorus, ægyptius grammaticus & carminum conditor, sub ZENONE & ANASTASIO, ibidem sæc. V. claruit, & scripsit Odysseam λειπογράμματον, sic dictam, quod in libro I. nullum

lum esset alpha, in secundo nullum beta, & sic deinceps, sicut & ante ipsum *Nestor* lycius Iliadem λειπογραμματον consignasse traditur. Quemadmodum & *Pindarus* Oden asigmaticam fecit, hodieque exstant poëmata, cum titulis Pugna porcorum, & Laus calvorum, in quorum illo nullum p. & in hoc nullum c. reperias. *Neander* in Vita Tryphiodori p. 154. & *Kœnig* 819.

Cointus, smyrnæus, *Quintus Calaber* hodie dictus, non ob nativitatis locum, sed quia carmen eius in Calabria, in templo D. Nicolai extra Hydruntem a Cardinale Bessarione fuit repertum, scripsit 14. libros παραλειπομενων, eorum videl. quæ Homerus non absolverat, a cæso Hectore, in quo ille desiit, incipiens, & ea quidem dictionis suavitate canens, ut Homero simillimus videatur, & fructuose illi iungi queat. *Morhof.* Polyhistor. l. 7. c. 2 n. 23. *Rhodomannus* hic in præfatione pag. 9. & in Epist. dedicatoria, *Kœnig* 152. 202. *Cren.* de Singular. scriptor. 62. *Scaligerana* 373. Etsi de ætate eius nihil certi potest tradi, probabile tamen est, eum floruisse sub Monarchia romana, iam maximam orbis partem ditione sua complexa, & Coluthi, qui V. sæculo vixit, æqualem aut vicinum, & forsan romana civitate donatum fuisse. Professione videtur fuisse *Sophista*, id est, philosophiæ & eloquentie magister. P. I. huius operis p. 31. laudatur, ut vir honestissimus ac sapientissimus.

Lucianus, samosatensis, secta epicureus, floruit sæc. II. tempore M. ANTONINI & COMMODI. Antiochiæ in Syria per aliquod temporis spatium caussidicum egit, sed pertæsus huius vitæ generis in Galliam abiit, ibique, ut & postea in Macedonia rhetoricam, deinde autem philosophiam docuit, cumque ea virtutis, integritatis & abstinentiæ studium coniungendum esse arbitratus est. Quibus dotibus cum innotesceret Romanorum Imperatori, Ægypti procurationi ab eo præpositus fuit, & tandem podagra obiit nonagenarius. *Kœnig* 484. I. A. *Fabricius* B. gr. l. 4. c. 16. *Perrot* ep. dedicat. Traductionis gallicanæ, *Zwicker* Iren. iren. 77. *Magirus* 530. *Pope-Blount* 172. *Kettner* de Relig. prud. 48. *Acta erudit.* A. 1687. 570. *Bibliotheca Schraderiana* P. I. L 2. Condidit Vitam Demonactis, librum de longævis, & Billius ei Epistolas, quæ Phalaridis nomine circumferuntur, adscribit. Opera Luciani omnia

omnia prodierunt Lutetiæ Parif. A. 1615. f. cum notis Theod. *Marcilii*, Gilb. *Cognati*, & Io. *Bourdelotii:* nec Morelliana editio inelegans videtur *Crenio* Methodor. T. II. 218. recentiſſima autem eſt amſtelodamenſis de A. 1687. 8. II. volum. ex verſione Io. *Benedicti*, cumque anonymi ſcholiis græcis, & annotationibus Bourdelotii, Menagii, Guieti, Tollii, Tan. Fabri, Grævii, Lamb. Barlæi, Cognati, Sambuci, & Iac. Palmerii. Vide tamen, quid in ea deſideret I. A. *Fabricius* l. c. p. 507. Quod autem de eo ſcribitur, fuiſſe *Chriſtianorum inſectatorem ac deriſorem*, *blaſphemaſſe Chriſtum ſervatorem*, ipſumque aliquando *fuiſſe chriſtianum*, deinde autem *apoſtatam*, immo *atheum*, ac tandem *a canibus dilaceratum*, illud omne fabuloſum eſt, ſi auctores prædictos lubet evolvere. Quibus adde *Ancillonii* Melange crit. T. II. 537.

Mich. *Neander*, cuius germanicum & gentilitium nomen erat *Neumann*, Soravia-ſileſius, Melanchthonis felix & dilectus diſcipulus, primum ſcholæ northuſanæ conrector, deinde ilfeldenſis totos 40. annos ſumma cum laude rector, poëſin græcam ſummo ſtudio promovere conatus eſt, & hebræam quoque linguam, ceu ex hebraicis eius Erotematibus patet, exacte calluit, mortuus A. 1595. æt. 70. *Kœnig* 568. *Magirus* 611. Melch. *Adamus* in Vit. philoſoph. 395. Lucas *Oſiander* Hiſtor. eccleſiaſt. Centur. XVI. 1117. *Moller* de Homon. 705. Bibliotheca *Schrader*. P. I. Z 5. *Leuckfeld* Antiqq. ilfeld. 199. Matth. *Gothus* in Neandri Operis aurei P. I. 673. *Rhodomannus* in Ep. dedicat. ante Quintum Calabrum, *Struve* Introd. in notit. rei liter p. 9. *Kindervater* in Nordhuſa illuſtri 42. ubi varia eius encomia afferuntur, *Kriegk* Conſtit. rei ſchol. ilfeld. 189. & *Morhof* Polyh. lib. I. 216. & lib. 35. qui eum vocat communem Germaniæ præceptorem, obſervans, eundem promiſiſſe Pandectas variorum auctorum & ſcriptorum, *quæ ſi editæ fuiſſent*, ſuperaturæ fuiſſent opus Geſnerianum. Erravit tamen, iudice *Morhofio*, in ſequentibus, quod credidit, atque in Deſcriptione orbis terræ docuit, 1. germanicam linguam e græca ortum traxiſſe, 2. Sorabos, ſlavonicæ veteris linguæ dialecto ſemper uſos, hodieque utentes, græce olim locutos, 3. Germanos ævo Carolino græcis characteribus acta ſua conſignaſſe. Catalogus librorum eius omnium, cum editorum, tum MSS. exhibetur a *Leuck-*

a *Leuckfeldo* Antiqq. ilfeld. p. 199. inter quæ ſunt etiam Erotemata græca, *Morhofio* Polyh. T. I. lib. IV. 67. laudata.

Laurentius *Rhodomannus*, Saxowerſia-hohnſteinienſis, agricolæ filius, in græca lingua, ac præcipue in carminibus græcis pangendis tam eruditus, ut non modo alios ſuperaret, ſed & cum antiquis certare valeret, unde & *Homerus germanicus* appellabatur, fuit luneburgenſis, & walckenredenſis ſcholæ rector, inde græcæ linguæ prof. ienenſis, mox rector ſcholæ ſtralſundenſis, & tandem, ad Ioſ. *Scaligeri* commendationem, ut legitur in Scaligeranis p. 338. de quo tamen dubitat *Morhof* Polyh. T. I. lib. IV. 66. Hiſtoriarum profeſſor in academia wittebergenſi. Græcis verſibus ſcripſit Argonautica, Thebaica, Iliaca, Palæſtinam, Hiſtoriam eccleſiæ, Vitam & doctrinam Lutheri: bonum etiam, teſte *Scaligero*, Diodorum edidit Siculum, & obiit A. 1606. æt. 60. Videantur *Kœnig* 689. *Magirus* 707. *Caſel*, in epiſt. ad Hier. *Henningium*, quæ præfixa eſt Dionis Chryſoſtomi Orationi de Ilio non capto p. 126. *Morhof* l. c. *Leuckfeld* Antiqq. walckenred. P. II. 149. *Scaligerana* l. c. *Crenius* de lib. ſcript. opt. V 2. *Kriegk* Conſtit. rei ſcholaſt. ilfeld. 53. 61.

CVI.

CATVLLVS cum Obſervationibus Iſaaci *Caſauboni*, Lugduni Batavorum 1684. Primus omnium in Catullum commentatus eſt Ant. Parthenius *Laſicius*, liberque prodiit Venetiis A. 1487. f. Hunc ſecuti ſunt alii; ſed omnes illos doctiſſimis ſuis notis ſuperaſſe Ioſ. *Scaligerum*, cenſet Henr. Iul. *Scheurlius* in Statua Mercurii Sect. II. c. 6. p. 109. Nec male illo tempore ita iudicavit vir ſummus: verum, hodie ſi viveret, nullum eſt dubium, quin præſentem Caſauboni editionem, cum I. A. *Fabricio* Biblioth. lat. p. 57. fateretur, cunctis præcedentibus præſtare.

Pag. 173. in Voſſii Obſervationibus: *Nuntium* in neutro pro re nuntiata.

Negat C. *Cellarius* in Curis poſteriorib. p. 195.

Caius Valerius *Catullus*, in agro veronensi natus, poëtarum, nobilissimus, &, si latinitatem spectes, elegantissimus, cognomine *Doctus* appellatus, dubium, utrum ideo, quod ea Græcorum carmina, quæ omnibus fere inimitabilia visa fuerant, ipse primus eruditissime latinis vocibus expresserit, an a nequitiis, (quorum illud *Scheurlio*, hoc *Barthio* videtur) obiit Romæ, cum iam Iulii Cæsaris magna esset in Rep. auctoritas, circa annum V. C. 705. quo bellum civile Pompeio ac Reip. funestum cœpit, anno ante N. C. 49. *Scheurlius* & I. Alb. *Fabricius* II. cc. *Morhof* Polyh. T. I. lib. IV. 154. *Acta erudit*. A. 1685. 72. *Placcius* de anon. 383. *Giornale de' Letterati d' Italia* T. XII. 364. *Magirus* 201. *Pope-Blount* 69. *Crenius* Methodor. T. I. 321. & T. II. 313.

TIBVLLVS cum Notis, Variis lectionibus, & terno Indice. Amstelædami, ex officina Wetsteniana 1708. Editio hæc & Notæ sunt Iani *Brouckhusii*, quamvis nomen suum *ille* non exprimat; eaque hodie merito omnibus est præferenda, ut perquam emendata nitidaque, & in qua nihil prætermissum, quod ad poëtam ornandum expoliendumque requiri usquam possit. Et Tibulli quidem sunt III. libri Elegiarum; an autem & quartus, qui Panegyricum ad Messalam, & Poëmatia quædam complectitur, eiusdem sit, non immerito ambigitur. Interim & hunc notis illustrare suis Brouckhusius studuit. Sunt, quæ præmittuntur operi, & alia, quæ subiunguntur. Præmittuntur 1) Præfatio *Brouckhusii*, qua sermonem facit de occasione huius editionis, & adminiculis, quibus ad eam instructus se accinxerit. 2) Selectiora clarorum virorum de Tibullo iudicia. Subiunguntur autem 1) Variarum lectionum libellus, quarum pars debetur Nicolao *Heinsio*. 2) *Eiusdem* Notæ in Tibullum. 3) Ex *eiusdem* Adversariis. 4) Iani *Dousæ* Schediasma succidaneum de ætate Tibulli, *in quo*, *Tibullum* omnium elegiæ scriptorum, si unum (*Gallum* ne?) excipias modo, quantum Eroticorum cluit, antiquissimum esse, demonstrat. 4) Triplex Index, quorum primus omnes & singulas Tibulli voces, secundus auctores, qui in notis ad Tibullum laudantur, illustrantur, corriguntur, notantur, tertius denique res & verba, quæ in Notis ad Tibullum explicantur, complectitur. Vide Tomum IV. *Supplement. Act. erud*, p. 193. I. A. *Fabricium* B. lat. 257. & *Neu. Büch. Saal* T. V. 318.

Albius

Albius *Tibullus*, qui prænomen Auli habuerit, eques romanus, insignis forma, cultuque corporis observabilis, ante alios Corvinum *Messalam* oratorem dilexit: cuius & contubernalis fuit, & aquitanico bello militaribus bonis ornatus est. Hic, multorum iudicio, & maxime *Quintiliani*, viri in studio litterarum acerrimæ licentiæ, inter elegiographos principem (post Gallum) obtinet locum, obiitque adolescens paullo post Virgilium, A. V. 735. C. Sentio Saturnino, & Q. Lucretio Vespillone Coss. mense Septembri defunctum. Antiquus vitæ Tibulli scriptor, unde descriptionem nostram petivimus, & hoc addit, Epistolas eius amatorias, quamquam breves, quæque soluto videntur sermone scriptæ, omnino utiles esse. *Brouckhusius* in Præfatione, & Notis p. 1. 2. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 256. *Magirus* 780. *Pope-Blount* 83. *Baecler* Bibliograph. crit. 142. *Morhof* Polyh. T. I. lib. IV. 554.

Ianus *Brouckhusius*, (Brouckhuizen) hollandus, iam XX. annos natus erat, quum latinæ linguæ discendæ operam dare inciperet, & tamen ad tantam eius pervenit notitiam, ut nobilissima carmina scribere, difficillimosque poëtas interpretari sciverit. Atque hoc admirationem auget, quod magnam ætatis partem non in museo, atque inter libros, sed in navibus, atq; inter turmas maritimas transiverit. Habemus ab eo, præter Tibullum ac Propertium, etiam Notas in Sannazarium, & ipsius elegantissima Poëmata, quæ laudatus *Hoogstratanus* ab interitu liberavit. Hic est ille B. qui primus, iunctam præstante operam *Francio*, latinas Musas in urbem patriam deduxit, vitaque abiit paullo post editum Tibullum. *Hoogstratanus* præfat. in Brouckhusii Poëmata, auctor *Musei novi libror.* T. II. 249. Tomus IV. *Supplement. Actor. erudit.* 193. A *Fabricio* Brouckhusius noster vocatur acutissimus, politissimi vir ingenii, elegantissimus, quique omnes Propertii veneres imbiberit, p. 56. 57. 259. a Collectoribus *Actor. eruditor.* ad A. 1702. 296. vir litterarum non minus, quam armorum laude florentissimus, & Tomo IV. Supplement. 193. in litteris poëticis atque universa elegantiori litteratura versatissimus; a *Crenio* nitidissimæ litteraturæ vir; a *Clerico* T. IV. de la Biblioth. choisi. 284. celebris ob elegantissima poëmata latina; atque a *Burmanno* in Petronii Satyricôn pag. 213. vir supra invidiam omnem positus.

CVII.

PROPERTII Elegiarum libri IV. Cum Notis, & ternis Indicibus. Amstelædami 1702. Primus liber inscribitur *Cynthia*, quia Propertius carmina eius scripsit ad amatam sibi Hostiam, ficto nomine Cynthiam appellatam: vocatur etiam *Monobiblos* eo, quod solus, & ante tres reliquos editus fuit. Editor & commentator est rursus Ianus *Brouckhusius*, optime omnium de Propertio meritus, quippe qui emendatissimum eum dedit, & eruditis atque ingeniosis annotationibus illustratum; ipse etiam in Præfatione edisserit, quibus ad hoc opus perficiendum auxiliis usus sit, eique, ut in Tibullo, præfigit selecta clarorum virorum de Propertio iudicia, in fine autem Indices exhibet absolutissimos, *videlicet* verborum, quæ in libris huius poëtæ habentur, auctorum, qui in Notis ad Propertium laudantur, illustrantur, corriguntur, notantur, rerumque ac verborum, quæ in Notis explicantur. *Atque* hi tres poëtæ, quos hactenus recensuimus, eo quod amores cantant, *triumviri amorum* appellari, iunctimque solent edi, quarum editionum præcipue commendanda est *Graviana*, Traiecti ad Rhenum A. 1680. 8. Sed & hanc ob causam caute, nec nisi ab iis legendi sunt, qui castitate munitum pectus habent, ac peritos imitari sciunt naucleros, naves non ad scopulos maris propellentes, sed eos dextre ac circumspecte prætervehentes. Rectum quoque est consilium Hugonis *Grotii*, datum Fran. Aug. Thuano, ut lectionem istorum poëtarum differret in statum usque coniugialem. Eiusmodi cautus ac bene munitus lector sine dubio fuit L. Cæcilius *Lactantius* Firmianus, aliquot inde versus allegans lib. II. Divinar. instit. c. 7.

Brouckhusius in Notis p. 2. Propertium interea *pro Mevaniense* habeo.	Habendus est pro *Hispellensi*, Thad. *Donnola* de patria Propertii p. 18.
Pag. 305. *Tantine* in *lucris* Africa tota fuit?	Legendum: *Tantin'* in *lacrimis* Africa tota fuit? *Perizonius* in Not. ad Sanctii Minervam lib. IV. c. 4. p. 572.

Sextus

Sextus Aurelius *Propertius*, Hispello-umber, vates clarissimus ante domini nostri Iesu Christi diem natalem, aut non multo post, imperante OCTAVIANO Augusto, Romæ floruit, & in scribendis elegiis præstantioris linguæ nitore nominis celebritatem brevi adeptus, non tantum Corn. Galli & Mæcenatis, nobilissimorum romanorum, sed ipsius etiam Augusti meruit gratiam ac favorem. Non autem vixit diu: nam 42. ætatis annum agens, eo per tenebricosa loca ivit, unde negant redire quenquam. Thad. *Donnola* de patria Propertii p. 1. 18. 135. *Brouckhusius* p. 1. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 257. *Magirus* 690. *Pope-Blount* 82. *Morhof* Polyh. T. I. lib. IV. 154. *Acta erud.* A. 1702. 296. *Clericus* Biblioth. chois. T. IV. 284.

CVIII.

IVVENALIS & PERSII Satiræ. Lugduni Batavorum 1685. & antea Vltraiecti 1685. Et Iuvenalis quidem cum scholiis veterum & commentariis integris, selectis & conquisitis fere omnium eruditorum, ut If. *Grangai*, Io. *Britannici*, Nic. *Rigaltii*, Pet. *Pithoei*, Th. *Pulmanni*, Dom. *Calderini*, Georg. *Valla*, Eilh. *Lubini*, B. *Autumni*, Ger. Io. *Vossii*, Octavii *Ferrarii*, Cl. *Salmasii*, Ios. *Scaligeri*, Nic. *Heinsii*, Io. Frid. *Gronovii*, I. G. *Gravii*, If. *Vossii*, Lud. d' *Orleans*, I. A. *Gonsalii* de Salas, Th. *ab Almeloveen*, H. C. *Henninii* & aliorum, videlicet Casp. & Sam. *Barthii*, Sam. *Bocharti*, Steph. *Claverii*, Iac. *Ouzelii*, Phil. *Rubenii*, Iani *Rutgersii*, Casp. *Scioppii*. Hæc omnia collegit, emendavit, digessit, & suam ipse symbolam attulit Henr. Christianus *Henninius*, meruitque hac opera atque hoc studio, ut eius editio laudem præstantissimæ consecuta sit a Io. Alb. *Fabricio* Biblioth. lat. p. 453. optimæque notæ a *Crenio* Methodor. T. I. 326. & Animadv. P. I. 15. Prior editio, ut dixi, erat Vltraiectina de anno 1685. Nostræ huic præmittitur 1. *Henninii* Præfatio, in qua indicat, se in textu secutum esse præcipue Variorum editionem, a *Schrevelio* olim recensitam, atque in Notis selectis præcipuam habuisse rationem Lubini. 2. Tabella contentorum hac editione. 3. Prolegomena de Iuvenalis vita, veterumque & recentiorum scriptorum elogiis & iudiciis de Iuvenale: & subiungitur Index absolutissimus omnium vocabulorum, quæ in Iuvenale reperiuntur, auctore, ut videtur, Ios. *Langio*. Persius

sius autem cum notis seu scholiis veterum criticorum, & commentario IS. *Casauboni*, quem e paternis schedis auxit & emendavit Mericus *Casaubonus*: cuius etiam est Præfatio, in qua non tantum suos ad novam editionem collatos labores exponit, verum etiam parentis aliquot loca corrigit ac restituit, pariterque fatetur, eum, cum multa moliretur, quorum minima pars sit edita, quid quid haberet præ manibus, id ita curasse, ut ad alia semper properaret, & vota votis præverteret, nec fere de forma, materiæ forte edendæ inducenda, ante cogitasse, quam cum typographus inciperet; hoc igitur modo facile potuisse fieri, ut erraret aliquando ac laberetur. Interim Commentarius hic Casauboni in Persium magnis laudibus effertur, ita ut a Io. Alb. *Fabricio* p. 395. vocetur eruditissimus, atque a Ios. *Scaligero* divinus; idemque in Scaligeranis p. 82. ait: *Au* Perse *de* Casaubon, *la sauce vaut mieux que le poisson.* Vulgatus est Persius, additis antiquis Scholiis, Lutetiæ Parisiorum anno 1605. & 1615. auctiorque Londini 1647. 8. Sextæ Satiræ subiungitur Persiana Horatii imitatio, qua ostenditur a Casaubono, Persium imitatum esse Horatium, ea tamen arte, eo iudicio in hac parte usum, ut, qui adeo multa non sua usurpat, suus tamen ubique sit, nec alieni beneficii fere quidquam, verum propria omnia habere videatur. Denique rivos claudit egregius Index rerum & verborum. Si vero argumenta Satirarum nosse cupis, scito, earum esse XVI. in Iuvenale, quarum 1. poëta perstringit poëtas, exposita caussa, cur ipse ad hoc genus scribendi accesserit. 2. hypocritas. 3. urbis incommoda. 4. convivas DOMITIANI. 5. parasitos. 6. mulierum flagitia & scelera. 7. artium neglectum. 8. nobiles, natalium splendorem iactantes. 9. cinædos: 10. vota inania & ridicula. 11. luxum. 12. heredipetas. 13. eos, qui non metuunt pœnam divinam. 14. *mala exempla* præbentes. 15. religiones peregrinas, & 16. de *commodis militiæ* loquens, militum conditionem longe meliorem esse ea, quæ paganorum est, commonstrat. De Satiris hisce Iul. Cæsar *Scaliger* Hypercrit. 6. (apud Crenium Exercit. I. de libris scriptor. optimis p. 49. & IV. 52.) hoc fert iudicium: *Prima* Iuvenalis *Satyra* adeo pulchra est, adeo rotunda, ut nihil exstet pulchrius, nihil rotundius. *Sexta* divina tota, & quæ grandem spirat poëtam. *Decima* quoque optima est. Ecquid Persii Satiræ in se continent? Prima

taxat

taxat Poëtas & Oratores Romæ, qui poëtica aut oratoria facultate vel male uterentur, vel in malum finem: Secunda vulgi peccata, in orando committi solita: Tertia iuventutem, quæ studia litterarum, atque in primis philosophiæ, negligenter tractabat: Quarta NERONEM, quod Remp. suscepisset gubernandam, tanto oneri prorsus impar; tecte tamen hoc facit, longeque mollius, quam vel natura poëtæ ferebat, vel Neronis flagitia & scelera merebant: Quinta Annæum *Cornutum* laudat, & iuvenes hortatur, ut tanto se viro in disciplinam tradant: & Sexta de legitimo agit divitiarum usu.

Decimus Iunius *Iuvenalis*, aquinas, ab antiquis librariis *Ethicus* cognominatus, maximam ætatis partem declamationibus Romæ consumsit, sub HADRIANO autem Satiras demum edens, ab eodemque, sub specie honoris, ut cohorti præesset, ad extremam Aegypti urbem Syenem, vere autem in exilium, propterea, quod Ganymedem ipsius verbis hisce, *quod non dant Proceres, dabit histrio*, punxisse credebatur, iam octogenarius, missus est: & quamvis brevissimo temporis intervallo Romam redierit, non diu tamen supervixit, quippe qui dicitur obiisse anno ætatis 82. Scripsit compar *Plinio* iuniori, *Martiali*, & *Tacito*, summoque affectu coluit *Volusium* Bithynicum & *Calvinum*. Vitam eius, præter eam, quæ in Prolegomenis legitur cum notis P. *Pithœi* & H. C. *Henninii*, descripserunt Lil. Greg. *Gyraldus* & Pet. *Crinitus*. Vide Io. Alb. *Fabricium* Biblioth. lat. 451. *Suidam* T. II. 122. *Magirum* 493. *Pope-Blount* 135. *Campanellam* de libris propr. (apud Cren. Methodor. T. II. 204.) & ipsum *Crenium* Animadvers. P. XIII. 1. & XIV. 1.

Scholiastes vetus Iuvenalis non est Valerius Probus, neque alius Probus, scriptor christianus, sed cento potius e variis, & a variis consutus, alicubi, ut ait *Pignorius*, sine delectu. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 453.

If. *Grangæus*, gallus, in duos etiam *Prudentii* adversus Symmachum libros commentatus, vixit initio sæculi XVII. &, *Barthii* ad Statium iudicio, minus instructus fuit ad Iuvenalem illustrandum: ad

ad hunc enim poëtam aliis omnino lacertis opus esse ait. *Kœnig* 358.

Io. *Britannicus*, brixianus, e Magna oriundus Britannia, tantam latinæ linguæ impendit operam, ut, si non superare, tamen æquare videatur Paulum Manutium, scriptisque Commentariis in Persium, Statium & Ovidium, & variis Opusculis atque Epistolis inclaruit, vir sui temporis ætate doctissimus, & vel illi sæculo invidendus, otiique semper inimicissimus, donec anno Christi 1510. mundo vale diceret. *Ghilinus* T. I. 78. *Henninius* 405.

Theodorus *Pulmannus*, craneburgensis, Antverpiæ fullonem agens, deinde ad litteras se conferens, insignis philologus factus est, & Commentationibus in Virgilium, Horatium, Suetonium, Prudentium, Claudianum atque Ausonium, nec non Variis lectionibus magnam inter eruditos famam sibi acquisivit sæculo XVII. *König* 669.

Dominicus, Calderæ, vico veronensi, natus, atque inde *Calderinus* dictus, a Card. *Bessarione* magni æstimatus, Romamque ductus est, & præclaro ibi cum honore docuit, vixitque: factus enim est secretarius apostolicus, & Commentariis in Statium & Silium Italicum, tribusque Observationum libris claritatem nominis sui longe lateque sparsit, modo sibi temperasset ab atra bile adversus *Sabinum*, periitque admodum iuvenis circa finem sæculi XV. *Sabellicus* scribit, nihil esse tam arduum & difficile, quod de se ille non sponte polliceri potuerit, & *Henninius* felicissimi eum ingenii & acerrimi iudicii iuvenem appellat. *Frisius* Epit. Bibl. Gesner. 206. *Henninius* præfat. in Comment. Calderini p. 710. *Baclerus* Bibliograph. crit. 131. *Giorn. de' Letter. d' Ital.* T. XIII. 454.

Georg. *Valla*, placentinus, medicus & humaniorum litterarum professor Venetiis, utriusque linguæ peritissimus, & magno cum applausu docens, sed quod a partibus staret Trivultiorum, qui turbas in Statu mediolanensi excitaverant, a Duce Mediolanensium persecutionem passus, atque in carcerem coniectus fuit, nec diu post liberationem, cum in auditorium se conferre, atque e Ciceronis Tusculanis de animæ immortalitate differere vellet, in loco,

loco, ubi alvus deiicitur, subito atque inopinato exspiravit, quum saeculi XV. plus quam dimidiam partem absolvisset. *Frisius* 277. Pier. *Valerianus* de Infel. litter. lib. I. p. 290. *Kœnig* 828. Scripta eius praecipua sunt libri de tuenda sanitate per victum, de humani corporis partibus, de corporis commodis & incommodis, de differentiis pulsuum, & magnum opus de rebus fugiendis & expetendis: de quo tamen videnda *Menagiana* Tom. III. 450.

Eilhardus *Lubinus*, Westerstede-oldenburgicus, septem academiarum discipulus, Rostochii primum poëseos, deinde theologiae D. & professor, & provincialis Consistorii assessor, orator, poëta, & mathematicus insignis, discentium studiosissimus, in rebus inveniendis acer, in memorandis firmus & expeditus, in iudicandis acutus, in academiae dignitate tuenda magnanimus, in dicenda veritate intrepidus, vir vere aristocraticus, lectionibus, disputationibus, scriptisque suis adeo ornavit Lyceum rostochiense, ut prae aliis eo tempore aestimaretur; tandem vero exstinctus est febri quartana A. 1621. aetatis 56. E scriptis eius caput efferunt Antiquarius, Fax poetica, Florilegium, Clavis graecae linguae, quae saepius, etiam apud exteros, sub prelo maduerunt, Phosphorus de prima causa & natura, (qui tamen ei adversarium excitavit Alb. *Grauerum*, auctorem Antilubini, quem noster Apologetico excepit) Tractatio theologica de causa peccati, Monotessaron, sive Historia euangelica de I. Christo ex IV. euangelistis in tribus linguis, Commentarius in Epistolas Pauli maiores, alius in minores Apostolorum Epistolas, Quadripartita euangelicae Historiae monas, & alia. *Witte* Memor. theol. 306. G. *Arnold* K. und K. H. Parte II. 490. F. A. *Aepinus* disputat. de meritis Westphalorum in academiam rostoch. p. 27. & *Henninius* p. 754. qui Ecphrases Lubini ait esse loquacissimas, nec aptas nisi terendo apud cirratos otio.

Bernardus *Autumnus*, nitiobrix, in Senatu burdigalensi caussarum patronus, vivens initio saeculi XVII. edensque A. 1615. Censuram gallicam in Ius romanum, suas in Iuvenale Restitutiones, eiusque interpretum castigationes iactat quidem, sed, si sin-

guli sua repetitum venirent, nudus remaneret procul dubio, ineptissimus rhapsodus, ut *Barthio* Adverf. XXVII. 17. aliisque non sine ingenti merito suo dicitur. *Henninius* p. 755.

Io. Frid. *Gronovius*, hamburgensis, I. V. doctor, & peragrata Italia & Gallia primum Daventriæ, deinde Lugduni Batavorum eloq. & historiarum professor, non tantum multos auctores classicos recensuit emendavitque, sed ipse etiam egregios concinnavit libros, ut Diatriben ad *Statii* Silvas, libros III. Observationum, Observationes in Scriptoribus ecclesiasticis, Commentarium de sestertiis, de Centesimis usuris & fœnore unciario, de Pecunia veteri, Laudationem funebrem Iac. *Golii*, & Orationem de lege regia, vir nitido ingenio, doctissimus, & criticorum princeps, requievit A. 1671. ætatis 60. *Witte* Diar. biograph. Ffff 2. Vincent. *Fabricius* Epp. p. 307. 365. 411. 681. in Poëmatis p. 620. *Boineburg*. Epp. ad Dietericum p. 12. C. *Cellarius* in Curis poster. p. 65. *Ferrarius* pluribus in locis Tomo II. Operum variorum, *Bœcler* Bibliograph. crit. 476 633. & *Grævius* Epp. p. 5. 33. 36. 47. 177. 288. 295.

Ludovicus *d' Orleans*, gallus, floruit initio sæculi XVII. ediditque Ieanne la pucelle d' Orleans, où l' Histoire du siege d' Orleans par les Anglois, Les Ouvertures des Parlements, & Cogitationes in Tacitum. *Hyde* Catal. biblioth. Bodlei. T. II. 21.

Stephanus *Claverius*, vixit initio sæculi XVII. & commentatus est in Persium, de quo Henr. *Ernstius* Observat. lib. I. cap. 7. scribit, si quis ex eius commentario auferret, quæ vetus interpres ante dixit, pauca certe bona illic remansura esse. Vide *Crenium* Differt. I. de furib. librar. p. 60.

Philippus *Rubenius*, Lipsii discipulus, *Asterii* V. Homilias in latinam linguam transtulit, ipse autem condidit Electa, & Carmina, quæ leguntur Tomo IV. Deliciar. belgic. atque e conspectu mortalium abiit anno 1611. ætatis tantum 37. Io. *Brant* in eius vita, & *König* p. 705.

Ianus

Ianus sive Ioannes *Rutgersius*, dordracenus, G. I. *Vossii*, *Baudii*, Ios. *Scaligeri*, & Dan. *Heinsii* discipulus, Iuris licentiatus, ac primum Hagæ Comitum forensium patronorum numero adscriptus, deinde Suecorum Regis GVSTAVI ADOLPHI, quum nondum vicesimum tertium ætatis annum explevisset, consiliarius, sæpiusque ab eo, post collatam suecicæ nobilitatis dignitatem, ad diversos Status ac Principes, & quintum ad Ordines Belgii confœderatos missus, scripsit Variarum lectionum libros VI. obiitque Hagæ Comitum A. 1625. ætatis 36. Videatur *ipse* in Vita sua, quæ in libro Vitarum selectarum legitur p. 162. Erasmus *Schmidius* in Lucæ 24, 33. opus illud Variarum lectionum vocat doctissimum, *Morhofius* Polyhist. lib. V. p. 223. eruditissimum.

Aulus *Persius* Flaccus, natus in Etruria Valaterris, eques romanus, Rhemnii *Palamonis* grammatici, Verginii *Flacci* rhetoris, & Annæi *Cornuti*, tragici, & philosophi stoici discipulus, atque a Pæto Thrasea summe dilectus, homo morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ, frugi & pudicus, in pueritia scripsit Prætextam, ὁδοιπορικῶν librum unum, & paucos in sororem Thraseæ, Arriæ matrem, versus, quæ omnia Cornutus matri eius auctor fuit, ut aboleret. Et tanti quidem æstimavit Cornutum hunc, suum quondam præceptorem, ut ei Sestertia centies legaret, cum omni bibliotheca sua; sed Cornutus vicissim tam fuit modestus, ut, sublatis libris, pecuniam sororibus, quas frater heredes fecerat, relinqueret. Mox ut a schola & magistris diverterat, lecto *Lucilii* libro decimo, vehementer Satyras componere studuit, eiusque libri principium imitatus sive æmulatus est. Fuit æque, ac Iuvenalis, gravissimus morum censor, & virtutum præceptor fidissimus, nec durus difficilisque amplius eius stilus est, nisi imperitis, vixque virilem attingens ætatem, anno Christi 26. quum esset annorum quasi 28. decessit vitio stomachi. Is. *Casaubonus* in Notis ad Persii Vitam, a Probo aut alio vetusto auctore scriptam, p. 36. Io. Alb. *Fabricius* Biblioth. lat. 393. *Lexicon univ. histor.* P. IV. 162. *Magirus* 648. *Pope-Blount* 105. *Campanella* de libris propr. (Tomo II. Methodor. Crenii 204.) Basilius *Faber* Thesaur. eruditor. scholast. 1698. *Morhof* Polyhistor. Tom. I. lib. IV. 183.

183. Inter omnia, quibus ille ornatur, elogia caput effert isthoc *Quintiliani* lib. X. c. 1. *Multum & vera gloria, quamvis uno libro,* Persius *meruit.*

CIX.

Barn. BRISSONII de Formulis & sollemnibus populi romani verbis libri IIX. Moguntiæ 1649. Ex bibliotheca G. *Calixti.* Editi quoque sunt Parisiis A. 1583. in fol. & Francofurti 1592. 4. in iisque origines caussæque formularum verborumque sollemnium expositæ, variis Romanorum antiquitatibus ad sacra, comitia, iudicia, edicta, bella, testamenta, funera & alia adtinentibus lucem adferunt. Distinguendæ autem sunt hæ Formulæ ab Antiquitatibus Brissonii: hæ enim ex Iure civili selectæ, auctoris Lexico Iuris subiunctæ reperiuntur. In *Scaligeranis* quidem p. 67. notatur hoc opus, quod pauca habeat bona, maximamque eius partem a studiosis esse coacervatam, neque omnes formulas collectas; sed *Magirus* illud vocat mirandum, *Tilemannus* magnificum, *Morhof* Polyhist. T. I. lib. IV. 119. aureum, & *Du Saussay* in Continuat. Bellarm. de scriptorib. ecclesiast. pag. 60. non parum iis res ecclesiasticas illustratas esse scribit. In laudes Brissonii eunt quoque Octav. *Ferrarius* T. I. Opp. var. 71. 80. *Baclet* Bibliogr. crit. 467. & R. *Simon* Biblioth. choif. T. I. 353. Libro VI. p. 581. huius operis adfert Brissonius Instrumentum plenariæ securitatis, anno XXXIIX. IVSTINIANI Imp. scriptum, quod etiam vulgavit Gabr. *Naudaus* A. 1630. & 1641. 4. sed Brissonii nostri apographum emendatius esse, post *Colomesium* indicat *Fabricius* Bibl. lat. p. 177.

CX.

Fran. Bernardini FERRARII libri VII. de Veterum acclamationibus & plausu. Mediolani 1627. Habentur etiam in VI. Tomo Thesauri antiquitatum romanarum Græviani. Quod autem ad huius operis contenta attinet, sciendum, libro I. agi de acclamationis & plausus nominibus ac differentiis, II. de theatralibus, III. de scholasticis, IV. de senatoriis, V. de ecclesiasticis, VI. de militaribus & nuptialibus, & VII. de miscellaneis acclamationibus.

Et

Et libri hi cum plausu eruditorum excepti sunt. *Ghilinus* P. I. 66. *Gravius* Præfat. in Tomum VI. Thesauri antiqq. roman. *Du Pin* Tomo XVII. 102. Georg. *Schubart* T. I. Opp. Octavii Ferrarii 628. & ipse *Ferrarius* l. c. p. 611.

Franciscus Bernardinus *Ferrarius*, mediolanensis, doctor theol. in Collegio ambrosiano, variarum linguarum, ut latinæ, græcæ, hispanicæ & gallicæ, nec non librorum peritissimus, ideoque ab archiepiscopo Frid. *Borromæo* in varias Europæ regiones ad conquirendum & comparandum meliores libros, tam MSStos, quam impressos, unde Ambrosiana nata est bibliotheca, missus, floruit initio sæculi XVII. & de Octavio *Ferrario*, cuius patruus erat, præclare meritus est, dum patre orbatum suo in contubernio educavit, & Musis atque Archiepiscopi favori commendavit: id quod ille omni tempore, tanquam maximum beneficium, grato animo agnovit & celebravit. Vide Opera *Octavii* Varia T. II. 136. 137. 611. Fran. Bernardinus scripsit præterea Tractatum de antiquo epistolarum ecclesiasticarum genere, aliumque de Ritu sacrarum concionum. De quo vide *Du Pin* Tomo XVII. 102. Perpoliendos etiam sub manibus habuit, teste *Ghilino* l. c. libros de annulis, de artificiosa manuum loquela, Gymnastica sacra, seu de durioribus veterum christianorum ad corpus edomandum artibus, de funere christiano, de multiplici luminis instrumento & usu apud veteres, de pedum tegumento & ornatu, Athenas mediolanenses, & obscuriorum in ecclesiastica antiquitate vocum Illustrationem. An autem illi libri, sive omnes, sive quidam, editi sint, ego quidem non habeo compertum; nec liquet, quo sensu *Kœnigius* scribat p. 301. eum illos *reliquisse*: certe ex *Ghilino*, quem citat, probari nequit, auctorem nostrum illos absolvisse, atque in lucem produxisse.

Pag. 82. 100. 105. Pollicis utriusque compressione significatus olim fuit *theatri* favor.

Amphitheatri. I. G. *Gravius* Epp. p. 338. sive Præfat. in Tomum VI. Thesauri antiquitat. roman.

CXI.

Auli GELLII Noctium atticarum libri XX. cum notis & emendationibus Io. Frederici, & Iac. *Gronovii*, qui & illos ad libros MSS. exegerunt. Lugduni Batavor. 1706. Accedunt Casp. *Scioppii* MSS. duorum codicum collatio, Pet. *Lambecii* Lucubrationes gellianæ, Excerpta ex Lud. *Carrionis* Castigationibus, & selecta variaque Commentaria ab Ant. *Thysio* & Iac. *Oiselio* congesta. Est hæc editio, testibus *Actor. erud.* ad A. 1706. p. 246. & 248. collectoribus, omnium præstantissima: de ceteris autem legi possunt Io. Alb. *Fabricius* in Biblioth. lat. 510. & in principio huius libri post præfationem Iac. *Gronovius*, ac notandum, vetustissimam esse romanam de A. 1469. Atque huic CL. viro libri Gellii sunt XX. quoniam capita libri IIX. pro libro habet, qui periit.

Lib. I. c. 17. p. 95. *Xanthippe*, Socratis philosophi uxor morosa.	*Xantippe.* C. S. *Schurzfleisch* Supplem. Orthograph. rom. 50.
Lib. V. c. 21. p. 343. Ex Sinnio disces, *pluria* sive *plura absolutum* esse sive simplex (positivum;) non, ut tibi videtur, comparativum. Sic *compluria* quum dicimus, *non comparative* dicimus.	*Male* autem *sic tradidit Sinnius.* Iac. *Perizonius* in Notis ad Sanctii Minervam 222.
In Nota ad libri XIII. caput XIII. p. 594. Plinius lib. I. Epist. ad *Senecam*.	Ad *Sosium Senecionem*. *Cron.* Animadvers. P. III. 168.
Lib. XIV. c. VI. p. 654. Quæ ibi scripta erant, pro Iupiter, mera miracula: *quot fuerint Pythagora nobiles*, *quot Hippocrata*.	*Studium colligendi* & *distinguendi cognominis* non est exagitandum, & false traducendum. Io. *Moller* de homon. 904.

Ab

Lib. XVII. c. XIV. p. 830. Hæc notare, non eſſe *abs* re viſum eſt.	*Ab* re. C. *Cellarius* Antibarb. 208. & Io. *Vorſt.* de latinitate mer. ſuſp. 73.
Lib. XX. c. V. p. 876. Ariſtoteles duas ſpecies commentationum habuit. Alia erant, quæ nominabat ἐξωτερικὰ, alia, quæ appellabat ἀκροατικά. Εξωτερικα dicebantur, *quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant.* Ακροατικα autem vocabantur, *in quibus philoſophia remotior ſubtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes, diſceptationesve dialecticas pertinebant.*	Acroamaticæ commentationes non ipſarum argumento doctrinarum, ſed *docendi limitatiore modo* ab exotericis ſunt diſtinguendæ. Iac. *Thomaſius* Orat. IX. p. 179.

A. ſive Aulus *Gellius*, (ſic enim ſcribendum, & non Agellius) romanus, Romæ in rhetorica diſciplina Corn. Frontonis, deinde Athenis Phavorini, Tauri, T. Euſtachii, Peregrini philoſophorum auditor, ſcripſit iſtos ſuos libros ſub Imp. uti *Kœnigio* p. 16. & *Dousola* de patria Propertii videtur, ADRIANO, vel, ut *Dodvvellus* & Io. Alb. *Fabricius* p. 508. volunt, ſub ANTONINO Pio, ſæc. II. nec ad ferream auctorum ætatem condemnandus, ſed in argentea, ſecundum *Borrichium* in Cogitat. de var. lat. linguæ ætat. c. IV. ponendus eſt. *Auguſtino* l. 9. de C. D. c. 4. vir elegantiſſimi eloquii, & multæ ac facundæ ſcientiæ, *Lipſio* ſcriptor puriſſimæ latinitatis, *Parao* Criticorum madulſa dicitur. Iniquior autem ei eſt alicubi Lud. *Vives*, & *Scioppius* cum primis, contra quem tamen ipſum defendit Fran. *Vavaſſor*, ſcribens, fateri ſe, ſcriptorem hunc in frequentandis verbis ac locutionibus comicorum eſſe nimium, atque agere iſto in genere delicias putidiuſculas, neque ulli temere imitandas, nunquam tamen dubitare, quin multo ad ſummos, quam ad infimos ſcriptores propius accedat.

cedat. Vide etiam *Magirum* 18. *Pope-Blount* 146. *Morhof*. Polyhist. T. I. l. 4. c. 14. n. 2. *Mollerum* de homon. 904. & Biblioth. *Schraderianam* P. I. F 6. I 3. Ratio autem, cur libros hosce *Noctes atticas* inscripserit, docente Philippo *Caroli* Animadverf. in Gellii lib. I. c. 1. p. 3. hæc est, quod, cum Athenis esset, diesque in studiis duceret, & societate philosophantium, noctibus brumalibus, quæ retulerat in commentaria, promsit, & in hos librorum alveos, tanquam sedula apis, digessit. Similem & alii libris suis titulum imposuerunt, nam Noctes parisinas scripsit H. *Stephanus*, Brixianas Felicianus *Betera*, Romanas Cur. *Lancilotus*, Tusculanas & Ravennatenses Io. Matth. *Cariophyllus*, Africanas Sigism. *Pauluzius*, Solitarias Io. Bapt. *Persona*, Geniales Io. *Nardius*, Christianas Io. *Fecht*, Academicas Io. Pet. *Lotichius*. Glossarium vocum gellianarum haud vulgarium Casp. *Barthius* edere voluit; Iulius Cæs. autem *Scaliger* edidit Problemata gelliana, & Frid. *Rappolt* Logicam gellianam.

Gaspar *Scioppius*, qui inter Germanos scribitur *Schoppius*, secundum rationem autem linguæ italicæ, ut germanica retineatur pronuntiatio, recte illo etiam modo pingitur, Neagora-palatinus, insignis grammaticus & criticus, Cæsaris & Regis Hispaniarum singularem ob eruditionem factus consiliarius, & Comitis splendore ornatus, scripsit Suspectarum lectionum libros V. Animadversiones in Thuanum, Casaubonum aliosque sub nomine *Paschasii Grosippi*, Classicum belli sacri, Infamiam Famiani *Stradæ*, & alia, obiitque A. 1649. ætatis 75. Stilo mordace, ac sæpe etiam maledico usus est, unde & *Canis grammaticus* appellabatur; sed impietatis & atheismi, ac blasphemiarum contra S. scripturam eructatarum inculpatio tanto minus probari poterit, quanto maioris ille non tantum a summis Imperantium, sed etiam a theologis & antistitibus in Ecclesia romana, atque ab ipso Pontifice summo habitus atque æstimatus fuit. Octavius certe *Ferrarius*, qui illum novit optime, sub eiusque informatione profecit, longe melius de illo sentit ac testatur in Oper. varior. T. I. 142. 159. & T. II. 19. 73. 145. 511. Cui adde *Magirum* 740. ac *Pope-Blount* 987. *Scaligerum* & *Casaubonum* in Epp. & hunc quidem p. 515. 855. 861. 884. 885. *Boecle-*

rum

rum apud Slevogtium in Iudicio ſapientum p. 33. 35. *Colomeſium* 584. *Morhofium* Polyh. T. I. lib. IV.116. & pluribus aliis locis.

Pet. *Lambecius* hamburgenſis, I. V. doctor, & primum in patrio gymnaſio hiſtor. profeſſor, deinde poſt commutationem lutheranæ religionis cum romano-catholica, conſiliarius & hiſtoriographus cæſareus, ut & Bibliothecæ cæſareæ præfectus, obiit A. 1679. ætatis 51. & ſcripta reliquit ſeqq. Origines hamburgenſes, Syntagma originum CPlitanarum, Prodromum hiſtor. litterariæ, Syntagma rerum germanicarum, & libros VI. (quorum XIX. alios promiſerat) Commentariorum de Bibliotheca cæſarea vindobonenſi. Syntagma hiſtoriæ litterariæ promiſit quidem, ut & multa alia, ſed mors interrupit. *Magirus* 500. *Morhof* Polyhiſt. T. I. lib. I. c. 2. 16. & 17. *Kœnig* 453. *Boſius* Introd. in notit. ſcript. eccl. c. 4. §. 30. Quibus adde Vincent. *Fabricium* Epp. p. 339. Io. *Moller.* Iſag. in Hiſt. cimbr. P. II. 537. *Biblioth. Schrader.* P. I. H 2. Chriſtian. *Helvvich* de Ordinat. per presbyteros 168. *Richard.* Hiſtor. bibliothec. cæſar. vindobonenſ. 94. & *Conringiana* 83. 110. 279. Prodromum Lucubrationum eius gellianarum nunquam ſecutus eſt Epidromus: ſicut & *Carrionis* notæ in hunc uſque diem imperfectæ manſerunt. *Morhof* l. 4. c. 14. n. 2.

Lud. *Carrio*, brugenſis, ICtus & philologus, dedit Notas & Scholia in Salluſtium, Emendationem libri Magni Aurel. *Caſſiodori* de Orthographia, & Antiquarum lectionum libros III. vita defunctus A. 1594. Notas eius in Gellium perfectas imperfectas edidit Henr. *Stephanus*, de quo legatur *Morhofius* Polyhiſt. T. I. p. 200. Quam vero doctus erat Carrio, tam non tantum plagii, ſed nefandi etiam ſceleris crimine, ſi *Scaligero* in Scaligeranis p. 81. credendum, nominis ſui famam & conſcientiam polluit. *Kœnig* 169. *Magirus* 186. *Crenius* Animadverſ. P. V. 149.

Ant. *Thyſius*, belga, theol. doctor & prof. in academ. Lugduno-batava, obiit A. 1640. ætatis 75. & ſcripſit tractatum de Prædeſtinatione, Exercitationes miſcellaneas, & alia. *Kœnig* 807.

CXII.

Pauli COLOMESII Opera. Hamburgi 1709. Eaque sunt theologici, critici, & historici argumenti, & quidem 1) Gallia orientalis. 2) Varia opuscula. 3) Recueil de particularitez. 4) Bibliotheque choisie. 5) Selectæ clarorum virorum epistolæ. 6) Observationes in varia Scripturæ loca. 7) Paralipomena ad Guil. *Caveі* Chartophylacem de Scriptoribus ecclesiasticis. 8) Rome protestante. 9) Icon Presbyterianorum. 10) Parallele de la pratique de l' Eglise ancienne & de celle des Protestans de France. 11) Lettre au Mr. Iustel sur l'Histoire critique du N. T. (R. *Simonis.*) 12) Melanges historiques, seu Colomesiana. 13) Catalogus MSS. codicum If. *Vossii.* In Gallia orientali, quæ Gallos commemorat orientalium linguarum peritos, omittit auctor If. *Casaubonum*, quem tamen sciebat ebraice & arabice doctum fuisse. Interim eam laudant *Ancillon* Mel. crit. P. II. 95. *Benthem* Engel. K. und S. St. 65. *Meelführer* Dissertat. de fatis erudit. orient. D 2. *Morhof* Polyhistor. T. I. l. 4. p. 53. & alii hoc in libro Colomesii p. 673. Bibliothecam selectam *Le Clerc* Tom. IX. de la Biblioth. choif. 335. & *Struve* Introd. in notit. rei litter. 252.

Pag. 218. Dionyf. Petavius dedit Iuliani *quædam.*	*Integra opera.* *Morhof* Polyhistor. lib. VI. n. 18.
286. Quæ de Iamblichi Babylonicis protulit eruditissimus Vossius pater, ea *ex filii codice*, (quem aliud agens *editum ait* in opere de Histor. græcis l. 4. 17.) *didicit.*	Vossii verba hæc sunt: In Bibliothecæ Florentinæ codice, *unde exscripsit filius meus Isaacus*, aperte est, ἐκ τῶν ιαμβλιχου ἱστοριῶν βαβυλωνικῶν. Neque dicit, eum editum esse, sed *ex edito Bibliotheca scoriaca Indice* se se didicisse, quod in ea exstet Historia Iamblichi babylonica.

Dicit

Pag. 291. Busbequii narrationem de formica indica canis mediocris magnitudine eludere *conatur* Bochartus in Hierozoico. (P. II. 599.)	Dicit Bochartus, Busbequium *neque vidisse illam formicam, neque ab aliis visam describere. Formica vocabulum* indico animali tribui potuisse a formica valde diverso. Adde *Maium* Annotat ad Basilii M. Orationem de legendis gentilium libris p. 74.
292. An Titi *Livii imagines Patavina digitum ori appressum habeant.*	Titi Livii imago, quæ in Prætorio spectatur patavino, *brachiis caret.*
302. Hugo *Brughtonus* asserit *in S. scriptura concentu*, ab Is. Genio latine verso, in multis vetustissimis codicibus MSS. Orationem dominicam in hunc modum inveniri: πατηρ ημων ο εν αδη.	*Nihil eorum* in toto illo *Broughtoni* libro. Fortassis autem error natus est excitatione Broughtoni facta a Martinio in Disputatione XIX. quæ agit de descensu Christi ad inferos: ubi observandum, Broughtonum græcam ad Genevenses orationem de descensu Christi ad inferos scripsisse, postea excusam, in qua illa reperiri probabile est. M. S. *Grabe* in Append. apolog. ad Vrb. Regii Form. caute loq. 221.
320. Ita legimus de Quinctiliano, eum esse repertum *in Concilio constantiensi apud popinarium quendam.*	*Tempore* Concilii constantiensis *in monasterio S. Galli.* Io. Bapt. *Recanatus* in Vita Poggii c. 6.
409. *Antoine* Fabrice, de Liege.	*André* Fabrice, de Liege.

P.631. Gatakerus verba Apostoli, *η αγαπη ου περπερευεται*, commodissime verti posse existimat, Charitas non effert se. Minus recte: sic enim *περπερευεται α φυσιεται*, quod statim sequitur, *nihil aut parum differret.*

Rationem hanc nullam esse patebit, si consideretur, τὸ φυσιοῦσθαι *internam animi arrogantiam*, τὸ περπερεύεσθαι autem *externam, qua verbis fit, ostentationem* significare. I. C. *Wolfius* Notis in Casauboniana 347.

712. Photii *Lexicon* memorant, nisi fallimur, Suidas & Etymologus.

Photium quidem memorat Suidas, non tamen eius Lexicon. *Crenius* Dissertat. III. de furib. librar. §. LI.

785. Plura in hanc rem, quod videlicet theologica nolunt ab aliis tractari, Thomas *Erastus.*

Immo & *plures alii. Crenius* Animadvers. P. III. 226.

819. Grotius erravit, scribens in Appendice tractatus de antichristo, inimicos Imp. FRIDERICI Barbarossæ *tribuisse ei librum de tribus impostoribus.* Non enim fuit Imperator Fridericus Barbarossa, qui crederetur huius libri auctor, sed Fridericus II. sicut patet ex Epistolis Petri de Vineis.

Grotius librum illum non tribuit Friderico Barbarossæ, tanquam auctori, sed ait, fuisse qui famam spargerent, talem librum *iussu eius* fuisse scriptum. De FRIDERICO II. hoc tantum narrabatur, *dixisse eum*, quod mundus seducatur per tres impostores; sed augustus hic Imperator negavit se id dixisse, deque atroci hac calumnia conquestus est. *Menagiana* T. IV. 377.

864. Appiani Illyrica ab Hœschelio edita, *cum excerptis de legationibus.*

Separatim ea Hœschelius edidit Augustæ Vindelicorum A. 1599. 4. tribus plagulis.

Paul.

Paul. *Colomesius*, (*Colomiez*) rupellensis, presbyter ecclesiæ, & Biblioth. lambethanæ curator, scripsit etiam Italiam orientalem, sed quæ nondum comparuit in publico. Vide p. 469. & 707. Eruditorum de eo iudicia si nosse cupis, ideas p. 672. *Clericum* Bibl. choisf. T. IX. 334. *Struvium* in Introduct. 404. & in Præfat. §. 11. *Acta eruditorum* A. 1696. 230. & A. 1709. 520. *Novam Bibliothecam* T. I. 56. & *Parrhesiandri* Vernünftige urtheile p. 523.


Casp. Henr. STARCKII tractatus de doctorum vita privata. Lubecæ 1707. Agit quidem de illa vita privata sive solitaria, quam quidam honoribus & officiis publicis prætulerunt. Exempli loco inter theologos proponit Petrum *Thomæ*, Io. *Arndium*, quod ad propositum attinet, Christianum *Matthiæ*, Io. Lud. *Schœnleben*, Iac. *Dornkrellium*; inter ICtos Bilib. *Pirckheimerum*, Pet. *Puteanum*, Holigerum *Rosecranzium*, Conr. Mutianum *Rufum*, Rolandum *Maresium*; inter medicos Io. *Rhodium*, Henr. *Fuirenium*, Io. *Ionstonum*; inter philosophos Fran. *Petrarcham*, *Erasmum* roterodamum, Melch. *Iuniam*, Iustum Iof. *Scaligerum*, Pet. *Scriverium*, Guil. *Canterum*, Claud. *Salmasium*, Phil. *Cluverium*, Bened. *Spinosam*, Renat. *des Cartes*, Theodor. *Petraum*, Caspar. *Barthium*, Pet. *Poiretum*, Marcum *Meibomium*, & Er. *Francisci*. In cap. 3. excutit causas vitæ privatæ, & sicut pro legitimis agnoscit corporis infirmam constitutionem & morbos, minorem capacitatem, reluctantem naturam, temporum quorundam & locorum constitutionem, ita repudiat animi abiectionem, & damnabilem honorum contemtum, ignaviam, amorem commoditatis & quietis, virium diffidentiam & intempestivam modestiam, studiorum & conscientiæ prætextum, honoris lubricum instabilemque gradum, & invidiarum atque inimicitiarum metum. Denique improbat vel maxime, potiorem ducendam vitam privatam ministerio ecclesiastico, ita ut illud declinetur, vel deponatur.

Christoph. Iac. BLVMII Epistola ad D. Henr. *Pippingium*, qua ei de summo antistitis in Aula dresdensi officio gratulatur. Lipsiæ, 1709. Vbi pariter differit de eruditis Lipsiæ natis, scriptisque claris, atque ita nominat Io. Andr. *Bosium*, Frid. *Brummerum*,

Carpzovios, Casp. *Crucigerum*, Mart. *Geierum*, Dan. *Griebnerum*, Henr. *Hæpfnerum*, Ludov. *Iungermannum*, Io. Vlr. *Mayerum*, Christoph. *Meurerum*, Dav. *Peiferum*, Simonem & Modestinum *Pistorios*, Io. *Salmuth*, Quirin. *Schacherum*, Zachar. *Schilterum*, Io. *Thilonem*, & Ierem. *Weberum*.

Ioach. MEIERI Dissertationes epistolicæ II. de Boiorum migrationibus & origine, nec non de claris Böhmeris. Gottingæ 1709. Statuit autem VII. Boiorum migrationes, primam ex Gallia in Bohemiam, secundam circa Hercyniam silvam usque ad Danubium, tertiam in Italiam, quartam in Illyricum & Pannoniam, quintam in Asiam, & quidem Galatiam, sextam in Galliam, septimam in Vindeliciam, eorumque originem deducit a Celtis. Dissertationem de claris Böhmeris scripsit in honorem Phil. Lud. *Böhmeri*, primum Moralium prof. in acad. Iulia, deinde antistitis & prof. gottingensis, nunc S. theol. doctoris, Regis Britan. & Electoris Brunsvico-Luneb. consiliarii consistorialis, *Ducatus calenbergici* Superintendentis generalis, & Prælati wunstorpiensis, cui hanc dignitatem it gratulatum.

Ioach. *Meier*, Iuris utriusque doctor, ordinarius primum professor in regio electorali Gymnasio göttingensi, nunc honorarius, dedit etiam plures Dissertationes, videlicet unam de claris Fischeris, alteram de Meieris, tertiam de nummo aureo Postumi, quartam de iure connubii cum sponsa extranea; nec non Descriptionem vitæ, factorum & mortis HENRICI Leonis, potentissimi Saxonum & Boiariorum Ducis.



IN-

INDEX AVCTORVM

Quorum libri recenſentur, aut de quibus memorabilia afferuntur.

Ber-

Rho-

Squar-

Vin-

INDEX
Anymorum & Pseudonymorum.

CORRIGENDA ET ADDENDA IN PARTE HAC III.

PAg. 33. lin. 25. *Scribonius*, 214. 31. Atque illa etiam secuta est anno hoc 1719. cum Annotationibus iuridicis prædicti D. *Donauers*, sed imperfectis: operi enim huic vir consultissimus immortuus est. 215. 15. *Donauer* — Ducis wurtembergici, Reip. nordlingens. aliorumque S. Rom. Imperii Statuum consiliarius. lin. 18. publiceque, post disputationem inauguralem de Iurisdictione in alieno territorio, moderatus est. lin. 19. de Transactione. lin. 22. de Litteris dimissoriis, de Conventibus publicis, deque Iurisdictione communi, vitæ ac passionum finem faciens A. 1718. ætatis fere 49. quantum enim doloribus ex calculis nephriticis, inflammatione renum, hydrope & asthmate ante obitum afflictus fuerit, verbis vix, ac ne vix quidem exprimi potest. Consilia eius iam imprimuntur, & brevi in lucem prodibunt.

IN PARTE II.

IN Dedicatione a 3. lin. 16. incoctum. Pag. 18. lin. 10. exprobrari. — 12. coslinensis, ex 49. 19. pro. 53. 11. allegatis. — 16. Blauium 63. 30. *Moscorovii*. 76. 21. *Niemoievius* (Niemoiewski) 89. 23. A. 1274. 90. 4. usus. 127. 1. *Campanellam*. 135. 14. ecclesiast. 146. 10. Et subiungitur Bene fundata doctrina (Ein wohlgegründeter Bericht) de præcipuis articulis christianæ hodie controversis. 150. 28. 1645. ætatis 65. — 31. Solida. 170. 36. hasce 194. 13. Iidem. 197. 7. indicantur. 200. 27. Erigena sive Scotus. 225. 6. *Cantacuzeni*. 226. deleantur a linea 16. usque ad 25. 261. 28. Ottonis. 303. ult. consociationibus. 318. 18. Polyhistor. — 30. esprits 342. 16. deleantur hæc verba: Tomi VI. 351. 30. Mella-osnabrugensis. — 5. indicantur, clarus. 352. 35. pileo assutam gerunt. 353. 12. talis conciliatio. 355. 14. eodem. 371. 17. LXXVI. & sic in sequentibus numeris corrigatur. 373. 25 mereretur. 374. 35. sint. 377. 33. *Vassanum*, Georg. *Richters* Epp. 379. 26. Antoninum. — 27. Emmauntis. 381. 30. *Ticcun Sopherim*. 397. 14. usquam. 417. 33 Zonaram, eiusque nobilissimos continuatores. 424. 30. Impensam in opus complures fecerunt Mæcenates, quos inter fuere Inferioris. 451. 18. cincinnulis. 452. 16 eam. 453. 26. contentionemque. 461. 5. *Lyser*. 462. 28. morionibus. 488. 28. Stipendium. 502. 15. litterarum & matheseos notitia 503. 1. Lohmeier, magdeburgensis. — 3. obiit anno 1691. ætatis 36. 507. 13. in Danubio. 508. 35. adscripta. 509. 28. 17). 517. 19. deleantur hæc verba: qui iam duos — egit feliciter. lin. 29. & 30. Christiano EBERHARTO. 522. 1. Wolfgangi IVSTI. 524. Wolfgangus *Iustus*. 525. 6. Horologium.

In Partis II. Indice Auctorum.

FINIS.



